DISSERTATIO

DE

Urim & Thummim.

IN

DEUTERON. c. 33. v. 8.

In qua

Eorum natura & origo,
Non paucorum rituum Mosaicorum *rationes,*

ET

Obscuriora quædam Scripturæ loca, probabiliter explicantur.

Authore

JOANNE SPENCERO, *S. T. D.*
Coll. Corp. Christ. in Acad. *Cantab.* Præfecto.

CANTABRIGIÆ,
Impensis *Gualteri Kettilby*, ad insigne Capitis Episcopi, in vico vulgò vocato Duck-lane, 1670.

PRÆFATIO.

SI prima naſcentis Eccleſiæ tempora cum annis ſuis vergentibus conferamus, Majeſtatem divinam res ſuas ratione & modo prorſus diſsimili procurantem proclive erit obſervare.

Manu quaſi tacitâ facilíque, & modis naturæ rationalis conditioni ſuaviter attemperatis Eccleſiam jam adultam adminiſtrat *DEUS*. Nulli etenim hodie conſilii alicujus ſanctioris nuncii de cœlo miſsi: miracula ad fidem doctrinæ alicui divinæ faciendum nulla: nullum in rebus impeditis Oraculum, præter Λόγιον illud ἔμψυχον, virum bonum longo rerum uſu tritum & ſubactum, conſulendum ſupereſt: *Spiritus gloriæ* in templis *DEI* vivis habitans, unica illa *Schechinah* eſt quæ Oeconomiæ Chriſtianæ teſtimonium præbet: nulli nobis Prophetæ divino ſubinde afflati oraculo: dira illa exempla in flagitii alicujus manifeſtos edita, quæ temerata olim juſti-

tiæ jura continuò vindicârunt, ſeculis hiſce noviſsimis tam rarò dedit divina *Nemeſis*, quòd *Timon* apud *Lucianum* deridendum propinet Jovem, quaſi juventutis ſuæ (*quâ nullæ ſibi cum maleficis induciæ, ſed* ἀεὶ ἐνεργὸς πάντως ὁ κεραυνὸς *fulmen ſemper in negotio erat*) impetus & fervores annis ſuis ſenilibus refrigeſcerent; & tituli illi, *Grandiſtrepus*, *Fulgurator* & hiſce ſimiles, quibus illum poëtæ decorare ſolent, ſint tantùm καπνὸς ποιητικὸς, & ab iis μάλιστα ὅταν ἀπρεπῶσι πρὸς τὰ μέτρα, *præcipuè cùm in verſu hærent*, *ad* τὸ πίπτον τῷ μέτρῳ, *carminis ruinam fulciendam* Jovi tribuerentur.

At verò ſub primos Eccleſiæ Judaicæ natales, Angeli humanam perſonam præferentes, opera rerum creatarum vires longè ſuperantia, Prophetarum pectora motu divino calefacta, oracula è Tabernaculo aut *Gloriâ magnificâ* prodeuntia, ignis cœlitus in aram delapſus, tremenda juſtitiæ divinæ monumenta, tam frequentes mortalibus mirandi cauſas attulere, quòd ſpectaculis hujuſmodi cœleſtibus & miraculi plenis priora mundi ſecula ſæpius frui, quàm poſteriora fingere videantur.

Nam

Nam animo tam craſſo & cœleſtium inani fuit Hebræorum natio, quòd nullo niſi quod oculos penè feriret argumento ad præſentiæ divinæ fidem & frugem bonam perduci potuerunt: perditiſsimi quibus aſſueverant *Ægypti* mores, & conditio ibi vivendi dura & infelix, penè omnem Numinis ſenſum populo excuſsêre: Oracula viva, publici voluntatis divinæ indices, nondum literis tradita fuerunt: homines ob lubricos rerum humanarum caſus & timida præſagia anxii & ſoliciti, à Dæmonis Oraculis & myſtis reſponſa de futuro ſæpius petiêre, quæ eorum pallidis curis turbata levarent pectora.

Præ cæteris verò, quibus Eccleſia vetus gaudebat, luculentis providentiæ & præſentiæ divinæ argumentis, Oraculum in Pectorali poſitum dignum videtur, in cujus contemplatione magìs ſolicitè & religioſè hæreamus, & quod nunquam niſi ſummâ admiratione ſuſpenſi recolamus. Quid enim in omni memoriâ oculis auribúſve hauſtum mirabilius, quàm quòd Numen è cœli nubibus, ſacris adytis, aut

monte flammante loqui ſolitum, è duplicato palmaris latitudinis panniculo reſponſa ſua tradere dignaretur? & quòd Sacerdos non in templis ſomnians, aut antris quibuſdam ſpiritum fatidicum exhalantibus, ethnicorum ritu aſtans, propheticus prodiret; ſed ex ipſo ſinu *DEI* oracula & regnorum fata promeret? Certè quod *Joſephus* de ſplendore lætiore lapilli in Pontificis maximi humero, cùm ſacrum *Deo* probatum eſſet; de hoc Oraculo jure aſſeramus, Θαυμαστὸν μὲν τοῦτο τοῖς μὴ σοφίαν ἐπ' ἐκφαυλισμῷ τῶν θείων ἀσκοῦσιν, *Piâ admiratione digna res hæc apud omnes habita eſt, niſi qui ex divinorum contemptu ſapientiæ opinionem aucupantur.* Antiq. lib. 3. cap. 10.

Mihi itaque ſæpius mirari ſubiit, quòd de Argumento tam auguſto & quod animo tam gratam contemplandi voluptatem creare poſsit, pauci ex inſtituto, nulli ex illius dignitate meritóque hactenus diſſeruerint. Nam Scriptores plerique omnes de eo verba facturi, de Lectore & argumento ſuo ſe egregiè meruiſſe ſentiunt, ſi ſuas aut aliorum conjecturas (blanda illa vigilantium ſomnia) vix ullo firmatas

Scripturæ

Scripturæ aut Antiquitatis ſuffragio in medium dederint: alii verò, Oraculum hoc inter Scripturæ ἄπορα & ingenii humani cruces numerantes, illud vix ſummis tactum digitis prætereunt; vel (prout Geographi circa terram incognitam verſati) monſtra ſolummodo chartis ſuis inſerunt; fabulas Judaicas dico, ficta Poëtarum miracula & fidem omnem conſultam ſuperantes. Unde factum quòd *Urim* & *Thummim* ſono tantùm barbaro & otioſo hominum aures diu impleverint, & craſſa quorundam commenta ſapientiam divinam in rebus & nominibus illis inſtituendis eluceſcentem penitus obſcuraverint.

Quò itaque probroſam illam ſcientiæ divinæ lacunam explerem, & otii quo jam fruor tædia quandoque fallerem; eorum naturis & primariis circumſtantiis perveſtigandis, quantum in remotiſsimæ antiquitatis penetralibus videre conceſſum, ſedulam, nec forſan inanem, impendi operam. Eam autem huic ſaltem ſeculo haud ingratam futuram facilè ſperavi, quo in abditos atque invios hactenus

nus ſcientiæ divinæ & humanæ receſſus penetrare tanto cum conatu & ſudore contenditur; Et *nihil dicere niſi quod dictum priùs*, animi humilis & anguſti argumentum à pleriſque exiſtimatur.

Haud paucos futuros auguror, qui in ipſo operis hujuſce limine offendent, & chartas meas vix limis inſpectas oculis, quaſi conjecturas tantùm precarias (quarum eos ſatietas jamdudum tenuit) afferentes, poſt terga rejicient: eò quòd ſpes nulla affulgeat, ut mea tenuitas myſterium retegat, quod anxiam tot perſpicacium virorum hactenus eluſit indaginem; & quòd ipſe veri quicquam iis in rebus percipere poſsim, quibus tot jam tranſacta ſecula cæcam caliginem obduxerunt. Nec ſanè falleret eos ſpei ſuæ frigidæ de opere meo conceptæ ratio, ſi ingenii ſolius ſupra communem mortalitatis ſortem felicis viribus, aut ſingularis cujuſdam ſcientiæ clave (quæ mihi profectò non ſumo) Oraculi hujuſce arcana daretur reſerare. Mihi *DEI* ænigmata non ingenii ſagacioris dexteritate, ſed Illius vitulâ arando conceſſum ſolvere: nempe animum attentum

& nullius addictum verbis ad Scripturam consulendum appuli, in quâ lucem eam effulgere credidi quæ pedes nostros in hæc atque alia abdita dirigere possit, modò mentis oculos nullis phantasiis & idolis vitiatos ad legendum afferamus.

Sed utcunque se alea verterit, sive veritate mihi semper favente scripsisse, sive tantis tenebris posito umbris & imaginibus mentientibus sæpius deludi contigerit; id in spe lætâ pono, me nempe opus hoc sine cujusquam malâ gratiâ in lucem editurum. Nullius enim famam hîc lædo: *farinam*, quod dicitur, *molitam* non molo: non conjecturas tantùm & hypotheses ad placitum fictas affero, sed argumenta: non sacra *Veneris*, *Bacchi* orgia, aut *Jovis* alicujus Ethnici solennia; sed Numinis sanctissimi instituta, in lucem & memoriam revocare studeo: remigium meum in adversas undas non dirigo, nihil enim Patrum & Conciliorum scriptis aut receptæ Ecclesiæ fidei adversum trado: Et quamvis nonnulli forsan me ξενίζοντά τινα auribus suis afferre sentiant, non ea sunt in quibus

salus

ſalus legentis vertitur, vel quibus ullius fidem dandam poſtulo, niſi rationum mearum momenta, animo ſicco & libero æſtimata, calculum ſuum mereri videantur.

Capitum

Capitum & Sectionum Argumenta.

CAP. I.

DE Textûs occasione prælibantur nonnulla p. 1

CAP. II.

De Usu Urim & Thummim 4

SECT. 1. *De Usu generali* ibid.

SECT. 2. *De eorum Usu speciali* 11

CAP. III.

De loco in Pectorali quem Urim & Thummim occupârunt. 28

CAP. IV.

De Naturâ & Origine Urim & Thummim 31

SECT. 1. *Generalia quædam de illorum naturâ præmittuntur* 32

SECT. 2. *Specifica natura τῶ* Urim *explicatur, cujus gratiâ de conditione antiquorum* Theraphim *fusè disseritur* 40

SECT. 3. *Dicta Natura τῶ Urim Hosææ testimonio probatur* 54

SECT.

SECT. 4. *Alius Scripturæ locus*, Judic. 17. 4. *ad sententiam firmandam affertur & explicatur* 70

SECT. 5. *Astruitur sententia argumentis probabilibus è Scripturâ depromptis* 86

SECT. 6. *Sententia de naturâ* URIM *tradita firmatur testimonio Phil. Judæi, Aben-Ezræ, & Christophori Castri* 100

SECT. 7. *Sententiæ nostræ veritas probatur è communi institutorum Mosaicorum Origine* 113

SECT. 8. *Probatur hypothesis nostra cæteras redarguendo* 133

SECT. 9. *Ad sententiam nostram statuminandam ostenditur* Urim & Theraphim *voces esse cognatas, seu ejusdem significationis* 147

SECT. 10. *Probatur hypothesis rationum decade.* 175

SECT. 11. *Objectiones variæ solvuntur* 186

SECT. 12. *Explicatur natura* τῶ THUMMIM, *& ostenditur illud ab Ægypti moribus desumptum fuisse* 200

SECT. 13. *Occurritur Objectionibus cum sententiâ nostrâ de naturâ* THUMMIM *pugnantibus* 219

CAP. V.

De Ratione nominum, Urim & Thummim 229

SECT. 1. *Quorundam sententiæ de nominum ratione ad examen vocantur.*

SECT.

SECT. 2. *Primariæ nominum rationes proponuntur & probantur* 237

SECT. 3. *Objecta contra primarias nominum rationes diluuntur* 257

SECT. 4. *Redduntur nominum rationes secundariæ* 264

CAP. VI.

De personâ cujus erat Urim & Thummim gestare & consulere 275

SECT. 1. *Rationes variæ assignantur, cur Deus Pontifici soli Urim & Thummim gestandi & consulendi potestatem fecerit* 279

SECT. 2. *Satisfactum est Objectioni, & quæritur an Rex & Sacerdotes ordinarii Urim consulendi copiam quandoque habuerint* 296

SECT. 3. *Cur Moses Urim & Thummim, benedictionis loco, Tribui Leviticæ precatus sit* 308

CAP. VII.

De sensu Textûs mystico. 319

ERRATA.

Pag. 14. *lin.* 4. *leg.* volunt. *p.* 29. *l.* 8. *leg.* prætereundam. *p.* 57 *l.* ult. *leg.* exarandam. *p.* 118. *l.* 30. *leg.* frigidam. *p.* 139. *l.* 9. *leg.* nullæ. *p.* 191. *l.* 6. *leg.* Illas. *p.* 201. *l.* 16. *leg.* Fmisisse. *p.* 207. *l.* 9. *leg.* Ægyptiaca. *p.* 208. *l.* 14. *leg.* Ægyptiacæ. *p.* 248. *l.* 8. *leg.* statuas. *p.* 264. *l.* 4. *leg.* suo. *p.* 271. *l.* 24. *leg.* decorârint. *p.* 304. *l.* 8. post *assumptum leg.* eique. *p.* 320. *l.* ult. *dele* solent.

DISSERTATIO DE URIM & THUMMIM IN

Deuteronom. Cap. 33. com. 8.

תֻּמֶּיךָ וְאוּרֶיךָ לְאִישׁ חֲסִידֶךָ

Thummim tui & Urim tui cum Viro Sancto tuo.

CAP. I.

De Textûs occasione prælibantur nonnulla.

INter artes istas plurimas, quas longum esset enumerare, quibus Diabolus rudiora mundi secula in partes suas allicere studuit, nulla fuit qua, veluti philtro & fascino quodam, affectus humanos sibi ritibúsque suis tam facilè conciliavit & arctè devinctos tenuit, quàm fides molli vulgo altè impressa, quòd rebus ultra vota fœlicibus usuri essent, modò astra, idola, & Dæmones cultu sacro prosecuti fuerint, & ritus à seipso institutos religiosè observârint: at nullum miseriæ nomen iis defuturum, modò Diis illis nuncium remiserint, & fidem eâ olim religione iis oppigneratam violârint.

Illius etenim Ceremoniarum Magistri, Prophetæ è vetere *Zabiorum* grege, *concionabantur in congregationibus & cœtibus publicis, illorúmque animis imprimebant,*

bant, propter ejusmodi cultus pluviam de cœlo descendere, arbores agri fructus ferre, terram fœcundam reddi; & quòd homines vitam longævam sint habituri, quòd morbi ab illis auferendi, quòd à magnis vitiis sint conservandi: uti refert *Maimonides*, Mor. Nevoc. P. 3. c. 30. & de Idololat. Cap. 1. Sect. 3. Quæ sanè eò veritati propiora habeo, quoniam Apostolus, cùm Gentilium animos idololatriæ deditos ad saniora consilia retrahere studeret, Act. 14. *pluviam, tempora fructifera*, aliáque vitæ commoda, eos Dei solius benignitati debere doceat: com. 17. Quibus haud obscurè monet, Ethnicos bona sua omnia eorum idolis accepta retulisse, eósque spe vana fortunæ lætioris allectos, *Vanitates* illas tam prono cultu & obsequio accepisse.

Deus itaque, quo errorem istum *Hebræorum* animis penitus insitum radicitus evelleret, atque adeò primum idololatriæ fomitem è medio tolleret, cœlum ferreum, agros & vineas spem & operam Agricolæ ludentes, corpora morbis gravissimis laborantia, liberos fato præmaturo cadentes, vitam denique nullo non mulctatam infortunio interminatus est, si ad ingenium Ethnicum redierint, & vetere idolorum cultu capita polluerint. At sanctè pollicitus est se uberem [a] glebam, lætas segetes, dies multos, victricia signa, res ex animi sententiâ fluentes, (contra quàm idolorum prophetæ concionati sunt) illis concessurum, si Dius suis antiquis à tergo rejectis, Sibi uni, ut Regi & Domino suo sacramentum dixerint, & fidem immotam & intemeratam in Se & Legem suam præstiterint.

[a] Levit. 26. 3. 4. 5. 6. 7.

Comminationes & promissiones hasce sæpius in Lege ob oculos Judæorum positas inveniamus: nusquam verò tam liberali effusas manu quàm à *Mose*, cùm in mortis

mortis confinio jam staret, ἅλως δὲ ὅλων μεταρμοζόμενος εἰς νῦν ἡλιοειδέστατον, *prope totus jam versus in animum illustrissimum:* prout de eo morti proximo loquitur *Philo, Lib. 3. de Vit. Mos.* Nempe ut illius verba (prout morientium solent monita) altiùs in rudioris populi animos descenderent. Postquam enim pœnas sine exemplo graves, quas *Israelitæ*, ob læsam fœderis cum Deo initi religionem, justitiæ divinæ daturi essent, fusè prædixisset (nè forsan stultus ille populus tot mala, cùm eveniissent, Diis suis antiquis haud rite propitiatis, aut syderi alicui minus auspicato daret; quod & feciisse legimus, *Jes.* 48. 4, 5. *Jer.* 44. 18.) tandem etiam fœlicem Tribûs cujusvis sortem, optimas Idololatrarum conditiones plurimùm post se linquentem, prænunciat; eámque in secula duraturam, modò fidem suam Deo tot sacramentis datam & obsignatam non fefellerint. Ea verò omnia prænunciat precatione quadam propheticâ: forsan ut *Hebræorum* posteri indè intelligerent, quali olim apud Deum gratiâ floruit Legislator suus, qui res eorum florentissimas non prævidisse tantùm, sed & precibus suis impetrâsse videretur.

Præ cæteris verò Gentis Israëliticæ familiis, quibus fœlicia omnia jam Deo plenior comprecatur *Moses*, benedictio illa, conditionis planè singularis, quam Tribui Leviticæ propriam vovet, primas Legentis curas sibi jure vendicat. Nam prima fronte mirum videri possit quòd precationis suæ materiam non pedem in oleo tinctum fecerit *Moses*, non facilem & obsequentem populum, non aras opimis sacrificiis calidas, non sacerdotalem dignitatem, regali, prout olim, communitam & cohonestatam: sed id inprimis à Deo contenderit *Vir* ille *Dei*, ut, *Urim & Thummim* sua Tribum

bum templi ministeriis dicatam perpetuò decorarent.

Precationis hujusce propheticæ momenta quo melius capiamus, duo nobis in eâ necessariò consideranda veniunt: *Benedictionis materia, Urim* & *Thummim* Dei: & *Benedictionis subjectum*, Virille, quem Deus singulari favore amplexus est, quem sibi propiore sanctitatis & famulitii gradu admotum voluit.

Quò primam pensi nostri partem, *Benedictionis materiam* absolvamus, hæc quatuor, *Quis usus, Quis locus in pectorali, Quæ natura, & Unde titulus* horum *Urim* & *Thummim*, Deo faciente, ordine expediemus.

CAP. II.

De Usu Urim & Thummim.

ID unum in genere circa horum instrumentorum usum monere necesse habeo, quòd *Thummim* non eidem fini cui *Urim* ministraverit. Mea enim sic stat sententia, sicque animum induco meum, Oracula quidem per *Urim* edita fuisse, *Thummim* verò rem planè diversam ab *Urim*, & in usum dissimilem à Deo designatam. De cujus Opinionis veritate tantisper à sententiâ ferendâ Lector abstineat velim, quoad rationes meas in loco tradendas, ad sobrii judicii Lydium lapidem exploraverit. In præsenti, de *Usu* τῶ Urim solummodo, tum generali tum speciali disquisitionem breviusculam inituri sumus.

Sect. I.

De Usu generali.

CIrca usum generalem cui *Urim* inserviit, haud adeò hæremus: quicquid enim uspiam est eruditi nominis

nominis facilè largitur, Deum Oracula sua per *Urim*, in impeditis, Regni præsertim, rebus edere solitum.

Quæ sanè sententia non nominum tantùm multitudine, sed & firmo satìs rationis nititur tibicine. Nam ideo חשן המשפט *pectorale judicii* dictum fuit, quia βιωτικὰ κριτήρια, graviora belli, pacis, & religionis judicia, sacra illa pectoralis appendix, cui *Urim* titulus, instruere soleret & moderari. Atque indè *Pectorale* nomen Λόγιον apud *Græcos* invenerit: quod vocis potestas, & rei ipsius usus postulant ut per *Orationale* potiùs quàm *Rationale* transferamus; cùm à voce Λόγ. originem petat, & Θεῖ. λόγ., verbum vel responsum Dei, illo mediante, Pontifici traderetur.

Urim in hunc usum à Deo institutum fuisse, sacra monumenta non semel testatum faciunt. Cùm enim Deus in mandatis dedisset *Mosi* jam ad plures abituro, ut manus suas *Joshuæ* imponeret, quò ipsius vice populo præesset; continuò addit, *Et ille* putà Joshua *stabit coram Eleazare Sacerdote, & interrogabit pro eo* במשפט *secundùm judicium*, vel de judicio, i. sententiâ *Urim*. Num. 27. 21. Numinis etiam consulti per *Ephod* (quo nomine & *Urim*, ab eo nunquam separatum, venit) duo exempla luculenta nobis præbet *Davidis* profugi historia. Horum primum extat, 1 *Sam.* 23. 9, 10. *Cùm* David *certior factus esset* Saulum *mali aliquid in caput suum clam cudere, dixit ad* Abiathar *Sacerdotem, Applica mihi* Ephod. *Et ait* David, *Domine Deus Israël, accepit famam servus tuus, quòd* Saul *statuat secum venire in* Ceilam, *ut urbem evertat propter me. An tradituri sint me viri* Ceilæ *in manus ejus? an descensurus est* Saul, *prout audiverit servus tuus? Domine Deus Israël indica servo tuo. Et ait Dominus descendet. Dixitque* David, *an tradent me*

viri Ceilæ *& homines qui mecum agunt in manus* Sauli? *& dixit Dominus, tradent.* Exemplum alterum occurrit 1 *Sam.* 30. 8. *Et confortatus est* David *in Domino Deo suo, & ait ad* Abiathar, *applica ad me* Ephod, *& applicavit* Abiathar Ephod *ad* David. *Et* David *consuluit Dominum, dicens, persequar latrunculos hos & comprehendam eos, an non? dixitque ei Dominus, persequere, absque dubio enim comprehendes eos & excuties prædam.* Legimus etiam *Ezræ* 2. quòd cùm Sacerdotum nonnulli, recèns è captivitate reduces, nomina sua in genealogiis reperire non potuerint, *Ezra* mandato cautum sit, nè illis sacra participandi jus esset, quoad staret Sacerdos cum *Urim* & *Thummim*; hoc est, donec Deus, an è familiâ sacerdotali natales traxerint, Oraculo determinaret.

Ex hoc frequente אורים *Urim* in oraculis eliciendis usu, factum est quòd versionis *Arabicæ* Author, Ephodem, cui *Urim* semper adhæsit, verbis exprimat quæ significent *Vas Oraculi*, ut 1 *Sam.* 30. 8. aut *instrumentum Oraculi*, ut 1 *Sam.* 23. 6. & 9. aut *Vas fœderis Dei per quod petebant oracula*, 1 *Sam.* 14. 3. Hinc etiam venit, quòd circumcisæ Gentis Magistris solenne sit omnes revelationis divinæ modos ad hæc quatuor capita revocare, רוח הקודש lenem quandam Spiritûs Sancti & excelsi auram mentes expiatas afflantem, unde persona summis par negotiis & officiis derepente prodiit, apta ad loquendum vel agendum ultra humanæ tantùm activitatis sphæram & modulum, נבואה prophetiam, somnium & visionem ambitu suo complectentem: quæ juxta *Judæos* in *Malachiâ*, (quem itaque *prophetarum sigillum* vocant) cecidit בת קול Filiam vocis, verbum quoddam de cœlo, Angelo mediante, factum: sic dictum quoniam vox illa, consilii cœlestis nuncia,

a indicem

[a] indicem suiipsius & comitem tonitru (קוֹל sæpius in sacris appellatum) plurimùm habuerit, & ex eo tanquam ex utero matris suæ prodierit. Et אורים ותמים *Urim & Thummim*, quibus Deo visum circa Regni graviora, sub prima populi Israëlitici tempora, Majestatis suæ placita exponere, & de futuris monere.

[a] *V. Hens. Aristarc. Sac. c. 14.*

Consilio verò optimo Oraculum hoc, & tam uberem aliarum revelationum divinarum copiam *Israëlitis* concessit Deus. Nempe, *Primò*, nè ab Illius sacris ad Gentilium ritus & cultum postliminio rediret Gens illa ad omnes Ethnicorum speciosas vanitates projectissima. Inter gentes autem istas quibus, seculis antiquissimis, Superstitio nomen fecerat, primas tenuêre *Chaldæi*, à quibus primam originem duxerunt Israëlitæ; *Ægyptii*, quibuscum longam consuetudinem coluêre; & *Cananæi*, ad quorum sedes patrias occupandum in procinctu fuerunt: Hisce gentibus, ab ultima antiquitate, sua non defuêre auguria, prophetiæ, sortilegia, imagines vocales, Oracula, (quorum vetustissima creduntur *Hammonis* in *Lybiâ* & *Dodoneum* in *Græciâ*) atque aliæ vaticinandi & arcana cognoscendi artes: quibus omnibus hujusce seculi Deus Divinitatis suæ fidem apud mystas suos faciles firmare studuit, & innatum illum novitatis & futurorum scientiæ pruritum scalpsit, ut insulsam plebeculam eò faciliùs duceret & sibi devinciret. Si itaque *Israëlitis*, haud minore futurorum studio & curâ ductis, nec minus inter spem metúmque subinde fluctuantibus, sua defuissent Oracula, prophetiæ & fatidicum *Urim*, quæ casus futuros aperire, adeóque anxios eorum animos lenire aliquando & liberare poterant, κατεφρόνησαν μὲν ἂν τῶν ἰδίων, ὡς οὐδὲν ἐχόντων θεῖον ἐν αὐτοῖς, *res suas ut nil divini in se*

habentes contemptim habuissent, & ad Oracula Ariolósque gentium in vicinià habitantium, humana quadam futura cognoscendi libidine impulsi transfugissent: uti *Origenes* olim, Judæorum veterum ingenia ritè æstimans, de iis constanter asserere non dubitavit. *Lib.* 1. *cont. Celsum.* Neque jam reddita tot Oraculorum & prophetiarum ratio à Scripturarum fide dissidet: cùm enim vetuisset Deus nè *Israëlitæ* à veneficis, ariolis, ejusdémque artium pessimarum Magistris consilia in perplexis peterent, statim promittit Se *Prophetam*, (qui etiam pro perpetua Prophetarum serie supponit) iis indulturum, à quo responsa divina, cùm ob ancipitem rerum aleam solliciti hærerent, perpetuò expectarent. *Deut.* 18. 10, 11, 15. *Hebræorum* etiam Doctoribus observatum est, quòd legi contra veneficas sancitæ, *Levit.* 20. *ult.* proxima succedat lex de Sacerdotibus lata, *Lev.* 21. 1. Ne, inquiunt, tentationi ulli ad scelesta illa capita tolerandum, aut in dubiis consulendum paterent *Israëlitæ*, cùm Deus Sacerdotes iis concesserat, quibus seipsum adeundi & in dubiis subinde nascentibus per *Urim* consulendi copiam fecerat.

Secundò. Ideo Deus *Urim* illud tam mirandâ vaticinandi & occulta revelandi facultate donare voluit, forsan ut præsentiæ suæ luculentum & ipsis oculis usurpandum perhiberet testimonium. Luto enim tam crasso & vili ficta erat *Hebræorum* natio, & à brutorum sorte atque indole tam exiguo remota intervallo, quòd præsentiæ divinæ argumenta peterent non mente sola sed ipso sensu percipienda. Petunt, postulant, *Exod.* 32. 1. ut *Aaron* Deos sibi fabricaret, qui iis ad terram promissam contendentibus prærirent. h. e. Symbolum divinum, quò Numen absens (ea enim fides populum habuit) signo aliquo visibili præsens sisteretur.

retur. Hanc gentis istius indolem innuunt *Mosis* verba, *Deut.* 4. 7. *Num gens est ulla ità magna* אשר לו אלהים קרבים *Cui Dii ità sint propinqui sibi, sicut Dominus Deus noster est nobis, &c.* Quasi dixisset, Vos Deum non in cœlis solummodo agentem, nubibus tectum, & mente tantùm sagaci contemplandum; sed in propinquo positum, oculis auribúsque vestris se ingerentem, signis quibusdam splendidis se semper adesse probantem, enixè desideratis. Nec votis vestris defuit facile & benignum Numen: nam quæ gens illa est (vos ipsos judices fero) ubi Dii sui tam faciles & molles aditus mystis suis concedunt, & tot prophetiis, miraculis, beneficiis, precum exauditionibus, Oraculis, symbolis, sese proximos, præsentes & familiares testantur, quot Deus vester vobis omnibus adesse, & se negotiis vestris singulis interesse comprobavit? Has autem conspicuas & extraordinarias præsentiæ divinæ tesseras votis eò calidioribus expetebant *Israëlitæ*, forsan quoniam Dii Gentium (quorum Sacris à teneris assueverant) variis operibus mendacem miraculorum formam gerentibus, vocibus è templis & statuis sibi dicatis subinde editis, aliísque signis prodigiosis, cultores suos summa admiratione suspensos tenuerint, & perpetuæ suæ in rebus dubiis aut afflictis præsentiæ visibilia præbuerint argumenta. Quantum autem Dæmones per μεθοδείας istas rudioris vulgi studium & fiduciam sibi devinctum & mancipatum habuerint, conjicere liceat verbis Ethnici illius apud *Arnobium*, lib. 6. adv. Gentes. *Non idcirco attribuimus Diis templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus aut Soles: sed ut eos possimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere.* Quando

Quando itaque is esset seculi *Mosaici* usus & populi *Israëlitici* genius, Deus Oraculum per *Urim*, ut perpetuum præsentiæ suæ documentum, dedit: ne aliter *Israëlitæ* Deorum & sacrorum Ægyptiacorum affectu & admiratione ducerẽtur, eò quòd Dii illi servis suis magìs familiariter uti, quàm Deus Israëlitis suis, viderentur.

Tertiò. Urim ad responsa, prout regni casus & dubia subinde postulârunt, reddenda instituisse videtur Deus, ut providentiæ suæ specialis, fidem aliàs apud populi fæcem, non magìs quàm hodiernos Atheos habituræ, signum & argumentum satìs fidum extaret. In hanc sententiam propendet animus, quoniam & aliæ Dei manifestationes extra ordinem factæ, hunc sibi scopum præfixum habuerint, ut oscitantes *Hebræorum* animi & in terram perpetuò nutantes, earum excellentiâ perculsæ, ad providentiæ & Majestatis divinæ fidem & sensum vividum evigilarent. Ideóque *Philonis Judæi* conjecturam de igne qui de cœlo olim in aram cecidit, dextris auspiciis factam crediderim, qui eum prodiisse arbitratur πρὸς σαφεστάτην δήλωσιν ὅτι οὐδὲν ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης ἐπετελεῖτο, *in argumentum manifestissimum præsentis divinæ providentiæ. Lib. 3. de Vit. Mos.* Deinde, cùm *Israëlitæ*, (quibus sensus tardior, læsa per idololatriam principia, & animus malis innumeris fractus & vexatus,) non *Naturâ Magistrâ*, sed signis aliquot quæ naturæ morem atque ordinem excederent, ad providentiæ divinæ sensum & fidem duci poterant; pectoralis Oraculum, præ aliis signis, ad scrupulum omnem de hac re eorum animis eximendum aptum & idoneum facile videri possit: cùm enim ventura prædiceret, consilium in loco daret, dubia graviora de præsenti vel futuro solveret; indè apertè constaret Oraculi Authorem non cœlo suo inclusum fuisse, aut res mundi

mundi fortuito causarum concursui tradidisse, sed rebus vel minimis adesse, & omnia scientiæ potentiæque suæ ambitu continere.

Atq; hæc ea sunt quæ de Usu τῶ *Urim* dicenda censui: in quibus omnibus probè novi me mysteria minimè enunciâsse, nec *arcanis condita cistis orgia* in vulgus protulisse; ideóque palatis forsan subtilibus & delicatis minus grata accedent. Utcunque factum haud muto, neque operam me inutilem in hoc Argumento posuisse existimo; non tantùm quia in primis curandum ne ipsum ædificii nostri fundamentum quid vitii faciat, sed quoniam nonnulli *Urim* & *Thummim* nil nisi verba inertia, laminâ quadam aureâ exarata, & in pectoralis secreto recondita, prout *sanctitas Jehovæ* in Pontificis frontali; alii ea duas tantùm virtutes, Sacerdoti ante alios necessarias, fuisse frigidissimè contendant.

Sect. 2.

De eorum usu speciali.

CUm DEUS consilia sua πολυτρόπως, per Oraculum in Tabernaculo, per afflatum divinum, per Legatos de cœlo missos, per sortes & somnia, *Israëlitis* olim revelârit; abunde satis revelationis divinæ habuisse, & illius mannæ cœlestis fastidio penè laborâsse videantur. Ideóque mirabitur forsan non nemo cur sapientissimum Numen actum ageret, & supra cæteros occulta revelandi modos, quibus populi necessitatibus abunde consultum fuerat, *Urim* adderet, tanquam novam scientiæ clavim, qua cœli consilia & hominum [a] arcana, cùm opus esset, facilè re- [a] 1 Sam. 23. 11.

cluderentur. Absit autem ut quispiam Sapi-

entiam

entiam ipsam, hoc novum occulta cognoscendi medium consecrantem, vanitatis arguat: *DEUS* enim non eo tantùm consilio *URIM Judæis* dederit, ut eidem prorsus fini & usui, cui Prophetæ, somnia, Tabernaculi Oraculum, & ejusmodi, inserviret; nempe ut indè lumen, (juxta tacita nominis istius promissa) peterent, cùm rebus obscuris & ancipiti curâ torquerentur. In finem & usum (uti mea fert conjectura) magis peculiarem, & cum ipso Gentis *Israëlitica* statu & conditione magis conspirantem, Oraculum illud à Deo institutum est.

Usus autem ille specialis quis fuit, sic paucis effero: Cùm Deus sub Ecclesiæ Israëliticæ primordia, Regis civilis partes titulúmque sibi sumere dignatus fuerit; necessitas indè facta est ut medium aliquod esset quo de voluntate & consilio suo Regio, in omnibus regni arduis subinde nascentibus, certò & perpetuò constaret; & ut publicum aliquod extaret *Sacri* hujus *Imperii* pignus & testimonium. In hunc itaque usum *Urim* seposuisse videtur Rex Opt. Maximus, nempe ut per illud placita sua populo annunciaret, & judicium ferret in casibus Rempublicam spectantibus, quibus determinandis *Pontificis* vel *Seniorum* judicia non sufficerent; & ut Θεοκρατείας hujusce signum & symbolum maneret, quo durante, populus in spem lætam regiminis illius duraturi erigeretur.

Quò minus temere hæc atque animi solius causâ dixisse videar, tribus hisce *Thesibus*, quæ integrum assertionis præcedentis sensum exhauriunt, fidem conciliare conabor.

Primó. *Sub prima populi Judaici tempora, Deo ipsi visum est Regis civilis personam & titulum gerere.* Hinc *Josephus*, Scriptor gravis & probatæ fidei, *Mo-*

sem

sem inducit *Judæis* suis in hæc verba præcipientem. Μὴ λάβοι πύθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας. Ἀλλὰ ταύτην στέργητε· τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, καὶ αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. Ἀρχεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Non est cur alterius politiæ formæ desiderium vos accipiat; sed præstat, ut hac contenti in Legum & vestra ipsorum sitis potestate, satis enim est Deum habere præsidem.* Lib. 4. De Antiq. Jud. c. 8. Et paulò post, στρατὸν ἐπ' αὐτοὺς ἀγάγετε, στρατηγῷ μὲν αὐτοκράτορι χρώμενοι τῷ Θεῷ, ὑποστρατηγὸν δὲ χειροτονήσαντες ἕνα τῇ ἀρετῇ προύχοντα. *Exercitum contra eos* [hostes] *educite, imperium Deo committentes, creato uno aliquo forti viro, qui Vicarius sit Illi & quasi Proimperator.* Josepho succinit *Theodoretus*, Ερωτ. ιδ in 1 *Sam.* ubi publicæ administrationis formam antiquitus apud *Judæos* obtinentis ità depingit: Ὁ δεσπότης Θεὸς, καὶ Θεοῦ καὶ βασιλήως ἐπλήρου τὴν χρείαν, &c. *Dominus Deus, & Dei & Regis implebat munus. Propheta autem* Samuel *erat administer & veluti quidam Præfectus aut Magister militum aut Tribunus plebis.* Neque hæc omnia sacris monumentis dissona, in quibus, *DEUS* המלך *Rex ille* passim appellatur, ut, 1 *Sam.* 12. 12. *Jerem.* 51. 57. *Psal.* 49. 2. *Hos.* 13. 10. & מלך רב ὁ μέγας Βασιλεὺς, *Psal.* 48. 2. *Mat.* 5. 35. Eundem titulum *Chald. Paraph.* Deo tribuit, in *Cant.* 1. 5. *Moses Magister eorum* [Israëlitarum] *ascendit ad æthera & posuit pacem* ביניהון ובין מלכהון *inter eos & Regem eorum.* Huc facit quod Solium, cui *Salomon* insedit, *Solium Domini.* 1 Chron. 29. 23. & Regnum, quod illius posteri administrârunt, *Regnum Domini* vocetur. 2 *Paralip.* 13. 6. & 8. quoniam ante reges in *Israële* exortos, Ipsius utraque fuerint in solidum. *DEUS* autem, quo titulum & personam quam susceperat, ornaret, Regni sui

leges

leges in monte *Sinai* scripsit, quas & Principum ritu pœnâ & mercede vitam hanc caducam solummodo spectantibus sancivit. *Jura* omnia, quæ vocant, *Majestatis* penes semetipsum esse volunt: nam Ipse *Judices*, regni sui Vicarios, cœlesti aliquo indicio aut immediato Spiritûs sui impulsu, subinde constituit; quibus itaque nulla Majestatis insignia gestare concessum fuit. *Saulus* quidem, qui primus *Judæorum* genti regia potestate præfuit, *coronâ* & *armillis* ornatus prodiit. 2 *Sam.* 1. 10. (cujusmodi publicæ præfecturæ symbola Regibus vicinis in usu fuerant) ea verò indè usque à *Mosis* ætate nemo *Judicum* gesserat, quum non nisi summi Regis nomine & vice judicia publica exercuerant. Deinde, Dei ipsius jussu, ad illius arbitrium judiciúmque summa rerum & consiliorum graviorum perpetuò rediit: nam bella nulla gerenda erant, Dei consilio nondum expectato. *Jud.* 1. 1. 20. 18. Fœdera nulla cum gentibus ferienda, nisi licentiam priùs à Domino impetrâssent. *Exod.* 23. 32. *Josh.* 9. 14. controversiæ omnes graviores circa res sacras aut civiles ex Ore tantùm Oraculi divini erant determinandæ. *Exod.* 18. 19. Pœnam legum suarum transgressoribus irrogandam, Deus ipse edixit, *Num.* 15. 34. 35. Homines ad muneris alicujus publici exercitium evehendi potestatem Sibi integram reservavit. *Deut.* 16. 18. *Hos.* 8. 4. *Deut.* 17. 15. Et quoniam scenæ ratio ità postulavit, *Hicrosolyma* in Magni hujusce Principis civitatem Regiam eligebatur, *Mat.* 5. 35. ubi etiam sacri sicli dimidium, quasi annui tributi loco, quævis in regno suo capita quæ annum vigesimum expleverant, [a] Regi suo solvere tenebantur. Templum palatii Regii locum habuit: quod Deus, ut ad domûs Regiæ exemplar expressius

[a] *Grot. in Mat.* 17. 25.

expressius fieret, in atria sua varia distribui voluit, erat enim extimum [b] τῆς αὐλῆς, medium [b] τῷ ἁγίῳ, & intimum adyti, quod & so- [b] *V. LXX. in* Psal. 29. 2.
lium divinæ gloriæ. Inter ea verò, קדש *Sanctuarium*, quasi præsentiæ Regiæ cameram sepositisse videtur: ideóque ad eam Sacerdotibus solis, utpote interioris admissionis famulis & amicis, patebat aditus: nam palatium Regis, (quod nullis, nisi quibus Rex familiariter utitur, ingredi datum est) מקדש מלך i. e. *Sanctuarium Regis* dicitur. *Amos* 7. 13. *Jes.* 16. 12. Curavit etiam Deus, ut Palatium illius Regium, (Templum *Hierosolymis* constructum) ad quæsitissimæ pompæ & splendoris magnificentissimi ideas componeretur, ut illius fabrica auro & cedro plurimo tota intus splenderet, quo domûs cujusdam Regiæ imaginem exprimeret simul & superaret. In more enim antiquissimis ex Oriente Principibus positum erat, in domibus arte prodigâ fabricatis, & aureo plurimùm ornatu & supellectile insignibus habitare: qua de re fusè differentes legamus *Dion. Chrysost.* in *Orat.* 2. *de Regno.* & *Orat.* 49. *Pinedam de rebus Salomon.* l. 5. c. 6. p. 484. & 548. & *Brissonium de Rege Persic.* l. 1. p. 49, 50, 51. Ideo verò (ut in callem regrediamur) Domini civilis personam sustinere & Regis nomine Se colendum exhibere, Deo visum est, non tantùm quia *Israëlitas* sibi εἰς λαὸν περιούσιον καὶ ἐξαίρετον, *populum peculiarem, egregium & eximium* elegerat; sed forsan ut sese Diabolo adversum sisteret, qui sub usurpato *Molech*, i. e. Regis titulo sese adorandum gentibus ante annos plurimos proposuerat; & titulum illum augustum המלך cujus Diabolus tot ævis malæ fidei possessor fuerat, sibi jure vendicaret.

Secundò. Urim *Oraculum politicum fuit, de negotiis*

tiis hominum conditionis privatæ minimè consulendum. Sed ad res populi totius aut personæ alicujus loci publici, moderandas & dirigendas, primario saltem, à Deo institutum. Hæc sententia Doctorum penè omnium, cùm Hebræorum tum Christianorum, puncta tulit. Ità sentiunt *Talmudici*, in *Cod. Jom.* c. 7. אין נשאלין בהן להדיוט אלא למלך ולבית דין ולמי שהצבור צריך בו 1. *Non inquirebant in iis* [Urim & Thummim] *de privato, sed de Rege, & de Synedrio magno vel alio quo Ecclesia opus habet.* Hoc, inquit [a] *Buxtorfius*, eliciunt ex *Num.* 27. 21. ubi legitur, *Qui* (Josua) *coram Eleazare Sacerdote stabit, et interrogabit eum de judicio* Urim *coram Domino, ad verbum ejus egredientur et ad verbum ejus ingredientur, Ipse & omnes filii Israël cum eo, & tota congregatio.* Ubi הוא *Ipse*, inquiunt, זה מלך hic est Rex; *& totus Israël cum eo*, זה משוח מלחמה, hic est Unctus ad bellum, quem totus Israël in bellum sequitur; *Et totus cœtus* הוא סנהדרין Hoc est totum Synedrium. Cum iis juxta sentit *Abarbenel* in *Exod.* 28. & *Deut.* 33. *Requiritur* inquit *ut interrogatio* per Urim *sit consilium, quod spectet negotium totius populi; et non quæritur* על דבר פרטי לאיש מן האנשים *de re particulari et privata alicujus hominis.* Eadem etiam *Buxtorfio*, haud ultimo Hebræorum filio, placuêre, utì patet è verbis suis cap. 1. libri jam laudati; *Usus Urim et Thummim erat, ut veluti certissimum Oraculum divinum essent, per quod Deus in rebus gravibus, dubiis et inopinatis, ad Ecclesiæ vel Reipublicæ salutem spectantibus, consultus, populo quæ facere oporteret, per Sacerdotem summum revelabat.* Hisce pondus addunt Magni illius in Rep. literariâ Dictatoris verba, in *Exod.* 28. 30. *Consulebatur Urim et Thummim à Rege aut Principe in rebus ad statum*

[a] *Hist. Urim & Thum.* c. 3.

statum publicum maximè pertinentibus, aut à Synedrio in difficillimis de jure controversiis.

Testibus hisce ὁμοψήφοις fidem eò faciliorem habeo, non tantùm quòd studio & affectu cætera divisis, sed quòd iis hac in re Scriptura ipsa testimonium perhibere videatur. Nam verba illa *Ahimelechi* Pontificis, 1 *Sam.* 22. 14, 15. quibus proditionis crimine, quod *Saulus* ei inferebat, se purgare studuit, plusquam innuunt Deum hoc Oraculum Sacerdotale personis tantùm quas rerum publicarum cura exercuit, consulendum tradidisse: *Quis in omnibus servis tuis sicut* David, *fidelis, & Regis gener, pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua? Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? Absit hoc à me. Ne suspicetur Rex adversus servum tuum rem hujuscemodi in universa domo patris mei. Non enim scivit servus tuus super hoc negotio vel modicum vel grande.* Quasi hujusmodi defensione usus fuisset. Probè nôram *Davidem* fidem & veritatem in Dominum Regem semper integerrimam coluisse, *Davidis* nomen summâ in gratiâ & honore in Regis domo positum: ideóque me facile persuasum habui Te illum belli negotiis (quod sæpius facis) præfeciſſe, Eumque copias tuas aliquò deducturum. Cùm itaque *David* in incerto haberet quid consilii caperet, adeóque auxilium & consilium cœleste supplex pro more suo peteret; ne muneri meo deessem, dubia sua omnia Dei Oraculo solvenda proponere non dubitavi. Neque jam primùm hoc officio functus sum: sæpius enim antea, nullius tamen noxæ compertus, Dei consilium, *Davidis* gratiâ regni hostibus bellum inferentis impetravi. Absit à me ut sciens prudénsque quicquam in Domini mei damnum & dedecus ipse meditarer. Servus tuus Te *Davidem*, tantis olim à

Rege auctum honoribus, in hostium numero jam habere, nè somniavit quidem. Nam Oraculi lumen, veluti candelabrum, gesto, quod non mihi sed Tibi, Tuis & Domui *Israëlis* splendere solet. Et si animum attendamus vix unquam Oraculum hoc nisi à *Josuâ, Saulo, Davide* [primi loci & muneris Viris] consultum reperiemus, aut à toto cœtu cùm bellum vel fames urgeret, aut res & salus publica aliquo modo ageretur. Idem etiam ipsa pectoralis fabrica non obscurè indicat, cui Tribuum nomina ideo inserta fuisse asserit *Buxtorfius*, nempe *ut scirent Judæi harum duntaxat causâ* hujus Oraculi *beneficium ipsis indultum fuisse*. Idem & illius titulus docet: ob eandem enim rationem, Λόγιον, quod *Urim* & *Thummim* gestandis inserviit, *pectorale judicii* dictum videtur, ob quam *thronus judicii*, Prov. 20. 8. *aula judicii* Jo. 18. 28. *sedes judicii* Eccles. 3. 16. dicebatur; quòd scilicet summi Regis judicium circa regni graviora indè subditis suis tradendum foret & expectandum. Quæ quidem tituli pectoralis ratio & *Jonathani* olim arrisisse videtur: sic enim παραφράζει, *com.* 15. *Exod.* 28. *Et facies pectorale judicii, in quo cognoscitur* דיניהון דישראל *judicium ipsorum Israëlitarum, quod tectum est à judicibus*; וסדרי נצחן *& series victoriarum & prœliorum eorum.*

Quibus ultimis verbis (quamvìs primâ fronte superflua & ex vano addita credi possint) summum judicii sui specimen dedit doctissimus *Paraphrastes*. Nam pectoralis *Urim* (præ aliis negotiis publicum spectantibus) ad res belli, consilium sine morâ postulantes, dirigendum; & populi incertam Martis aleam jam tentaturi, animum jacentem spe victoriæ erigendum designatum videatur. Nam *DEUS*, (*Numer.* 27. 21.

ubi

ubi usum τῶ *Urim* primò descriptum legimus) in mandatis dedit *Josuæ*, quem rebus bellicis præposuit, ut dubiorum omnium circa res suas subinde orientium, solutionem, non à Tabernaculi Oraculo sed Pontificis *Urim* expectaret. Et si sacra monumenta haud oscitantes evolvamus, observemus *Israëlitas* ab hoc Oraculo, circa periculosa & planè vitrea belli negotia, responsa frequentiùs quæsiisse. Cùm enim bellum cum *Cananæis* gerendum esset, nec satìs constaret iis quænam è Tribubus principia duceret; *interrogârunt Dominum*, inquit Textus, *Judic.* 1. 1. hoc est, exponente *Drusio*, cum *Grotio* aliisque, *consuluerunt Urim & Thummim, quò de voluntate Dei certiores fieri possent.* Cùm etiam prælium cum *Benjaminitis* committendum esset, & dubium haud multùm dissimile ortum esset, Deum interrogârunt & dixerunt, *Quis in exercitu nostro erit princeps certaminis contra filios Benjamin?* Judic. 20. 18. Eos autem, cùm Dei Oraculum scitatum irent, Pontificis ministerio usos fuisse, patet è *com.* 27 & 28. ideóque acutè & doctè, ut solet, annotavit *Grotius* in textum illum; *Priùs consulere Deum debuerant an bellum suscipiendum esset in* Benjaminem, *ejus enim rei causa præcipuè datum erat Urim & Thummim.* Saulus, cùm *Philisthæi* instarent, videns res suas summo in discrimine positas, à Deo consilium per *Urim* petiisse dicitur, 1 *Sam.* 28. 6. & 1 *Sam.* 14. 18. *Davidem* etiam militantem, sæpius, quid sibi in re dubiâ & trepidâ agendum esset, Deum per *Ephod* interrogâsse legimus. 1 *Sam.* 23. 2. 2 *Sam.* 5. 19. 1 *Chron.* 14. 14. 1 *Sam.* 30. 8.

Quò verò populi Duces Oraculum hoc juxta legis divinæ præscriptum consulerent, ipsos pontifices, seu eorum vices gerentes, indivisos castrorum

comites [a] reperiamus. Nam *Abiathar* ad *Davidem*, in armis jam agentem, cum *Ephode* in manu suâ descendisse dicitur, 1 *Sam.* 23. 8. Et cùm *Saulus* signa infesta in *Philistæos* moveret, postquam Historicus sacer quo loco res suæ essent & qualem militum manum haberet, enarrâsset, addit Et *Achijah*, *Sacerdos Domini* (quasi de more seculi) *portabat Ephod*; quo nomine intelligendum venit & *Urim*, ab eo nunquam separatum, 1 *Sam.* 14. 3. Huic affine exemplum occurrit, *Numer.* 31. 6. *Misitque eos* Moses, *mille ex singulis tribubus, eos &* Phinees *filium* Eleazar *Sacerdotis, ad prælium, & Vasa sanctitatis erant in manu ejus.* Ubi per *Vasa sanctitatis*, instrumenta illa, mole perexigua, [*Ephod, Urim & Pectorale*] ad Dei responsa petendum comparata; si quando res suæ loco ancipiti & incerto essent, intelligenda esse, fusiùs, [b] cùm se dabit occasio, probaturi sumus.

[a] Josh. 22. 12, 13.

[b] *V. Cap. 6. Sect. 2.*

Quò minus autem tam eximiæ sanctitatis & prætii vasa, damni quicquam à cœli injuriis paterentur, & ne quis è militum fæce eorum religionem manibus illotis læderet; verisimile est Sacerdotem curâsse, ut in capsulâ aut arcâ, quoad Oraculo opus esset, reconderentur. Cùm enim *Saulus* ad pugnam cum *Philistæis* conserendam in procinctu jam staret, 1 *Sam.* 14. dicit ad *Achijah* Sacerdotem *com.* 18. הגישה ארון האלהים *Admove Arcam Dei*, nempe ut in eo rerum suarum articulo consilium à Deo peteret. Ubi *Sauli* verba non possumus de *Arcâ* illâ in qua tabulæ legis reponebantur interpretari: cujus rei indè certa fides est, quòd non appelletur ארון ברית אלהים *Arca* fœderis *Domini*, & quòd *Arca* illa non in manibus *Achijæ* tunc temporis fuerit sed in domo

Abina-

Abinadab, 1 *Sam.* 7. neque eam, sine speciali Dei mandato, de loco suo transferre *Israëlitæ* fas habuerint. Probabile est itaque, *arcam* illam de qua *Sauli* sermo intelligendus est, aliam fuisse; quam *Israëlitæ* cùm militiæ vacarent secum ferre soliti erant, ad asservandum in eâ *Ephod*, h. e. Pectorale cum *Urim* & *Thummim*, ut Dei responsa in re incertâ & inopinatâ per ea acciperent. Atque in hac sententiâ LXX fuisse crediderim, nam *Sauli* verba verterunt, Προσάγαγε τὸ ἐφὼδ, *Affer Ephod.* Eam etiam ambabus manibus amplexantur *Abarbanel*, *R. Salomon* & *R. D. Kimchi*, apud *Buxtorfium*, Histor. Arcæ fœderis, cap. 3. quem consulat cui à rebus majoris momenti vacat.

Atque hæc, modò vero consona, rationem unam suggerent, cur *David* quidem Pectoralis Oraculum sæpiuscule consultum iverit, nunquam autem, quod scimus, *Salomon*, quamvis imperii amplioris habenas moderatus fuerit; nempe *Davidem* arduæ & trepidæ belli res intimis animi sensibus anxium frequentiùs habuêre: unde [a] Oraculum illud, utpote ad belli inprimis consilia dirigendum & casus ancipites revelandum institutum, plurimi fecerit & impensè desiderârit. *Salomon* verò nomine, ore & factis pacem præ se ferebat, ideóque credibile est Eum Oraculum illud bellicum minoris habuisse, & illud sub Regis hujusce tempora, qui pacem totus spiravit, primo conticuisse.

[a] *Sortilegis egeant dubii, semperque futuris Casibus ancipites.* — Cato apud Lucan. l. 9

Hîc à me quæret forsitan non nemo, unde factum sit quòd Deus Pontificis *Urim* ad dubia circa res publicas, inprimis verò bellicas, solvenda dederit; cùm Oraculum in Tabernaculo positum sit, unde Deus *Mosi*, (siquando in dubio hæreret) responsa divina ef-

flagitanti, consiliis suis adesse solebat? Sed in facili responsio est: nam Tabernaculum uni alicui loco, eíq; sæpius à militum castris longè dissito, affixum fuit: ideóque cùm *Israelitæ*, mediis hostibus positi, summo in discrimine laborarent, & consilium aut solatium divinum, morâ omni præcisâ, desiderarent; Tabernaculi Oraculum haud adeò commodè eorum desideriis inservire poterat, ac Pontificis *Urim*, quod huc illuc, prout belli ratio postulavit, dimoveri poterat. Deinde, soli *Mosi* is honos contigisse videtur, ut Deum è Tabernaculo, (Majestatis suæ solio) & quasi facie ad faciem, alloquentem audiret: nam præter *Mosen*, nullum ab Oraculo illo responsa expectâsse aut accepisse legimus. Præterea, eam rerum legem atque ordinem apud suos statuisse videtur Deus, ut è Tabernaculi Oraculo perpetuæ cultûs & justitiæ regulæ, & placita sua in casibus lege omissis, traderentur; ut Oraculum per *Urim* ad Dei consilia, circa res publicum spectantes & ex improviso provenientes, populo deferenda inserviret; & ut homines privati de suis minoris loci rebus (quales sunt morbi eventus, asini deperditi, & hujusmodi) responsa divina à Prophetis, Oraculis illis ambulantibus, peterent. Ideo verò tam varii generis & muneris Oracula prophetiásque suis indulsit Deus; (si rem hanc conjecturæ committere liceat) ne scilicet *Ecclesia Dei* apud *Israëlitas*, Oraculorum & Prophetiarum minus fœcunda quàm *Synagoga Satanæ* apud *Ægyptios* crederetur. Nam *in omnibus ferè Ægypti Nomis* inquit [a] Kircherus, *Oraculum fuisse reperio, à quo responsa de variis eventibus acciperent consulentes: neque tamen singula Oracula de singulis sibi propositis respondebant, sed de rebus*

[a] Oedip. Aegypt Class. 11. p. 441.

bus solummodo eorum naturæ consentaneis Hoc pacto Serapidis *Oraculum circa ea quæ terræ cultum concernebant*, Anubidis *circa ea quæ scientias*, Hori *circa ea quæ bona corporis & animæ*, Isidis *circa ea quæ* Nilum *aut fœcunditatem concernebant, consulebatur.* Neq; ratio dubitandi subest, quin criticus & curiosus ille Oraculorum usus, à primis usque idololatriæ incunabulis apud *Ægyptios*, ingeniosè semper delirare solitos, obtinuerit.

Tertiò. *Pontificis* Urim *in hujusce* Στοχαστείας *pignus, symbolum & testimonium à Deo datum fuerat.* Oraculum in Tabernaculo posuit ut se *DEUM Israelis*, Oraculum verò in Pectorali ut Se *REGEM* etiam, & rerum suarum curam gerere, iisque perpetuò invigilare, populo suo clarè testaretur.

Neque est quòd de assertionis illius veritate quispiam ambigat, cùm Deus, durante divinâ illâ politiâ, de rerum summâ, de belli casibus & regni gravioribus, responsa per *Urim* penè semper dederit; & primis tantùm regni sui Ministris, si quando consilii inopes aut futurorum ambigui essent, Oraculum illud consulendi potestatem fecerit.

Eandem etiam sententiam firmat perpetuum Oraculi hujusce, à primo illius defectu, silentium. Nam sub novâ *Christi* Oeconomiâ, singuli illi revelationum divinarum modi, quorum ante paucas paginas memini, postliminio redierunt: *Prophetia* in Apostolis, aliisq; revixit denuò; Πνεῦμα ἅγιον, quo afflante hymnos è vestigio Deo canere, Scripturas mente non errante interpretari poterant, non paucis concessum, testante Scripturâ, *Joan.* 7. 39. & 13. *Mar.* 11. Sed & *Bath Col*, Vox de cœlo, sæpius *Christo*, *S. Johanni*, & *S. Paulo* facta est: hæc enim revelationum cœlestium genera Oeconomiæ *Mosaicæ* & *Christianæ* meridiano

ridiano ex æquo inservire poterant. Solas revelationes per *Urim* olim datas, diu ante *Christi* adventum cecidisse, nunquam verò rediisse constat: quid verò, nisi quòd imperii illius divini pignora & testimonia fuerint, cujus nè vestigium vel umbra, *Christo* in terris agente, superfuerit?

Præterea, Oraculum hoc in finem & usum modò memoratum à Deo datum fuisse, indicio est quòd cum ipsâ hâc Theocratiâ initium acceperit, & eâ prorsus expirante evanuerit. Illam autem cœlestem regiminis formam cum ipsa *Hebræorum* Rep. & Lege in *Sinai* promulgatâ ortum habuisse, neminem latet in Sacris Literis vel mediocriter versatum: eam etiam imminutam plurimùm & morti proximam, cùm *Deus Saulum* & *Davidem* ad rerum arbitria evocâsset, non immeritò asseramus: sub *Salomone* verò, qui primus principatum jure hæreditario tenuit, eam extremum quasi spiritum efflâsse non sine ratione arbitramur. Cùm enim imperii jura, nascendi sorte, non (prout *Judicum* seculo) calculo divino hominibus contigerant, eo manifestum erat Potestatem Regiam in *Davidis* familiâ firmatam fuisse, Deum solio suo civili cessisse, & Regis politici personam & jura penitus deposuisse.

Jam verò (ut in callem redeam) Oraculum τῦ *URIM* eandem cum sacro illo imperio Epocham sortitum, utrumque sub idem tempus natum & denatum fuisse, haud levibus adducti rationum momentis assentimur. Nam *DEUM* per Prophetas quidem, visiones & voces cœlitus emissas, consilia sua cum Patribus antiquissimis communicâsse, in aperto est: de oraculis verò publicum spectantibus, per Pontificis alicujus *Urim*, ante Legem conditam datis, Sacræ Literæ

teræ altum silent. Nec postquam natalium jure *Judæorum* Reges Solium occupârant, quenquam Deum per *Urim* consuluisse aut Eum ità respondisse reperiamus. Deum quidem à *Josuæ* ad *Davidis* tempora, sæpius (ni fide meâ docti abutantur) per *Urim*, rarò autem per *Prophetas* voluntatem suam de re aliquâ unde salus populi pendebat, revelavit: at seculis sequentibus, cùm Deus Regis civilis partes agere penè desiisset, Eum quandóque per Prophetas nunquam per *Ephod* consilia de Regni rebus tradidisse legimus. Et certè ipsa rerum gestarum conditio, cùm primùm ad *Salomonem* regni jura delata fuerant, argumento satìs luculento est Deum Pectoralis Oraculo, sub imperii sui initia silentium perpetuum indixisse. Tunc enim Pontifex *Abiathar* aliíque se læsæ Majestatis crimine imprudentes obstrinxêre: quod forsan nunquam admissuri essent, modò Oraculum hoc ad manum habuissent, è cujus infallibili responso lites & dubia omnia de vero regni hærede dirimi poterant & determinari. Sed nec veri imaginem aliquam præfert *Salomonem* [a] *Abiatharem* Pontificis loco & dignitate, exemplo planè novo, dejicere voluisse, si vocale adhuc Pectoralis sui Oraculum, quod eximiam Pontifici venerationem & Majestatem Regiæ proximam addere solebat, tunc temporis superfuisset. Deinde, ex eo etiam adducor ut sentiam Pectoralis Oraculum sub prima *Salomonis* tempora siluisse, quòd primariæ illius institutioni & usui cum ipsâ regiminis formâ & conditione quam *Israëlitæ* postulârunt, malè conveniret. Nam illi Regem sibi præponendum desiderârunt ככל הגוים *Sicut omnes* in terræ confinio *gentes*, hoc est, (prout verba & mentem eorum interpretatur

[a] 1 Reg. 2. 27.

[a] *Abra-*

[a] *In Comment. in 1 Sam. 8.*

[a] *Abravanel*) שיהיה המלך יכול בהחלט *qui Rex esset simplicem & absolutam habens potestatem*: qui scilicet pro arbitrio suo, Regum vicinorum more, leges ferre, Magistratus subsellii inferioris creare, bella gerere posset, non Dei multò minus populi suffragium expectans. Quo jure Regio *Saulum*, *Davidem*, 2 Sam. 11. 1. alióſq; reges, nullos autem è *Judicum* ordine, usos fuisse constat. At potestas illa regia, cui leges & consilia nulla extra Principis ipsius animum modum & limites posuêre, cum primaria τῆ *Urim* instituendi ratione, ejúsque usu quem Deus præscripsit, adversâ fronte pugnare censeatur. Ideo enim *Urim* Oracula reddendi facultate donatum fuit, ut indè populi Præsides Dei consilium in rebus difficilibus & impeditis explorarent, nec quicquam propriis tantùm auspiciis aggrederentur. Nam *DEUS Josuæ* vel ulli qui *Judicum* tantùm locum & titulum tenuit fas esse noluit, *ingredi* aut *egredi*, i. genti alicui bellum indicere, aut in regni arduis quicquam pro arbitrio suo statuere: sed Pontificis Oraculum scisciteri, &, prout illud annueret vel inhiberet, consilia & actiones suas omnes tanquam per cœlestem Cynosuram dirigere tenebantur. Pontifex fuit [b] *Abel* ille quem in consilium advocabant priùs, *& sic rem omnem* graviorem *perficiebant:* prout patet è *Num.* 27. 21. Neq; argumentum hoc vanum & elumbe arguit, quòd *Saulum* & *Davidem*, quamvis cum imperio & jure regio *Israëlitis* præessent, pectoralis Oraculum, prout *Josuæ* aliique, consuluisse, & res suas illius sententiæ permisisse constet: nam *Saulus* & *David* non erant Reges nati, sed à Deo designati; unde patet divinam illam quam dixi Oeconomiam, tunc temporis, quanquam

[b] 2 Sam. 20. 18.

quanquam morituram quidem, haud prorſus expiráſſe.

Hiſce omnibus ponderis nonnihil addit, quòd ipſum Pontificem *Hilkiam*, cùm grave regni dubium eum atque alios ſollicitum & ſuſpenſum teneret, *Huldam* Prophetiſſam, conſilii impetrandi gratiâ, adiiſſe legamus, 2 *Chron.* 34. 21, 22. quod ſanè factum officio & dignitati ſuæ minus conſentaneum fuiſſet, ſi Pectoralis Oraculum ſuo ſaltem tempore non conticuiſſet. *Hebræorum* itaque Magiſtris (in quorum verba jurant *Galatinus*, *Serrarius*, aliíque longè plurimi) ſuffragari non auſim, qui Oraculum hoc in captivitate *Babylonicâ* primùm ceſsâſſe contendunt. Veritati propiùs videtur, quòd per eadem tempora quibus & *Theocratia*, cui miniſtravit, è rebus ſublatum fuerit. Atque hinc factum eſt, ſi quid conjecturâ valeo, quòd quamvis *Judæi* moderni morum aliorum, qui apud ſuos ante *Chriſti* tempora inoleverant, traditiones probabiles & ſecum conſtantes retinuerint; nil niſi fabulas aniles & dogmata cum Scripturis & ſemetipſis malè convenientia, de hoc Oraculo verba facturi, in medium proferant. Nempe tot ſecula à noviſſimo illius uſu elapſa, in quibus Judæi varias fortunæ vices experti ſunt, & res eorum afflictæ & fractæ adeò fuerint, facilè Oraculi hujuſce, præ aliis inſtitutis *Moſaicis*, memoriam & ſcientiam planè omnem delere poterant.

Si hæc omnia ritè perpendamus, erit cur ſentiamus *Moſen* in hoc Textu *Urim* Pontifici precatum fuiſſe, non tam Oraculi aut Pontificis ipſius cauſa, quàm divini illius regiminis, cujus Oraculum illud perpetuum extare voluit pignus & teſtimonium. Nec ſanè majus quicquam *Genti Iſraeliticæ*, vix poſt animam

ſuam

suam sibi charæ, comprecari potuit, quàm ut *DEO OPT. MAXIMO*, qui Regis nomen summâ cum benignitate semper exercuit, judicia per Sacerdotis manum tradente in omne ævum frueretur. Haud ignarus erat *Moses* quanta malorum moles *Israelitis* impenderet modò Regis alicujus imperio subessent, qualis apud Gentes Orientales (quæ addictè admodum regnabantur) contra cujus pro arbitrio illatas injurias nulla populo potestas relicta foret.

CAP. III.

De loco in Pectorali quem Urim & Thummim occupârunt.

LOcus in Pectorali hisce *Urim* & *Thummim* à Deo assignatus, proximo succedit expediendus. Hanc provinciam quo fœliciùs omem, nonnulla de Pectoralis ipsius fabricâ in anteceſſum sunt prælibanda.

Nil hîc attinet de illius annulis, vittis, nominis origine, catenulis & uncinis quibus *Ephodi* affabrè conjungebatur, fusè disserere. Satis in præsens est dicere, quòd pannus fuerit duplicatus è cordis regione suspensus, palmi amplitudine quadrangulus, & gemmis, duodecim Tribuum nomina inscriptis, distinctus. Hanc formam disertum Legis præscriptum postulavit, *Exod.* 28. 16. *Quadratum facies illud* [Pectorale] *& duplex:* זרת *palmus illius erit longitudo, & palmus illius latitudo.* Ubi palmus intelligi debet de majore palmo, qui cum spithamâ idem est: nam זרת suffragantibus *Hebræorum* filiis, est mensura quæ tribus constat טפחים palmis, & digitis expansis notatur, ab extremo pollicis usque ad minimi extremum. Huic sententiæ fidem

fidem addunt verba רפס LXX. in loc. καὶ σπιθαμῆς τὸ μῆκος αὐτῆς, & *Josephi* asserentis *lacunam quandam in* Ephode *circa medium pectus relictam, cui frustum, σπιθαμῆς τὸ μέγεθος, palmi amplitudine inserebatur.* Antiq. lib. 3. c. 8.

Aliam insuper è *Judæorum* fide circumstantiam adjicit *Arias Montanus*, in *Antiquit. Judaic. lib. 6.* minimè profectò oscitanter prætereundam: Eam verò sic propriis verbis ipse referat. *Erat Pectorale ejusdem operis & artificii cum* Ephod, *nec tamen simplex sed duplex*, i. *geminum, ut ex tribus lateribus altera pars alteri commissa esset, ex uno autem laterum, dextro videlicet, apertum, quò aliquid in illo ornamento inferri posset.*

Jam verò minimè cunctanter assero, *Urim* & *Thummim* per apertum duplicati Pectoralis latus immissa, concavum illius medium occupâsse. Cùm enim λόγιον duplex factum esset, ut penè formam crumenæ exprimeret, latera habens omnia ad majoris palmi mensuras ampla, sacra illa instrumenta intra concavam illam duplicitatem, capacem adeò, facilè recondi poterant. Nec profectò vel divinando assequi quis valeat, ubinam nisi intra amplas illas Pectoralis plicaturas disponerentur; aut cui usui inane illud palmaris undiq; latitudinis, nisi organis illis ibi reponendis inserviret. Neque enim credere par est, quod nonnullis placuit, eâ tantùm ratione duplex factum fuisse Pectorale, ut indè oneri duodecim lapillorum sustentando par esse posset: è materiâ enim firmâ & fidâ adeò (auro nempe, purpurâ, byssо retortâ, & similibus) conflatum fuit, quòd nulla metuendi ratio suberat, ne Pectorali nisi duplicato fissuras crearent gemmæ; cùm præsertim istiusmodi lapides pretiosi vix nucis parvulæ molem superare soleant.

Neque

Neque est quòd hoc inter placita mea & pro arbitrio ficta reponat quispiam: idem enim concepta Textûs verba mihi extra omnem dubitationis aleam ponere videntur. Postquam enim leges tulisset Deus, *Exod.* 28. de Pectoralis materiâ, mensuris, & lapillis duodecim in parte ejus anteriore ordine disponendis; addit insuper *com.* 30. *Et dabis* אל־החשן *in Pectorale judicii Urim & Thummim. IN illud* consultus transtuli, cùm similis sit hæc loquendi formula, ei quæ occurrit, *Exod.* 25. 16. *Et dabis* אל־הארן *IN Arcam, Testimonium*: Deinde, *Chaldæus Paraphrastes* exponit אל־חשן *per* בחושא *in Pectorale.* Nec novum est ut particula אֶל vices expleat ב deservientis, & *in* aut *inter* significet, ut *Genes.* 49. 29. *Sepelite me cum patribus meis,* אל *in spelunca*: Psal. 104. 22. *Cubabunt* אל *in habitaculo suo.* 1 Sam. 10. 22. *Ecce absconditus est* אל *in vasis, seu, intra vasa.* Hujus rei exempla non è manu sed quasi è sinu, curiosis dabit *Mercerus* in Lexic. p. 104.

Nè verò sententia hæc é tenui tantùm authoritatis meæ filo, aut ambiguo Scripturæ sensu, suspensa credatur; addo insuper, quòd docti penè omnes, nisi qui *Talmudistarum* opinioni de naturâ *Urim* manus dederint, quamvis cætera diversi, mecum de loco in Pectorali τῷ *Urim* dato cogitent. Rabbini, [a] *Schindlero* teste, sentiunt *Urim* fuisse *quandam Scripturam, vel nominis* יהוה *vel rei alterius, Pectoralis duplo insertam.* Certè ab eâ sententiâ alienus non erat *R. Levi Ben Gerson,* [à *Buxtorfio* laudatus, in *Exercit. pag.* 281.] ità scribens; *Quia* Moses *post insertos Pectorali lapides pretiosos, jubetur eidem indere Urim & Thummim, hoc facit nos credere* כי האורים והתומים היה דבר נתן משה אל חשן ובו *quòd Urim*

[a] *In voc.* אור

Urim & Thummim fuerint quidpiam, quod Moſes *Pectorali indidit, ad eum modum quo tabulas indidit in Arcam, quia utrinque eadem phraſis* ונתת אל *adhibetur*, &c. Aſſerit etiam *Arias Montanus*, loco jam laudato, *Urim & Thummim rem quandam fuiſſe multiplici figurâ diſtinctam, quæ inter utramque Rationalis partem inferebatur, ibidémque ſervata Sacerdotis hærebat pectori.* Et (ut alios taceam) doctiſſimus noſter *Prideauxius*, Orat. 2. de Veſtibus Aaronis, ſic ſenſum noſtrum effert, verbis magis diſertis & dictatoriis: *Sufficit obſervâſſe* Urim & Thummim *à Deo tradita, à* Moſe *recepta, & inter Rationalis duplicitatem, veluti in thecâ quâdam fuiſſe incluſa.* Atque hoc unum de Oraculo noſtro certum fixúmque habuit, reliqua de eo omnia nocte mediâ obſcuriora: addit enim, *Ultra qui temere quid aſſeruerit, videat ne venditando ſcientiam, tam imperitis quàm peritioribus ludibrium debeat.* Pace tamen hujuſce inter literatos *Herculis* ultra columnas ab Eo nobis poſitas, non tam de famâ folliciti quàm veritate, pedem proferre non dubitabimus.

Urim & *Thummim* interiora Pectoralis tenuiſſe, rationes allatæ animum inducunt ut credam; quibus etiam vires addunt plurima alia de quibus aptior ſe dabit in ſequentibus dicendi locus. Cur autem hunc locum iis ſactum voluit Deus, quantum conjecturâ aſſequi datur, alibi dicturi ſumus.

CAP. IV.

De Naturâ & Origine Urim & Thummim.

IN hoc dubio & tenebris denſioribus involuto quod jam verſamus Argumento, minus nobis negotii faceſſet

ſet forſan Naturam Rerum quam Originem nominum in lucem proferre. Logicorum itaque legibus me minimè teneri velim ad nominis rationem reddendam priùs, in cujus ſcientiam (niſi me fallam) per rei naturam antea cognitam, tanquam cynoſuram maximè fidam dirigamur.

SECT. I.

Generalia quædam de illorum naturâ præmittuntur.

QUò quaſi initiati ad ſacram Oraculi hujuſce naturam contemplandam accedamus, & viam eò magis fidam & expeditam ſequentibus præſtruamus, è re noſtra fuerit auſpicium à generalibus quibuſdam ſumere.

Aſſero itaque Primò, *Urim, ſi minus & Thummim, res quaſdam fuiſſe apprimè cognitas*, ſaltem quoad ſubſtantiam & uſum, *diu antequam ea in ornamentorum Sacerdotalium locum & ſanctitatem vocâſſet Deus*: è longo videlicet uſu, à primis forſan à diluvio ſeculis, inter quamplurimos *Noæ* filios, invaleſcente. Neque eſt quòd me ſomnia mea vigilantibus jam narrare cenſeat quiſpiam: nam Lex *Moſis*, (quæ de minimis circa ſacra curare, nec vel minutias & apiculas cultûs ceremonialis in Sacerdotis aut Populi arbitrio ponere ſolet) omnino nihil de illorum formâ, materiâ vel numero monet. Prout itaque quum in mandatis dederit Deus *Moſi*, ut aureos quoſdam *Cherubos* in Tabernaculi uſum fingeret, de quorum tamen menſuris vel formis nihil in Lege curatum legimus, non temere inferunt viri quidam docti eorum figuras *Moſi* & populo diu antea innotuiſſe, ex antiquo forſan uſu non diſſimilium

diſſimilium figurarum in ſymbolicâ theologiâ aut cultu myſtico *Ægyptiorum* vel Patriarcharum vigente; pari lege & mihi liceat concludere, *Urim & Thummim*, quoad rem ſaltem, conſuetudinem, ipſis idololatriæ vel religionis natalibus coævam, familiaria reddidiſſe; eò quòd legem illam curtam adeò &, ex improviſo additam ferat Deus, [*Et in Pectorali pones Urim & Thummim*] quæ ſingulas penè eorum circumſtantias ſilentio prætereat, nè quicquam extra titulos & locum referens. Ad quid enim eo loquendi compendio uſus fuerit Deus, *Facies Cherubim*, *Pones Urim*; & earum ſolummodo rerum obſcuriores & incertas figuras nullâ verborum luce donatas præterierit, niſi quòd illius ſeculi homines res eas tam probè perſpectas habuerint, quàm generalem *Altaris*, *Sacerdotis* & *Sacrificii* conceptum? cùm præſertim ſummam ἀκριβείαν in ſingulis aliis cultûs ceremonialis apicibus definiendis & deſcribendis adhibuerit. Quæ quidem ſententia & ratio quâ ſuffulta eſt, eò majore apud me gratiâ & authoritate valent, quòd *Medi* noſtri, Viri cum primis docti, ſuffragio utraque cohoneſtata veniant. *Uſus*, inquit ille, Urim & Thummim *inter Patriarchas ante Legem datam obtinuiſſe videtur, quia de eo faciendo inter cætera ad* Ephod *ſpectantia mentio nulla in ſacris occurrat: & quia de illo, ceu de re probè notâ, loquatur Deus more demonſtrativo,* האורים & התמים. Cujus eruditi capitis ſententiam de antiquitate *Urim*, Legis latæ ſeculum multùm ſuperante, totis ulnis amplector: an verò apud Patriarchas *ſolos* locum invenerit, vel eo nomine ante *Moſem* innotuerit, mihi plurimùm, ut molliùs loquar, dubitare ſubit.

Secundó. Urim, *ſi minus &* Thummim, *res quaſdam fuiſſe contendo, per quas, ceu organa vera & proxima,*

xima, (non minùs verè quàm revelationes per Prophetas) Oracula divina ſubinde ederentur. Hujus aſſertionis fides diſertis nititur Scripturæ verbis, in qua Deus *PER Urim* reſpondere dicitur, 1 *Sam.* 28. 6. *Et Eleazar conſilium à Deo petere juxta judicium URIM, Num.* 27. 21. Quæ quidem loquendi formulæ, ni animi fallat, apertè indicant *URIM & THUMMIM* minimè fuiſſe ipſa reſponſa reddita, & nominibus illis inſignita, quod aliquibus placet; ſed nec inſtrumenta quædam ſacramentalia, ad quorum nudam præſentiam, uti aliis viſum, ſed quibus verè mediantibus, coe'l reſponſa Sacerdoti tradebantur.

Tertiò, *Non minùs inter certa ponamus* Urim & Thummim *diverſum quid à lapidibus Pectoralis fuiſſe*; quæ quidem aſſertio firmiſſimis Scripturæ & rationis præſidiis ſubnixa eſt. Nam

(1°) Patet ex *Exodi* 28. *URIM & THUMMIM* Pectorali jam perfecto & abſoluto inſeri debuiſſe: at verò dicti lapides inſerebantur, cùm adhuc Pectorale ſub artificum manu verſaretur; ità ut partes illius fuerint conſtituentes. Poſtquam enim *Moſes* ſermonem ſatis copioſum de Pectoralis fabricâ inſtituiſſet, à *com.* 15. ejuſdem capitis ad *com.* 30. tandem ſubjungit, *Pones autem in Pectorali* (his nempe lapidibus jam recenſitis inſtructo) *Urim & Thummim.*

(2°) Lapides illi titulis tam auguſtis אורים & תמים, *illis καὶ ἐξοχὴν luminibus & perfectionibus*, longè impares & minores videntur. Eorum enim plurimi vel nihil omnino vel non adeò multum lucis & ſplendoris projicere ſolent, nec de eorum tam eximiâ perfectione naturali vel artificiali quicquam in Lege cautum extat.

(3°) Ubicunque de lapidibus iſtis mentio facta eſt, eos

eos in aureis loculis ab [a] Artificibus disposi-
tos fuisse perpetuò legimus: at *Urim* &
Thummim in Pectorali, (prout Tabulæ fœ-
deris in Arca,) à *Mose* solummodo, tanquam sacra-
tius quiddam, ubivis locorum dicuntur collocari. *Exod.* 28. 30. *Levit.* 8. 8.

[a] Exod 39. 10.

(4°) Qui lapides eos & *Urim* res easdem, diversis tantùm nominibus ob fines & usus diversos appellatas fuisse contendunt, non minùs quàm horologia diffident de ratione qua *DEUM* consulentes de Illius responso per eos tradito certi evaderent.

(5°) Textus ipse, quod mihi argumentorum omnium loco est, contrarium pluſquam innuit. Postquam enim *DEUS* verbis bene multis voluntatem suam de lapidibus in Pectoralis palis includendis *Mosi* indicâsset *Exod.* 28. tandem inquit *com.* 30. *Et pones Urim & Thummim in Pectorali.* Nisi verò à gemmis diversum quid essent *Urim* & *Thummim*, ad quid novo mandato caveret ut illa in *Rationali* disponerentur? nempe jam antea in mandatis habuit *Moses*, ut gemmæ in parte illius anteriore nunquam separandæ figerentur. Huic telo hunc sibi clypeum fabricavit *Rivetus* in *Exod.* cap. 28. v. 40. *Est*, inquit, in mandato de *Urim* in Pectorali collocando, ἀνακεφαλαίωσις *sive repetitio ac inculcatio eorum quæ priùs mandata fuerant; ut quod minimè prætereundum aut negligendum erat, bis aut ter inculcaretur. Sed & illud etiam addendum est, fuisse operæ pretium ut in illâ repetitione, usus ille indicaretur, & speciale nomen inderetur huic gemmarum ità dispositarum ordini; nempe quòd futuræ essent* Urim & Thummim, *quoties Deus pro Israële convenienter à Pontifice interrogaretur.* At hæc Viri doctissimi verba vix tenuem veri speciem præferunt: haud enim oscitan-

tem & tardum adeò Dei auditorem *Moſen* ſupponere fas eſt, ut inculcatione indigeret mandati ante pauca tantùm commata fusè traditi. Sed neque res eas quarum memoriam intimis audientium medullis infixam volumus, verbis myſticis (qualia ſunt *Urim* & *Thummim*) ſed magìs apertis & captu facilioribus, inculcare ſolemus. Nec minùs languet & friget repetitionis hujuſce, quam fingit, ratio altera: ad quid enim hæc ſolùm nomina, eáque tali cum emphaſi ſemper propoſita, gemmis hiſce hoc ordine diſpoſitis & in divinandi uſum ordinatis à Deo inderentur? cauſam ſanè nullam docet vel Scriptura vel ratio; quamvìs ingenioſo forſitan (quali nunquam deerunt pulchra figmenta) promptum fuerit ſpecioſam aliquam excogitare, ſi cum *Riveto* ſentiat.

(6) Non deſunt magna quædam nomina quæ huic ſententiæ gratiam ſi minùs & fidem adjiciunt. In primis clari ille apud *Judæos* nominis Magiſter *R. D. Kimchi* lib. *Radic. in voce* אור, ubi hæc habet לא נתברר אצלנו מה הם האורים והתמים כי ירמז לפי הפסוקים שהם רבר אחר זולתי אבני החשן Id eſt, *non ſatìs explicatum eſt apud nos quid ſint* Urim & Thummim, *quoniam ex verſibus biblicis videtur fuiſſe aliud quid præter lapides Pectoralis.* Cum hiſce paria faciunt *Munſteri* verba, *Habuit Pectorale illud ornamentum præter duodecim lapides & nomina filiorum* Iſraël *iis inſcripta,* Urim & Thummim, *quæ lumen & perfectionem ſignificant, ex quibus Sacerdoti ſummo reſponſa dabantur: verùm quales fuerint nemini mortalium conſtat.* Huc etiam tacit quòd codex *Samaritanus* antiquitate venerabilis, *Exod.* 39. v. 10. & ſequentibus, ubi de Pectorali & lapidibus pretioſis eidem inſertis agitur, verſu 22. pleonaſticè recedens à veritate

veritate hebraicâ, tanquam diversam planè à lapidibus istis, assuat fabricam *Urim* & *Thummim*. In textu enim Hebraico ità legimus ויעש את מעיל האפור i. e. *fecit insuper pallium ipsius* Ephod. *In* Samaritano *verò* ויעשו את האורים ואת התמים *Et fecerunt* Urim & Thummim *quemadmodum præcepit Jehovah Mosi, & fecerunt pallium ipsius Ephod.* Gemmas itaque minimè fuisse *Urim & Thümim* pro comperto habeamus.

Quartò. *Hæc Pectoralis complementa duæ tantùm res fuerant, quarum una* Urim, *altera* Thummim *titulo distinguebatur.* Cui sententiæ me firmiter adhærere fateor, quoniam Pectoralis angustiæ ad plura instrumenta, nisi admodum parvula, continendum minimè sufficerent; & quoniam res illæ duæ finibus & officiis omnibus, quibus plures, satis commodè defungi possent. Neque sententiam nostram falsi arguit, quòd res illæ nominibus multitudinis perpetuò efferantur: est enim ex consuetudine linguæ Hebrææ, ut pluralis sæpius usurpetur pro singulari, ut אלהים *Gen.* 18. 3. ארנים *Isa.* 19. 4. Alia exempla occurrunt, *Exod.* 21. 4. *Isa.* 53. 9. *Ezech.* 16. 55. & plura curiosis dabit *Mercerus* in Voce בעל. Hujusce tam frequentis Hebraismi instantias, אורים & תמים statuunt *Theodor. Hackspan. Miscel. Sacr.* l. 1. c. 2. & *Vatablus* in *Exod.* 28. 30. ubi pluralem earum vocum formam nil pensi habens, eas singulariter per *Illuminationem* & *Perfectionem*, interpretatur; & *LXX*, qui voces eas per singularia, Δήλωσιν & Ἀλήθειαν, non semel reddunt. Alias hujus rei rationes satis graves suis in locis reddituri sumus. Ad præsens addidisse sufficiat *S. Hieronymi* & *Augustini* verba. *Est ex more Scripturæ ut unum idolum appellet pluraliter, ut est illud in* Exodo, *de Vitulo*, Hi sunt Dii qui eduxerunt te—— *Et in Regum volu-*

mine, Hieroboam, *ponens aureum vitulum in* Bethel, *idola feciſſe narratur*. Hæc ille in *Daniel*. 3. Cui paria ſuccinit S. *Auguſtinus* in *Locution. in Exod.* l. 2. *Non ſanè locutiones iſtæ reperiuntur ubi pluralis pro ſingulari ponitur: niſi in eo rerum genere in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi poteſt.* Ità *Elohim* de uno idolo quandóque, de *Dagone*, Jud. 16. 23. & *Chemoſh*, 1 Reg. 11. 33. & uno vitulo *dicitur*.

Quintó. *Probabile eſt* Urim & Thummim *res fuiſſe non minùs numero & uſu quàm nomine ab invicem diſtinctas*. Cui quidem ſententiæ non novitatis ſed veritatis ſtudio me animum adjicere, ſequentia evincunt argumenta. (1°.) Eſt ex uſu Scripturæ ſacræ de iis loquentis, ut notas quaſdam, realis diſtinctionis indices, præmittat: in hunc modum, *Et dabis in Pectorali judicii* את האורים ואת־התמים *Exod.* 28. 30. Ubi particulæ ו, את & ה in unâ præſertim periodo ſociatæ, fideliſſimi ſunt rerum ab aliis & à ſe invicem, ratione aliquâ peculiari, ſecretarum teſtes: neque enim opus erat ut eædem diſtinctionis notæ cùm *Urim* tum *Thummim* præfigerentur, ſi nihil aliud fuiſſent niſi duo unius ejuſdémque rei nomina. (2°.) Certò conſtat ex infra dicendis, *Urim* & *Thummim* duarum diverſæ conditionis rerum typos & ſymbola extitiſſe: ideóque ea etiam ſigna fuiſſe numero diſtincta, minimè alienum eſt à veri ſimilitudine; res enim ſignatas eò magis aptè & concinnè exprimerent. (3°.) Cùm de Dei conſilio, mediante *Ephode*, in re dubiâ & difficili cognoſcendo in Scripturis agatur, de ſolo *Urim* factus eſt ſermo. Varios textus hujuſce veritatis ſigilla, occaſione natâ in medium daturi ſumus. Hoc autem innuere videtur *Urim* & *Thummim* res fuiſſe, in Pectorali quidem & myſterii ſignificatione conjunctas,

conjunctas, sed munere & fortasse figurâ dissimiles & separatas. (4°.) Scriptura sacra de iis mentionē faciens, verbo tantùm plurali utitur, *Exod.* 28.30. *Et dabis ad Pectorale judicii, Urim & Thummim,* והיו *& erunt,* &c. Minimè verò credibile est Spiritum Sanctum tantum à receptis apud humanum genus loquendi legibus abire voluisse, ut verbum numeri cum *Urim* & *Thummim* sociaret, si una tantùm res essent nominibus duobus appellata. (5°.) Sacerdos ille apud *Israëlitas,* qui altaribus & sacris cæremoniis præfuit, personam duplicem, Pontificis simul & Judicis supremi, sæpe *de facto,* sæpius *de jure* sustinuit. Ideóq; æquum erat ut duo diversa duplicis sui muneris gestaret symbola: Unum quatenus Pontifex titulo *Urim,* i. *Lumina* decoratum, quod indicio esset Se summi Numinis sacris, à quo uno lumen omne in obscuris petendum & expectandum, operari; Alterum verò quatenus Judex, nomine *Thummim,* i. *Integritates,* notum; eò quòd fides & integritas illibata in Judice præ aliis requiratur. (6°.) Celeberrimi nominis apud *Judæos* Magistri partibus nostris favent: nam *Philo Judæus* de Rationali verba habens, ità loquitur, Ἐπὶ δὲ τοῦ λογείου διττὰ ὑφάσματα κατὰ ποικίλλει, &c. i.e. *Id Rationale geminus textus variat, quorum alter* claritas *appellatur, alter* veritas. *lib.* 2. *de Monarch. p.* 824. à *Philone* in hâc causâ stetit *Aben Ezra* in *Exod.* 28.8. cujus verba, à *Buxtorfio* latinitate donata, sic habent; *Alia restat quæstio,* [num scilicet Urim & Thummim una & eadem res fuerit?] *nam non possumus dicere, quòd Urim fuerint ipsa Thummim; distinctè enim de iis scribitur* לאורים ולתומים Esræ 2. 63. *Et quia Urim & Thummim vocantur, numero plurali, colligimus non rem unam sed multiplicem fuisse.*

Ob rationes allatas ſententia hæc de reali inter *Urim* & *Thummim* diſcrepantiâ intimo noſtro ſedet animo. Neq; mihi (utì ſpero) à tot doctorum ſententiâ hîc, ut alibi, divertenti, parùm modeſti notam inuret quiſpiam; cùm perplexo, lubrico & à fidei fundamentis tam remoto, quo jam verſor argumento, paulò liberiùs ſentiendi, nè dicam & errandi venia debeatur. Atq; hæc ea ſunt quæ prælibanda duxerim, ut legentis animus primâ hâc ſententiæ noſtræ tinctura imbutus, intimiorē illius ſcientiam & fidem eò faciliùs imbibat & altiùs retineat.

Sect. 2.

Specifica natura τῶ Urim *explicatur, cujus gratiâ de conditione antiquorum* Theraphim *fusè diſſeritur.*

SPirante tam ſecundâ rationis aurâ, mens noſtra plenis quaſi velis in hanc fidem fertur, quòd inſignis diſcrepantia inter *Urim* & *Thummim*, non tantùm quoad nominum ſonum & ſenſum, ſed rerum ipſarū uſum, & fortaſſe figuram interceſſerit. Ideóque Argumenti conditio efflagitat, ut de *Urim* ejúſq; naturâ & origine primò, deinde de *Thummim*, ſeorſim diſſeramus.

URIM autem, ut indè auſpicemur, inſtrumentum concavum decorè fabricatum, ([a] ſimulacrum forſan parvulum ad humanam ſimilitudinem formatum) *Theraphim* antiquitus appellatum, fuiſſe videtur; quod reconditum geſtavit Sacerdos intra concavas Rationalis plicaturas; quo mediante Deus, aut angelus Illius vice & nomine, ad Pontificis interrogata reſpondit, eúmq; quid ex uſu eſſet agere, quid non

[a] *In eam ſententiam progredeo ipſe: ſiquem tamen, vulgi præjudiciis mancipatum*, ſimulacri *nomen malè habeat; illius loco inſtrumentum concavum ubiq; (per me licet) ſcriptum putet.* vid. pag. 42. marg.

non agere, quid præsēs, quid futurū, voce formatâ docuit

Sententiam inopinatam adeò & citerioris ævi moribus & cogitationibus alienam, quosdam animo suspenso, alios aversо & iniquo accepturos facili augurio præsentit animus. Proclive enim est, exiguo præsertim rerum usu præditis, exigere præterita ad normam præsentium, nihilq; misi quod apud suos hodie usu receptum est verum aut rectum putare. Exoratum itaque Lectorem velim, ut misso crasso & vulgari illo mentis humanæ idolo (seculi quo jam utimur consuetudine) judiciū suum quasi in æquilibrio tantisper retineat, donec rationū mearum momenta ad opinionis hujusce veritatē astruendā allata, æquâ lance trutinaverit.

Quò verò *Thesi* nostræ sua constet veritas, & lux postea dicendis oriatur, necesse est ut de conditione antiquorum *Theraphim*, de quibus tam frequens in sacris sermo, disquisitione brevi institutâ, Argumento nostro principali præludamus.

Monendum itaque nomen (ut à voce ordiamur) ἐπαμφοτερίζων, id est, nunc in bonum, nunc in malum, prout *Imagines* apud Latinos, accipi. *Theraphim* enim quandoq; pro simulachro tantùm, figuram humanam imitante usurpatur, ut 1 *Sam.* 19. 13. sæpe pro simulachro in usum aliquem religiosum seposito; *Hos.* 3. 4. *Judic.* 17. 5. sæpius autem pro imagine usui idololatrico dicatâ, 1 *Sam.* 15. 23. ideóque prout varia locorum ratio, eorúmque circumstantiæ suadeant, vocem hanc mediam vel de imaginibus in usum civilem formatis, vel de idolis, aut aliâ quâvis humanâ repræsentatione, interpretari liceat.

Misso itaque nomine, tanquam malè fido rei ipsius interprete, illius naturam sic rudi penicillo adumbrare

brare poſſimus. *Theraphim erant* * *ſimulacra quædam parvula, ſeculis antiquiſſimis frequenti in uſu, in ſacris plurimùm ædiculis ſepoſita; quæ Spiritûs cujuſdam, ſæpius impuri, præſentiâ animata, oracula fundere ſolebant.*

Nè verò deſcriptio jam tradita è noſtrâ tantùm penu, ut *hypotheſi* quæ nos tenet inſerviat, deprompta videatur, partes ſuas argumentis & teſtimoniis, quæ omnẽ præſcindãt dubitãdi ansã, firmare conabimur

Primò itaque, aſſeruimus *Theraphim* ſimulacra fuiſſe mole perquam exigua. Nec temere: nam aliter *Rachelis* vires τοῖς *Theraphim*, quæ Patri ſuo furtim ſubduxerat, in itinere ferendis impares fuiſſent; nec ea ſub exiguò corporis ſui tegumento diſſimulare, os Patris ea ſedulò quærentis tam facilè ſublinere, & *Jacobum* ipſum, itineris comitem, ea tam diu celare potuiſſet. Cui argumento virium & fiduciæ nonnihil addunt eruditi *Riveti*, in eandem hiſtoriolam ità diſſerentis, verba. *Apparet ex toto contextu, formas aut figuras illas, Theraphim, fuiſſe parvas, & quæ facilè occuliari poſſent: quales ſunt imagunculæ quibus virgines in ætate infantili ludere ſolent.* Hæc ille, in Geneſ. 31. Ab illis non multùm abludunt Cl. noſtri *Medi* verba, quæ quâ poſſum fide ex Anglicanis Latina faciam: *Theraphim, conſentientibus Judæis aliiſque, fuerunt imagines perexiguæ, in certo ſyderum concurſu compoſitæ, quibus olim ad conſulendum uſi ſunt in rebus vel dubiis vel futuris; ob virtutem fatidicam ex influentiâ quâdam cæleſti (uti vulgò creditum) in illas derivatam: quarum & ſimilitudinem ferunt imagunculæ illæ è cerâ vel ſimili*

* *Ità quidẽ à LXX, Chald. Par. aliiſque (quibus & ipſe accedo) appellari ſolent. Quoniam tamen* imagines *in ſacro Textu nuſquã vocentur, Lectori integrũ ſit* Theraphim (*prout & Urim cui anſam dedêre*) *inſtrumentis concavis aut ſimulacris parvulis annumerare.*

mili materiâ fictæ, quibus veneficæ in finem non dissimilem etiamnum utuntur. Eidem sententiæ calculum dedit Scriptor nuperrimus, qui nomen inter literatos meruit: *Theraphim,* inquit ille, *erant genus tantùm simulachrorum parvulorum & portatu facilium; larium instar & penatum domesticorum.* Hisce omnibus veri colorem allinit Chaldæus Paraph. (*Theraphim* תראין *imagunculas* quandóque transferens) & historia *Levitæ* fugam à *Michæ* domo adornantis, *Judic.* 18.20. Ubi legimus quòd illius *Ephod* & *Theraphim, sculptile & conflatile,* morâ omni præcisâ, secum asportaverit: quæ sanè omnia, si justo grandiora, humeri sui ferre recusâssent. Hæc etiam firmant (modò ipsa sint firma) *Kircheri* verba, *Oedip. Ægypt.* Tom. 1. Syntag. 4. c. 3. *Idola* Theraphim *ferè semper formâ fasciis involuti pueri & ad portandum idonea apparabantur: hinc sine manibus & pedibus ferè videntur constructa; timebant enim* Ægyptii *maximè simulachrorum defectum ex ruptura quâpiam pervenientem: cujusmodi figuram quoque habuisse* Serapes [quas res easdem sub diverso nomine fuisse, indè colligit] *testantur statuunculæ illæ partim fictiles, partim lapideæ & ligneæ, quarum ingens copia quotannis a Mercatoribus ex antiquis* Ægyptiorum *monumentis eruta, in* Europam *devehitur.* In hujusmodi simulachrorum censum referre licet icunculam illam quam *Nero,* si *Suetonio* credamus, penes se habere jactitavit, cujus monitu se futurorum scientiam assecutum credi voluit. Ejusmodi etiam familiæ fuisse videntur ξόανα illa, i. e. simulachra brevia apud Latinos, *quæ à veteribus quondam in lecticis portabantur, (Autore Servio. Æneid. 6.) & ab ipsis mota effundebant vaticinationem.* Neutiquam inficias iverim sua fuisse Gentibus, ut Majorum gentium Deos, ità & majoris

molis

molis ſimulachra, Deorum reſponſis tradendis inſervientia: in quorum numerum facilè crediderim inclytam illam *Memnonis* ſtatuam, vocalem factam, cùm primùm Solis, quem *Ægyptii* coluêre, percuſſam radiis, aſcribendam eſſe. Horum verò pleraque, utpote templis forſan & locis publicis affixa, cùm non ſemper præſtò eſſent, quò cultum iis deferre aut Deorum reſponſa ex iis petere liceret, imagunculas haſce, Majorum quaſi vicarias, excogitâſſe videntur.

Secundó. Aſſerui etiam *Theraphim* imagines fuiſſe unde Oracula & ſortes divinæ ducerentur. Huic rei (quam nonnulli fidei expertem habent & penè impoſſibilem) teſtimonium perhibent Scriptores Θεόπνευστοι. Nam legimus *Ezech.* 21. 21. *regem Babylonis*, (cùm res ſuæ ſtatu lubrico & incerto eſſent) *in capite duarum viarum ſtetiſſe*; τῇ μαντεύσασθαι μαντείαν καὶ ἐπερωτῆσαι בתרפים ὃν τοῖς γλυπτοῖς, prout LXX transferunt. Quod ſanè Regis factum ſtultitiæ maximæ non immeritò damnari poſſet, niſi malè ſagax Dæmon, oraculis è *Theraphim* quandoque datis, ſpem credùli Principis lactâſſet. *Zechariah* etiam de *Theraphim* teſtatum reliquit, cap. 10. 2. quòd (etiamſi *vanitatis* verba) ſubinde loquerentur. Hinc factum quòd cum *Pythonibus* & *Ariolis*, qui divinandi facultatem præ ſe ferebant, *Theraphim*, ceu res loci & facultatis conſimilis, numerentur, 2 *Reg.* 23. 24. Atque hanc de ſimulachris hiſce ſententiam ſuffragiis ſuis ornare & ratam facere videntur antiquiſſimi Scripturarum Interpretes. Nam à LXX τοῖς *Theraphim*, Δῆλοι, i. *manifeſtationes* appellatio facta eſt, *Hoſ.* 3. 4. ab iis etiam vocantur οἱ ἀποφθεγγόμενοι, i. e. *breviter & concisè loquentes*, Zech. 10. 2. quâ voce concinnè exprimunt Oraculorum indè per Dæmonem editorum ingenium,

ingenium, quæ ſemper concisè ideóque ſæpius ambiguè tradebantur. *Targum Hoſeæ*, *Theraphim*, loco jam dicto, per מחוי i. e. *indicantes* vel *annunciantes*, nimirum futura & arcana, interpretatur. *Aquila* etiam (ni *D. Hieronymi* locum illum explicantis verba malè capiam) *Theraphim* φωτισμὺς, i. e. *illuminationes* transtulit. *Quiſquis autem* (ut *Seldenus* noſter pro me paucula loquatur) *Theraphim* δήλως, ἀποφθεγμάτως מחוי & φωτισμὺς *cenſet jure appellanda; & prædicendi futura ſive futura monſtrandi in iis fatetur ſimul facultatem*, id eſt, δήλως eſſe τῆς ἀληθείας: *quo nomine vocantur etiam* Urim *&* Thummim, *quorum ſanctitatem* Theraphim *ſimulabant.* Hæc habet *de Diis Syr. Syntag. 1. Cap. 2.* Suo etiam puncto eandem ſententiam comprobat *Elias Levita in Thisbit.* ubi de *Theraphim* loquens, fuiſſe aſſerit צלמים המגידים עתידות i. e. *Imagines quæ futura nunciabant.* Nobiſcum etiam faciunt R. *Elieſar*, R. *Salomon*, R. *David*, *K.* R. *Abraham*, R. *Levi ben Gerſon*, *Aben Ezra*, R. *Moſ. ben Maimon*, R. *Moſes ben Nachman.* Quorum omnium teſtimonia fusè tradita, apud *Buxtorfium*, in Lexic. Talmud. p. 2661 & 2662. videat Lector, quem ipſa eorum verba conſulere voluptas per horas ſucciſivas ſollicitat. Nil opus ut hoc Argumentum legentis otio vel ſcribentis operâ ultra abutatur, cùm ſententiæ contrariæ fautores ſint מתי מספר *homines numeri*, i. e. pauci & facilè numerabiles. Si enim demas unum & alterum heſterni nominis ſcriptorculum, nemo quiſquam eſt qui uſum & facultatem תרפים *Theraphim* fatidicam in dubium vocaverit.

Tertiò. Diximus etiam hujuſmodi imaginum propheticarum uſum ſeculis antiquiſſimis obtinuiſſe. Nec immeritò: cùm ipſe *Laban* per *Theraphim*, quorum

itaque

itaque tantò zelo & desiderio flagravit, divinâsse vulgò credatur. *Maimonides* etiam hujusmodi simulachra futurorum conscia apud vetustissimi nominis gentes, *Zabios* sive *Chaldæos*, fidem & pretium inveniſſe, memoriæ consignavit. *Mor. Nevoc. P. 3. c. 29. Erexerunt* inquit *stellis imagines, & Soli quidem imagines aureas, Lunæ verò argenteas --- Deinde sacella ædificaverunt, imaginésque in illis collocârunt, arbitrantes vires stellarum influere in illas imagines, eásque intelligendi virtutem habere, hominibus prophetiæ donum largiri, ac denique, quæ ipsis utilia & salutaria sunt indicare.*

Harum imaginum originem primam nonnulli *Mercurio Trismegisto*, venerabili illi ob summam antiquitatem & sapientiam apud *Ægyptios* capiti, tribuendam sentiunt. Eum enim nullis non laudibus hujusmodi simulacra in *Asclepio* suo Cap. 9. sic efferentem legimus: *Statuas, ô* Asclepi, *vidésne quatenus tu ipse diffidas, statuas animatas, sensu & spiritu plenas, tanta & talia facientes, statuas futurorum præscias*, &c. Librum autem illum, tanquam genuinam *Trismegisti* sobolem *Kircherus* fide & affectu propensissimo amplectitur & exosculatur; eorúmque *insolentem & intolerabilem*[a] *ostentationem, ingenium arrogans & temerarium* mordaci castigat Satyrâ, qui authoris illius canitiem negligunt, & libro ei, tanquam ab impostore aliquo edito, fidem omnem abrogant. Utcunque librum eum alióque omnes qui magnum *Trismegisti* nomen præferunt, ceu fœtus spurios exponunt viri docti quamplurimi, & sub exeuntis gentilismi tempora scriptos, quamvis vetustissimi illius nominis hederâ suspensâ venum expositos, arbitrantur: cùm scilicet imaginem veterum magicarum

[a] *Obelisc. Pamphil. l. 1. c. 3.*

gicarum ludibria, Diabolus, ut Oraculorum jam deficientium desiderium apud ſuos levaret, nullâ non arte & fraude ſtuderet revocare. Minùs itaque à vero diſtare credimus ſententiam, tot doctorum ſuffragiis ſancitam, quæ imagines iſtas oracula fundentes antiquiſſimæ memoriæ populis, *Amorrhæis*, *Chaldæis* aut *Syris* inventas refert. Nomen enim *Theraphim*, non origine *Ægyptiacâ* (quod *Kircherus* contendit) ſed *Chaldaicâ* aut *Syriacâ* oriundum, ſuo in loco palàm facturi ſumus. Deinde, idololatriam primos apud *Chaldæos* natales accepiſſe, apud omnes in confeſſo eſt: nihil autem tantæ efficaciæ à [a] Diabolo fingi potuit ad eorum animos ad idolorum cultum alliciendos, quàm quòd præſentiâ Numinis alicujus animari & dubia ſua de futuro ſolvere poſſe viderentur. Nam *Amaſiam*, hâc ſolâ ratione, *quòd ea reſponſa dare videret*, [b] idola filiorum *Seir*, quorum copias fregerat, adorâſſe refert *D. Hieronymus* in *Tradit. Hebraic.* p. m. 120. Sed non opus eſt ut controverſiam illam, de prima *Theraphim* origine, inter ſummos viros hactenus ventilatam, noſtram faciamus: cùm enim è doctis alii ea à *Nachor* & *Serug* derivent; à *Zoroaſtre*, *Triſmegiſto*, & *Chamo* alii, aliqui ab *Ægyptiis*, alii denique à *Syris* aut *Babyloniis*: cauſam noſtram ſatìs promovet, quòd ea ſeculis *Moſis* tempora plurimùm ſuperantibus in uſum veniſſe, doctorum omnium conſenſu comprobatum ſit.

[a] *Præcipuum medium quo nominis ſui cultum Orbi olim inculcare laboravit Cacodæmon, reſponſa fuêre, quæ vel è terræ cavernis, vel mutis ſtatuis edebantur.* Theoph. Spizel. de re liter. Sinens. Sect. 10.

[b] 2 Chr. 25. 14.

Quartò. Id etiam de ſimulachris iſtis, quæ Oraculorum officio fungebantur, dicendum habui; quòd in ædiculis Numini alicui ſacratis plurimùm ſeponerentur.

tur. Nam *Maimonidem* jam nunc referentem audivimus homines *Abrahami* ſeculo ſecundùm ſententias *Zabiorum* erexiſſe ſtellis imagines quibus virtus προσνωσικὴ ineſſe credebatur, *iiſque ſacella quædam dedicaſſe*. *Lucianus* etiam Templum *Deæ Syriæ* inſcriptum ſimulachris reſponſa edere conſuetis inſtructum, ex oculatâ fide teſtatum dedit. Paria teſtantur illa *Apulci* verba, lib. 11. de Aur. Aſino. *Cùm ad ipſum jam templum* Iſidis *pervenimus, Sacerdos Maximus quique divinas effigies progerebant, & qui venerandis penetralibus pridem fuerant initiati, intra cubiculum Deæ recepti, diſponunt ritè ſimulachra ſpirantia.* Non me præterit domos etiam privatas, ut aras, ità & hujuſmodi *ſimulachra ſpirantia* ſæpe habuiſſe: at religioni & bono publico ſe magis proſpexiſſe, credebant Veteres, cùm hæc ἀγάλματα θείας μετοσίας ἀνάπλεα, (illo enim elogio ea olim ornavit *Jamblicus*) in ædibus, quas Diis ſuis & Religioni addicebant, ſedem invenerant. Neque ædium ſacrarum ſanctitatem omnibus ſuis numeris expletam exiſtimabant, modò *Theraphim* vel ſtatuæ, Deorum reſponſis celebres, quaſi ornamenta eſſentialia, defuiſſent. Ideóque Hiſtoricus ſacer eodem ſpiritu *Micham* בית אלהים i. e. domum Deo ſacratam, & *Ephod* cum affini *Theraphim* comparâſſe refert. *Judic.* 17. 5. Et Propheta *Hoſeas Theraphim* eodem loco cum arâ, ſacrificio, & *Ephode* (quæ templi religio neceſſariò poſtulat) numerâſſe videatur. Cap. 3. 4. Sed nil opus eſt ut hâc de re fuſiùs agamus, quam omnes ſatìs compertam habent, qui Veterum monumenta primis quod aiunt labiis deguſtârunt.

Quintò. Aſſeruì inſuper hujuſce ſortis icunculas non virtute cœleſti (quod *Zabii*, ut Dæmonolatriæ, ſuæ colorem quærerent, perperam docuêre) ſed ſpiritûs,

tûs, ſæpius impuri, inſtinctu, reſponſa de futuro reddidiſſe. Ità *Mercerus*, cùm ei ſermo eſſet de *Labanis Theraphim*, *Non eſt dubium*, inquit, *quin per ea, ut & in aliis Gentium idolis, Dæmones reſponſa darent: nam alioqui organis naturalibus deſtituta, ſcimus ea loqui non potuiſſe.* In eundem ſenſum *S. Cyprianus* lib. *de Idolorum vanitate*, *Hi ergò ſpiritus impuri ſub ſtatuis ac imaginibus conſecratis deliteſcunt, hi afflatu ſuo vatum pectora aſpirant.* Hæc etiam fide digniora referunt illa *Marſilii Ficini* verba in libello de vitâ cœlitus producendâ, cap. 13. *Triſmegiſtus ait Ægyptios ex certis mundi materiis facere conſuevisſe imagines, & in eas opportunè animas dæmonum inſerere ſolitos*, &c. & cap. 20. *Arabes*, inquit, *& Ægyptii tantùm ſtatuis & imaginibus attribuunt arte aſtronomicâ & magicâ fabricatis, ut ſpiritus ſtellarum in eis includi putent. Spiritus autem ſtellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœleſtium vires, alii verò Dæmonas etiam ſtellæ hujus illiúſve pediſſequos. Spiritus igitur ſtellarum, qualeſcunque ſint, inſeri ſtatuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac Dæmones ſoleant humana nonnunquam corpora occupare, perque illa loqui, moveri, movere, &c.* Cùm itaque voces, Oraculorum divinitatem mentientes, impuri ſpiritus è *Theraphim* reddere ſolerent, indè factum videtur quòd vox ea in Sacris Literis plurimùm malè audiat: præſertim, 1 *Sam.* 15. 23. *Quia rebellio peccatum divinationis, & reſiſtentia iniquitas* תרפים & *Theraphim.* Quaſi dixiſſet *Samuel*, Rebellio non divinationem tantùm, quâ conſilium cum Dæmone ineunt Venefici, ſed divinationis inſtrumenta Dæmonis præſentiâ toties fœdata, *Theraphim* ipſa è quibus conſilia petunt, malitiâ ſuperat. Malè mihi operæ & olei pretium conſtare videretur ſi huic veritati probandæ

operosè incumberem, utpote ab omnibus concessæ, nisi qui hujusmodi simulachra, ceu mentis tantùm credulæ idola, de medio tollunt. Id unum tamen in transitu monere necesse habeo, me nempe non dixisse Theraphim *semper* sed *sæpius* impuri cujusdam Spiritûs virtute vocalia evasisse. Nam infra probatum sumus antiquissimos veri Numinis cultores, *Theraphim*, tanquam signa & symbola quædam in honorem Angelorum frequenter apparentium, animo non malo primitus dedicâsse; Angelósque per ea, consilia quærentibus quandoque adfuisse. Huic autem occasioni Diabolus forsan imminens, *primò* rudioris sæculi simplicitati per Oracula, originem cœlestem simulantia, è *Theraphim data*, non rarò imposuit; & *tandem* Autor exstitit ut harum imaginum numerus, unde responsa Angelica (ità enim fama obtinuit) expectanda forent, in immensum cresceret, & omnia compleret. Nam facilè inducor ut credam *Theraphim* æquè ac Sacerdotes, altaria, ædes sacras, epula ex immolato, lustrandi ritus, Oracula, alia, veri & falsi Numinis cultoribus communia olim fuisse; & pro variis cultorum ingeniis, in Veti & fictitii Numinis honorem & cultum, ancipiti vice usurpata. Sciat autem Lector me de *Theraphim*, prout in statu quali lapso, gentium superstitione & Diaboli responso frequentius vitiatis, sermonem hactenus instituisse: nam sub *Mosis* tempora (quæ jam primò ante oculos habemus) Diabolus, res, locos & personas pene omnes, præsentiâ, responsis & ritibus suis, vix sine piaculo nominandis, impleverat & conspurcârat.

Sextò. Hujusmodi simulachra futurorum conscia frequenti in usu sæculis antiquissimis fuisse haud inconsulti asserimus. Nam occurrit *Jes.* 48. 1. *Nabo*

vel

vel *Nebo*, idolum *Assyriorum*; cui Idololatræ, si *S. Hieronymo* fides, titulum à [a] נבא *Prophetæ* fecerant: quasi idem esset qui Ζεὺς βουλαῖος vel Ζεὺς μητίετης, *Jupiter Consiliarius* Ethnicis appellatur. Neque ulla dubitandi ratio subest quin hujusmodi idoli usus ab *Assyriis* & *Chaldæis*, primis illis idololatriæ & divinationis parentibus, ad seros nepotes transmissus fuerit. Simulachri ab hoc non multùm diversi usum Deus *Israëlitis* suis vitio vertit, *Hos.* 4. 12. *Populus meus* בעצו *in ligno suo interrogat.* Ubi *Targum* habet בצלם אעת *in simulachro ligni sui* vel idolo ligneo. Similem Oracula recipiendi morem apud *Zabios* etiam (quo nomine *Phœnices*, *Arabes*, aliique Orientis filii censendi sunt) receptum fuisse testatur *Maimonides*, Mor. Nev. Par. 3. c. 29. ubi se duo integra veterum *Zabiorum* volumina de *Imaginibus hisce loquentibus & earum fabricatione* perlegisse refert. Quamvis (ut hoc obiter moneam) *Jamblicus* inter primos à nonnullis numeretur, qui librum (quem temporis injuria nobis forsan invidit) *De divinis idolis, præsentiâ Numinum animatis, eorúmque artificio & mirandis effectis* in lucem edere ausus sit: nam antea, inquiunt, artes magicæ & ritus idololatrici deformitatis suæ conscii, penè lucifugi fuêre, & per modestam tantùm *Cabalam* innotuêre. De libris iis hæc μυστήρια docentibus, eorúmque antiquitate fusè disseruêre *Kircherus in Obelisc. Pamphil. Henr. Ursin.* lib. de *Zoroastre*, *Hermet. Sanchoniath. Hottingerus* in *hist. Orient.* aliique quos consulat Lector, cui curiosa illa salivam movent. Nos pedes in viam referamus. *Ægyptios* etiam (quod nemo facilè dubitabit) ejus-

[a] *Nabo ipsum idolum est quod prophetia & divinatio interpretatur: quam post Evangelii veritatem in toto orbe conticuisse significat* D. Hieron. in loc.

dem cum *Assyriis* & *Israëlitis* criminis affines fuisse, verbis conceptissimis testatur *Abenephius*, apud *Kircherum*, in *Oedip. Ægypt.* Tom. 1. Syntag. 4. cap. 3. quæ sic habent, *Erant Ægyptiis simulachra quædam puerili formâ, Ægyptiacè dicta Serapes, quæ adorabant, de futuris & absconditis interrogantes. Passim in celebrioribus urbium locis collocabantur, solebántque ante ea adolere, eáque contra mala eventa secum portare. Similia his* Theraphim *erant, quæ colebant Israëlitæ, quæque* Laban *in Scripturis adorâsse memoratur.* Abenephii hæc de *Ægyptiis* referentis fidem eò minus suspectam habeo, quoniam Propheta de *Ægyptiis*, jam animo labantibus & de futuro sollicitis, prædicat, *Jes.* 19. 3. quòd *quærent* אל־האלילים *ad idola:* id est, interrogabunt, de more gentis & seculi, simulachra sua quid rebus anguſtis facto opus esset. *Israëlitas* etiam, ad quos missus erat *Moses*, hujusce moris idololatrici peste afflatos fuisse non sine consilio credimus. Eos enim in *Ægypto*, per plurima annorum curricula, idola coluisse Sacræ Literæ nos certos faciunt, *Josh.* 24. 2. *Act.* 7. 43. adeóque ab idolis juxta seculi & loci consuetudinem eos responsa petiisse minimè dubitandum est: præsertim cùm *Philo*, Author ille *Bibl. Antiq.* disertè referat eos olim *interrogâsse, Amorrhæorum more, idolorum Dæmones, & inprimis Nymphas illas aureas, quæ invocatæ per singulas horas ostendebant facienda aut fugienda.* Huic itaque malo, quòd tam latè serperet & indies invalesceret, ut obviàm iret Deus, *præcepto secundo* (utì conjicit *Grotius* In *Explic. Decal.*) *omnia sculpta animalis alicujus formam habentia, inhibuit. Facilius enim,* inquit, *Spiritûs capacia illa simulachra videbantur ob recessus abditos.*

Naturam

Naturam antiquorum *Theraphim*, & quàm longè diúque mos ea in dubiis conſulendi obtinuerat, (quoniam cauſæ noſtræ imprimis intererat) jam ſusè enarravimus. Cùm itaque tot annorum conſuetudo (ipſa rudioris plebeculæ religio & natura) vulgi ſtudia hiſce *Theraphim* tanquam carmine quodam magico devincta teneret; facilè in eam venio ſententiam, veterem à *Theraphim* oracula petendi ritum, Deum in pectoralis Urim, penè invariatum *Iſraëlitis* reſervâſſe; adeóque *Judæorum Urim* ejuſdem cum *Theraphim* muneris & figuræ fuiſſe, ſub diverſo tamen nomine, imaguncu-lam. Cùm enim Deo nunc res eſſet cum hominibus qui אבדי לב[a] *robuſti corde*, difficili & pervicaci ingenio fuerant, quique ex longo uſu in ſeculi mores penè toti immigrârant; niſi genio proprio & moribus antiquis (paululùm tamen in melius mutatis) uti licuiſſet, à Dei cultu & ſacris, tanquam novis & exoticis, penitus proculdubio abhorruiſſent. Plurima itaque vetere uſu recepta, ob cordis ſui duritiem, populo illi (quem ſemper leniter habuit) indulſit optimum Numen. Simili exemplo, quamvìs jure diſſimili, tot pii *Judæorum* reges morem iſtum ethnicum in locis editis rem ſacram faciendi tuliſſe creduntur; ne populus à gentium moribus nullâ arte movendus, rebus novandis animum adjiceret, ſi eorum ſtudiis eâ in re non fuiſſent obſecuti.

[a] Jeſ. 46. 12.

Ne verò *ægroti veteris ſomnia*, hæc dicens, *meditari* videar, ſententiæ meæ veritatem argumentis plurimis firmatam in ſequentibus daturus ſum.

Sect. 3.

Dicta Natura per Urim Hoseæ testimonio probatur.

ARgumentorum pro causa nostra militantium principia ducat Scripturæ sacræ testimonium: in quâ virium & fiduciæ non parùm textus *Hoseæ*, Cap. 3. com. 4. (nisi sensum non suum loco afferamus) illi conciliabit. *Quia dies multos sedebunt filii Israël* אין מלך ואין שר ואין זבח ואין מצבה ואין אפוד ותרפים *Absque Rege, & absque Principe, & absque sacrificio, & absque arâ, & absque Ephod & Theraphim.*

Quantùm hic locus causam meam adjuvet luculenter constabit, si prius *Ephodis* naturam, & sensum vocis *Theraphim*, quorum hîc mentio facta est, paucis explicatum dedero.

Monendum itaque duplex *Ephodis* genus in Sacris memorari; *Vulgare* unum & *Pontificium* alterum. *Vulgare*, vestis erat ex lino solo conflata, ordinariè Sacerdotibus tantùm, cùm templi ministeriis vacarent, induenda. 1 *Sam.* 22. 18. unde venit, quòd LXX, *sine Ephode* hoc in textu per ἄνευ ἱερατείας *sine Sacerdotio* exprimant. Cùm autem *Agrippa* rerum in *Judeâ* potiretur, eum *Levitis* etiam, cùm munia divina obirent, hujusce vestis usum concessisse refert *Josephus*, Antiquit. l. 11. c. 8. *Ephod Pontificium* indumentum erat multæ artis & ingenii; utpote auro, gemmis & coloribus distinctum & variegatum, quod Pontifici unidum sacra celebraret gestare concessum fuit. Hujusce autem *Ephodis* partes erant duæ: *Superhumerale*, quod ab humeris ad zonam usque, totum pectus complectens,

ctens, contingebat; & *Pectorale*, tam firmis & religiosis vinculis *superhumerali* conjunctum, quòd non nisi multo cum negotio ab invicem divelli potuerunt. Nec debuerunt quidem, cùm Lex ea divina (inquiunt Magistri) eorum separationem verbis specialibus interdixerit, *Exod.* 28. 28. לא־יזח *ne tollatur Pectorale desuper superhumerali.* Ideóque qui ea unquam separare quæ Deus tam sanctè conjunxerat ausus fuerit, tantæ temeritatis crimen flagris plurimis apud *Judæos* semper expiavit. Ex hâc necessitudine quæ *Pectorali* cum *Ephode* interceſſit, factum est quòd *Ephodis* nomine non semel in sacro codice & *Pectorale* (individuus illius comes) intelligendum veniat, ut 1 *Sam.* 30. 7. & alibi. Jam verò textus *Hoseæ*, quem præ manibus habemus, non est de *Ephode* vulgari interpretandus. Illud enim, obſervante [a] *Moncæo, nihil prohibuit* Judæos *omni tempore, quantumcunque malo ac vel in captivitate etiam mediâ, habere & circumferre*: sed de posterioris generis *Ephode*, quod *Pontificium*, Lectoris cum veniâ appellavimus.

[a] *Lib. 1. de Aur. Vit. c. 19.*

Per *Theraphim*, hoc in loco, non gentium idola, (quod longè plurimis visum) ad consulendum vel colendum comparata, intelligenda sunt: sed *URIM* vel sacra illa icuncula, consiliorum divinorum, Angelo animante, nuncia, in *Ephode* vel adjuncto *Pectorali* ex præscripto divino includenda. Cui equidem sententiæ studeo, non (si me ament veritas & modestia) quasi communia Interpretum vestigia pedibus meis indigna duxerim, sed quòd rationes non leves habeam quæ animum meum in hanc sententiam vel invitum traxerunt. Sunt autem hujusmodi

Primò. Rationi minimè consentaneum est Prophe-

tam, cui id negotii datum ut flebilem populi *Iſraëlitici* ſortem prædiceret, inter mala futura *idolis deſtitui* ponere voluiſſe. Rem bonam & licitam oportet eſſe quam Deus per Prophetam minatur ſe ablaturum *Iſraëlitis*, ut vindictam de eorum peccatis ſumeret: alioquin illud auferre non pœnæ ſed beneficii loco habendum fuiſſet. De quânam autem re bonâ & licitâ, ullâ cum veri ſpecie, *Theraphim* eò loci interpretari poſſimus, niſi de *Urim* Dei, tam ſancto nexu *Ephodi* cohærente? Non me latet nonnullos hîc reſpondere, quòd *minimè neceſſe ſit, id omne naturâ ſuâ bonum & licitum eſſe, quod in criminis pœnam à Deo auferatur: ſufficit quòd ei bonum videatur & cordi ſit qui eo privatur, & ejus ablatione damno ſe affici ſentiat.* Sed plumâ hæc & palearum caſſis leviora: nam Deus non ſolet ob malum reale pœnam ſolummodo phantaſticam irrogare. Deinde (ut alia taceam) nulla ratio apparet cur Propheta *Theraphim* ſolorum jacturam, miſſis aliis ſuperſtitionis inſtrumentis plebi non minùs in deliciis, inter mala illa opinata numerârit.

Secundò. A probabili non minùs abhorret Prophetam cœlum gehennæ uno adeò miſcere ſpiritu voluiſſe, ut de arâ, ſacrificio & *Ephod* ſanctis, unà cum idolis, nullo non dignis odio juxta loqueretur. Quaſi *Iſraëlitæ* eorum omnium amiſſione, ſi calculos ritè ponerent, æquali damno ſe mulctari crederent.

Tertiò. Textûs ſcopus & cohærentia non ferunt ut *Theraphim* de re aliqua malæ famæ interpretemur. Nam juſſus eſt Propheta mulierem *ab amico ſuo dilectam*, fidem tamen ei datam adulterio violantem, ideóque omnibus amoris ſui teſſeris ſpoliatam, in thorum conjugalem aſſumere. Nempe ut ſymbolum & typus propheticus evaderet gentis *Judaicæ*, quæ fœderis

deris conjugalis cum Domino suo initi fidem, adulterio spirituali aliísque peccatis læserat; ideóque ornamentis suis omnibus, amoris maritalis insignibus [quà civilibus, *Rege* & *Principe*; quà sacris, *Arâ*, *Sacrificio*, *Ephode* & *Theraphim*] meritò exuta fuerat, quamvìs haud penitus repudiata. Adeóque necesse est ut *Theraphim* de singulari aliquo gratiæ & favoris divini pignore intelligenda esse existimemus. Id autem quid aliud esse potuit nisi *URIM*, cujus vaticinandi facultatem *Theraphim* proximâ similitudine referebant?

Quartó. Spiritus S. de aliis omnibus in textu nominatis loquitur, tanquam de rebus familiæ planè diversæ & nullo cognationis vinculo conjunctis. Nam ea singula vocabulo illo disjunctivo אין *absque* separavit. Ver. gr. *Sedebunt filii Israël* absque *Rege* & absque *Principe*, & absque *sacrificio*, & absque *arâ vel statuâ*, & absque *Ephode*. At verò *Ephod* & *Theraphim* conjunctim & quasi perpetuo Spiritu legenda proponuntur: in hunc modum, *absque Ephode & Theraphim*, missâ illâ sæpius repetitâ disjunctionis notâ. Quid verò usitatam toties loquendi formulam ità ex inopinato Scriptor Θεόπνευστος immutârit, nisi quòd vox *Theraphim* sumi debeat pro re aliquâ, (*Urim* nempe,) tam sacro conjugio *Ephodi* conjunctâ, & ad ejus integritatem tam necessariò requisitâ, quòd ne voce aliquâ discretivâ ab illo sit divellenda? Ideóque Interpretes nostri *Anglicani* (honorem præfabor) turbârunt aliquantulum fontis Hebraici puritatem & mysterium, cùm ità verterint, And the children of Israel shall abide without an Ephod and without Teraphim. Sed culpam ex parte redimunt, quòd vocem illam without, de suo additam, literis minusculis exarandum curârint; ne quis eos

eos textum Hebræum ibi ex verbo tranſtuliſſe incautus crederet. Neque me jam cuminum ſecare & ſupra modum curioſum cenſeat quiſpiam, cùm *Ephod* & *Theraphim* nuſquam per totam Scripturam in eodem commate occurrant, (occurrunt autem ſæpius) quin ea nexu immediato ità cohærentia reperiamus.

Quintò. *Judæi* uno ore, & *D. Hieronymus*, *S. Cyrillus*, *Auguſtinus*, cum aliis à Chriſto nominatis quamplurimis, hæc *Oſeæ* verba de duabus Tribubus interpretantur: voluntque per *Gomeram* (quam in uxorem Propheta duxiſſe dicitur, Cap. 1.) repræſentatas fuiſſe Tribus decem; per *Adulteram* amatam viro, de quâ Cap. 2. 1. duas alias, in quibus vera Deum colendi ratio nullis Ethniciſmi miſturis vitiata & diluta manſit. Quæ quidem interpretatio ſat fidis ſubnixa videtur fundamentis. Nam,

(1°.) Mulier illa de de quâ Prophetæ hoc in loco ſermo eſt, non penitus repudianda fuit, ſed ad dies multos caſtiganda. Deum verò *Iſraëli* libellum repudii miſiſſe probant triſtis rerum eventus, & duo illa prophetica ſymbola, *Lo-ruhamah* & *Lo-ammi*, de quibus Cap. ſuperiore ſermonem habuit.

(2°.) Tribus decem *Ephode* & *Theraphim* privari non niſi impropriè admodum dici poterant: iis enim nunquam forſan adfuit *Ephod* pontificium, & vix unquam defuit cultus *Theraphim*; cùm non minùs in mores quàm familias Gentilium poſt aliquot annorum circulos tranſierint.

(3°.) Decem Tribuum nomina è rebus jam periêre, cùm in ſanguinem & cenſum Gentium mundi, infinitis commixtæ matrimoniis, immigrârint, adeò ut illæ nunquam fuerint ſine Rege & Principe ſuo: Ideóque *Davidem* Regem ſuum, (i. e. *Meſſiam*, Exponente *Chald.*

Chald. Par.) prout Tribus à mundi populis diviſæ, nec quærere poſſint (quod Propheta futurum prædicit, com. 5.) nec adhuc quæſierint.

(4°.) Tribus duæ (à mundi incolis, nomine, ſanguine, ingenio & moribus diviſæ) quamvis veteris Judaiſmi umbras aliquas & obſcurioris notæ ritus retinuerint, nec manum tamen nec volam ullius rei, cujus in hoc textu mentio facta eſt, apud eos hodie reperire liceat. Sedent enim *Judæi* ſoli *ſine Rege* & Principe certo, vel è ſanguine *Iſraëlis* oriundo. Manent etiam ſine *ſacrificio* (utpote extra urbem *Hieroſolymam* degentes) *ſine arâ* vel ſtatuâ, *ſine Ephod* & *Theraphim* vel *Urim*.

(5°.) Mulier & Gens illa de quâ Propheta loquitur, ad frugem & uxoris pudicæ indolem ſe tandem recepit; *Davidem Regem*, i. e. *Meſſiam*, temporibus noviſſimis quæſivit. At ſpes omnis de reditu decem Tribuum ad bonos mores, ante multa ſecula decollavit. Soli *Judæi Meſſiam* Falſum jamdiu expectantes fruſtrà fuerunt; eos autem exeunte ſeculo Verum quæſituros piè ſperamus & efflictim deſideramus

Si itaque Prophetam duarum Tribuum (quod rationes illæ non ſegniter ſuadent) ſtatum futurum depinxiſſe ſtatuamus, nullus ſupererit dubio locus quin *Theraphim* de re aliquâ licitâ, *Urim* nempe, quam olim vel tunc temporis habuerint, interpretari fas ſit. Nam *Judæos* poſt regni diviſionem Ethnicorum *Theraphim* communiter coluiſſe & conſuluiſſe, vel veri Dei cultum aſcititiis & peregrinis Gentium moribus, *Samaritanorum* ritu, publicè adulterâſſe nuſquam legimus.

Sextò. Antiqui Interpretes plerique omnes, & moderni nonnulli, *Theraphim* hoc in textu de *Urim*, vel ſaltem ſimulachris quibuſdam honeſti nominis ad

Dei

Dei cultum ſpectantibus, intellexiſſe videntur. Nam LXX hoc uno in loco *Theraphim* per δήλων vel (ut aliqua exemplaria habent) per δηλώσεως, transferre conſultius habuêre. Eo verò vocabulo, utì & per vocem δήλωσις, *Urim* aliis in locis ſolent exponere. viz. *Levit.*8.8. *Num.*27.21. 1 *Sam.*28.6. *Exod.*28.26. *Cur autem* LXX *Theraphim* per δήλως *vertant, fateor me ignorare*, inquit *Jo. Druſius*; Vir qui literis & modeſtiæ ex æquo litavit. Idem & ipſe faterer, niſi quòd me perſuaſum habeam eos pro certo tenuiſſe *Urim* nomine ſuo [a] antiquiſſimo hoc in loco venire; ideóque eâdem voce δήλων, quâ & *Urim* alibi reddunt, exprimendum eſſe. *Aquila* etiam & *Theodotion* Theraphim per [b] φωτισμὸς transferunt; quo nomine & *Urim* vertunt, *Levit.* 8.8. Vulgatus Interpres pro Theraphim *Manifeſtationes* poſuit, quo titulo *Urim* notare ſolet. Tam prope etiam ad partes noſtras accedit D. *Hieronymus*, quòd *Theraphim* in hâc *Hoſea* prophetiâ non de quibuſvis Gentilium ſimulachris, ſed de *Cherubim & Seraphim vel aliis quæ in templi ornamentum fieri juſſa ſunt* intelligenda doceat. At ſecundis cogitationibus in conſilium vocatis, propiùs à nobis abfuit: nam poſt paucas periodos verba illa *Sine Ephod & Theraphim* de *inſtrumentis* quibuſdam *habitûs Sacerdotalis* interpretatur. Eum verò priuſquam textui valedixerat, planè noſtrum fuiſſe, clarè teſtantur verba illa, *Quia* LXX δήλως *interpretati ſunt, pro quibus* Aquila φωτισμὸς *tranſtulit, & hæc ipſa ſunt* ἐν λογείῳ, i. in rationali, *hoc intelligimus quòd in pectore & corde Pontificis* ἀλήθεια καὶ φωτισμος, i. veritas *eſſe debeat* atque doctrina. Quibus (notante *Druſio* in loc.) *perſpicuè nomine* δήλων *intelligit Urim & Thummim.* Eodem cum

[a] *Cap. 5. Sect. 2.*

[b] *S. Hieron. in loc.*

cum interpretibus jam laudatis animo *Theodoretum* & *Cyril. Alex.* fuiſſe, ſat liquet è commentariis ſuis in hunc textum. Capitibus hiſce, quibus tot ſecula honorem fecêre, aliquos adjicere liceat ſequioris ævi viros eruditione celebres, qui interpretationi noſtræ ſe amicos præbuêre. Inter illos Menochius inprimis eam ambabus manibus ædificat, *lib. 4. de Rep. Hebr. c. 1. n. 5.* ubi inquit, *Per Theraphim* Hoſ. 3. *intelligit Propheta, Oracula quæ Judæis reddebantur, applicato Ephod & Rationali, &, ut loquitur Scriptura, per Urim & Thummim: quod ſatis perſpicuè indicant LXX, qui vertunt* οὐδὲ δήλων *neque manifeſtationibus. Porrò LXX ſæpe* Urim δῆλα *&* δήλωσιν *vertere conſueverunt, ut proinde certum videatur* LXX *apud Hoſeam nil aliud intellexiſſe per* δῆλα *niſi oracula & reſponſa illa Sacerdotum: id quod & adjuncta, ſacrificium, altare &* Ephod, *ſatis oſtendunt.* Hactenus *Menochius*, à quo *Genebrardum* non multùm abiiſſe conſtat, qui in *Chronol.* ſuâ, *ætate 6.* Hoſeæ *Theraphim* de *imaginibus* quibuſdam *ſacris* intelligenda cenſuit. *Grotium* etiam cum illo cogitâſſe probant verba ejus in Explic. Decal. *Vox* תרפים *videatur eſſe media, & interdum pro* Cherubinis *ſumi, ut, Judic. 17. 5. & Hoſ. 3. 4.* Quos ſanè Viros doctos *Theraphim* de *Cherubinis* eâ ſolâ ratione expoſuiſſe mihi facilè perſuaſerim, quoniam nihil aliud in Lege inſtitutum animos eorum parùm vigilantes ſubiit, cui nomen illud convenire potuit. Niſi enim ſacræ Pectoralis imagines, obſcuritatis alicujus velo in Scripturis obductæ, oculos eorum minùs attentos effugiſſent, fieri vix potuit quin per ipſas locorum eorum circumſtantias ad ſenſum priorem deponendum,& *Theraphim* de ſimulachris illis(non minùs honeſti nominis) vel eorum ſimiis & æmulis, exponendum, adducerentur.

Argumentis,

Argumentis, ni fallor, haud inertibus probatum dedi *Urim* ſub obſcuro *Theraphim* titulo hoc in textu latitare. Ne tamen fidem dubiam & timidam jam dicta inveniant, quinque objectionibus neceſſariò occurrendum eſt.

Prima hujuſmodi eſt. Verbum illud מצבה in hâc propheticâ Scripturâ, non de *arâ* (contra Lexicorum omnium fidem) ſed de *ſtatuâ*, lege Dei ſæpius proſcriptâ, intelligendum eſt. Ideóque textûs analogia poſtulat ut eum non de *Judæis* ſed apoſtatis *Iſraëlitis*, apud quos hujuſmodi ſtatuarum ſuperſtitioni inſervientium uſus increbuit, & *Theraphim* non de re aliquâ ad veri Numinis cultum ſpectante, ſed de quibuſdam peſſimi nominis ſimulachris apud *Iſraëlitas*, qui à Deo ad Ethniciſmum deſciverant, interpretemur.

Hiſce, ſpeciosè magis quàm ſolidè dictis, hæc tria reponimus. Primó. Nulla nobis (qui Magiſtrorum ferulæ manum ſubduximus) neceſſitas incumbit, ut מצבה rigidè adeò, de *ſtatuâ* ſolummodo interpretemur, cùm proximè à מזבח *altari* non minùs naturâ & uſu quàm literis diſtet. Nam duobus hiſce hoc tantum diſcriminis intercedere tradunt in literis Hebraicis exercitati; ſtatua *uno conſtabat lapide*, altare *pluribus*: ſtatua *erigebatur ad libationem & olei fuſionem*, altare *verò ad oblationem ſeu ſacrificium*: ſtatua *ad memoriam ingentis alicujus beneficii à Deo accepti poſteris conſecrandam*, altare *ut plurimùm ad ſacrum faciendum*. Cùm itaque *ſtatuæ* antiquæ & *altaria* tantâ naturæ & usûs affinitate conjungerentur, facilis huic voci מצבה patebat tranſitus à ſenſu nativo ad *altare* ſignificandum. Ideóque LXX non tantùm cum veniâ ſed cum laude vocem illam per θυσιαστήριον reddidiſſe videntur. Neque audiendi ſunt qui eos ità feciſſe aſſerunt,

runt, quoniam מזבח δυσιαστήριον loco מצבה *statuâ vel columellâ* legerint; eò quòd Seniores illi aliquando dormitârint, vel exemplari cujus literæ vetuſtate victæ ſæpius diffugerunt, in verſione ſuâ adornandâ uſi fuerint. Eos enim non caſu ſed certo conſilio vocem illam ità tranſtuliſſe extrà dubium eſt, cùm & omnes alias hoc in locò per vocabula res licitas & veri Numinis cultum denotantia exponere non dubitârint.

Secundò. Modò vocis מצבה poteſtatem tam arctis limitibus, ut *ſtatuam* ſolummodo ſignificet, coërceamus, malè tamen indè ſequetur eam de re, quam Lex Dei damnavit & *Judæis* interdixit, neceſſariò interpretandam. Non me præterit legem de *non erigendâ* מצבה *ſtatuâ* Deum *Iſraëlitis* ſuis dediſſe, *Deut.* 16. 22. Eam verò *Rabbini* nonnulli latam tantùm pro tempore ſentiunt, ob gentes effuſiùs in idololatriam ruentes. Neque opinionem illam planè omni fundamento deſtitutam exiſtimo; nam ſub noviſſima ſaltem regni Judaici tempora ſtatuam Deo dicatam erigere culpâ omni vacâſſe ex illis Prophetæ verbis haud ineptè colligamus. *Iſa.* 19. 19. *In die illâ erit* מזבח *Altare in medio terræ* Ægypti, ומצבה *& ſtatua, juxta terminum ejus, Domino.* At ab omni veri ſpecie penitus abhorret, Prophetam cultum Deo deferendum deſcribere & prædicere voluiſſe, ſub figurâ rei Deo conſecrandæ, cujus conficiendæ poteſtatem lege diſertâ & perpetuâ inhibuiſſet. Sed *Maimonides* aliique è *Synagogâ* Doctores ſecula omnia Lege illâ teneri, eam verò de ſtatuis ſolummodo Numini alicui fictitio decretis interpretandam arbitrantur: modò *Dionyſ. Voſſio* eorum ſententias verbis illis referenti fidem tribuamus, *Scriptoris noſtri hæc ſententia eſt, non ſtatuas quaſvis, ſed ſuperſtitioſas duntaxat, eſſe interdictas:*

dictas: non illas itidem quæ in rei alicujus teſtimonium ponerentur. Qualis illa Jacobi, Gen. 28. 22. & 31. 52. [Et fortaſſe *Sichemenſium*, Jud. 9. 6.] *Ideóque verba hæc*, Non eriges tibi ſtatuam, *exponunt Hebræi de ſtatuâ ad ſuperſtitionem conſtituendâ; non illa quæ ad memoriam ponitur.* Hæc *Voſſius* in *Maim.* de Idololat. Cap. 6. §. 8. & Cap. 8. §. 5.

Tertiò. Haud adeò multum detrimenti caperent res noſtræ modò מצבה de ſtatuâ aliquâ ſuperſtitiosâ inter Tribus decem uſurpatâ, exponendam eſſe concedamus. Tunc enim vox ſequens *Theraphim* otioſa & redundans fuerit, niſi illam pro imagine aliquâ usûs & conditionis diſſimilis, fatidicâ nimirum, ad *Ephodis* cui conjungitur complementum requiſitâ, ſumendam cenſeamus. Sin autem *Iſraëlitarum Theraphim* imaginum vaticinarum numero atque ordine cenſenda ſint, proclive admodum fuerit concludere, *Judæorum Urim* naturam & uſum conſimilem ſortitum fuiſſe. Nam proculdubio *Iſraëlitæ* religiosè curârunt ut eorum *Theraphim*, formam τῶ *Urim* apud *Judæos* adamuſſim redderet; adeò ut qui utrumvis rectè nôrit amba noverit. Prout qui imaginem, *Cæſaris* vultum verè exprimentem, intuetur, quomodo *Cæſar* ipſe *oculos atque ora ferebat*, conjecturâ non errante aſſequatur.

Secundò. Ad dictorum fidem minuendam opponi poſſit, quòd, modò *URIM* nomine τῶ *Theraphim* hoc in textu notari concedatur; me tamen illam nominum communionem opinionis meæ fundamentum minùs conſultò poſuiſſe conſtet. Nam Prophetam *URIM* eâ ſolâ ratione nomine *Theraphim* denotâſſe creditur, non quòd eâdem naturâ communi & figuræ ſimilitudine ſibi invicem conjungerentur; ſed, quoniam *Theraphim ſanctitatem Urim & Thummim, eorúmque prædicendi*

prædicendi facultatem mentirentur. Cui ſententiæ proximè acceſſit haud infimi ordinis apud nos Theologus: nam, *ob uſum*, inquit ille, תרפים *Theraphim ſim lem ſanctorum Urim & Thummim, legamus Ephod & Theraphim conjuncta, tanquam res naturæ conſimilis, Hoſ.* 3.4. *Judic.* 17.5.

Reſpondeo. Ob hæc omnia manum non verterim, utpote nec probata profectò nec probabilia. Nam (1°.) Neutiquam probabile eſt Spiritum S. infamem (plurimùm) *Theraphim* titulum ſancto Pectoralis *URIM* tribuere voluiſſe, niſi naturâ quâdam communi, prout boni & mali homines, convenirent. Sæpius enim in Scripturis titulum rerum & perſonarum bonæ famæ, rebus & perſonis earum perfectiones ſimulantibus conceſſum legimus: nuſquam verò nomen rerum aut perſonarum malè plurimùm audientium, rebus aut perſonis verâ aliquâ perfectione inſignibus, ob ſimilitudinem tantùm formalem & commentitiam, inditum reperiamus. Idola ver. gr. & hypocritæ titulis *Elohim* & *Sanctorum*, quorum naturas fingunt & perſonas induunt, quandoque cohoneſtantur: at infamia illa idolorum & hypocritarum nomina, Deo & Sanctis ſuis nunquam affiguntur. Pari ratione, *Theraphim* honeſto τῷ *URIM* nomine (cujus naturam & virtutem præ ſe ferebant) quandoque decorata fuiſſe, facilè credamus: at fide planè prodigâ ſit oportet qui credit Prophetam, Dei *URIM*, nomine *Theraphim*, non tam ſimulachri quàm (apud plurimos) opprobrii titulo, afficere voluiſſe; tantùm quòd *Theraphim* eâdem quâ *Urim* prædicendi facultate vulgò pollere crederentur. (2°.) In aperto eſt LXX titulum τῷ *Urim* (δήλων ſcilicet) τοῖς *Theraphim* conceſſiſſe: & apud adverſarios in confeſſo eſt, Prophetam nomen

Theraphim τῷ *Urim* impoſuiſſe. Quæ quidem amica nominum commutatio, haud contemnendi argumenti locum apud me habet, quò mihi ſaltem perſuadeam *Urim* & *Theraphim* ſummum inter ſe quoad uſum & naturam conſenſum coluiſſe.

Tertiò. Ad interpretationis noſtræ veritatem infirmandam dici poſſit, *Hoſeæ* verba non de duabus tribubus intelligenda eſſe, ſed de *Iſraëlitis* ſub imperio degentibus *Jeroboami*; qui religionem poſt rem habens, omnia in cultu divino miſcuit: Oblationem & *Ephod* à Sacris *Judæorum*, ſtatuam verò & *Theraphim* à Gentilium ritibus mutuatus. Nempe ad id unum animum intendit hiſtrio ille multarum partium, ut tam verſatilis & diverſi ingenii populo, quem in ditione ſuâ tenuit, placeret quam faceret de religione fabulam.

Probè novi non deeſſe magna nomina, nec minora argumenta, quæ interpretationi huic, per ſe quidem ſpecioſæ, novam gratiam & venuſtatem conciliant. Pacis itaque & brevitatis ſtudio libens in præſenti ſupponam Prophetam ſermonem de Tribubus apoſtatis inſtituiſſe; cùm taxilli noſtri non minùs fœliciter caſuri ſint. Semper enim id unum certum & immotum manebit, vocem *Theraphim* vel de *URIM* vel de icunculis quibuſdam illius munus & figuras æmulantibus, in *Ephode* repoſitis neceſſariò interpretandam. Nam operis difficillimi fuerit *Theraphim* de re ullâ, cujus uſus religioſus apud *Iſraëlitas* obtinuit, niſi de inſtrumentis quibuſdam formam & vices τῶ *Urim* gerentibus; vel probabiliter interpretari; præſertim ſi vocem מצבה, (cum *Riveto* aliiſque) pro *Jeroboami* vitulis ſumendam eſſe exiſtimemus. Satis hoc *Medo* noſtro, acutiſſimi naſi viro, ſubolevit: qui quamvis

Hoſea

Hoseæ verba de *Israëlitis* dicta senserit, *Theraphim* tamen de rebus quibusdam, quæ locum *Urim* apud eos habuêre, exponenda docuerit. In cujus rei fidem, illius assertionem totidem verbis in linguam Latinam transtuli: *Colligamus*, inquit, *Israëlitas post Jeroboami schisma, cùm non habuerint* Urim *&* Thummim, *usos fuisse* eorum loco *Theraphim in Ephode: hinc etiam factum est, quòd* Hosea *minetur eos futuros sine Ephode & Theraphim.* Si itaque *Jeroboamus* Ephod & Theraphim apud *Israëlitas* suos, quæ locum Ephodis & Urim (tunc aut olim) apud *Judæos* haberent, fabricare voluerit; à fide omni longè remotum est, eum usque adeò (non dico probitatem, sed) prudentiam planè omnem decoxisse, quòd non curârit, ut veras eorum formas, quantum fingere datum, proximâ similitudine exprimerent: satìs enim novit veterator ille suâ permagni interesse ut sacra sua omnia ad formam & exemplar cultûs *Hierosolymitani* proximè accederent; quò populi novi (cui omnis cultûs veri memoria nondum prorsus exciderat) animos sibi faciliùs adjungeret, & speciosæ religionis pigmento facinora sua dealbaret. Nam eo fine Sacerdotes, Sacrificia, *Ephod* & *Vitulos*, non minùs figuram quàm numerum (ni docti falsi sint) *Cherubinorum* imitantes, eósque in [a] templis à se constructis repositos, instituisse videtur; ne si cultus à seipso institutus à primo apud *Judæos* exemplari quâ parte diversus abiîsset, populus tandem religione tactus ad sacra vetera reditum meditari posset.

[a] Δύο ποιήσας δαμάλεις χρυσᾶς καὶ οἰκοδομήσας ναΐσκους τοσούτους. *Joseph.* de Jeroboamo. *Antiq. lib. 8. cap. 3.*

Quartó. Ad interpretationis nostræ fidem destruendam, objiciet forsan non nemo, quòd nulla ratio

fingi poſſit, cur Propheta, retento *Ephodis* nomine, nomen illud honeſtum & genuinum, *Urim*, miſſum faciat, & Oraculum ſacrum voce illâ [*Theraphim*] profanâ & ſuperſtitionem olente dehoneſtet. Imò verò, ratio in ſummo jacet, nec *Delio* natatore indiget: Nam primò, *Theraphim* nomen illud fuerat, cui religio & longa dies gratiam apud populum conciliârat: DEUS autem non magis vetera nomina (*quis enim*, inquit Tertullianus, *nominum reatus?*) quàm uſus, niſi ratione aliquâ cogente, prorſus antiquare voluit. Deinde, *Theraphim* & *Urim* vocabula fuiſſe penè ſynonyma & ταυτοδυναμεῖντει alibi oſtenſuri ſumus. Præterea, *Theraphim* nomen erat, quod intimâ neceſſitudine cum ipsâ Oraculi conditione conjunctum, & illius tantùm gratiâ fatidicæ Pectoralis icunculæ inditum fuit: at *Urim* gratiâ myſterii, (de quo occaſione datâ dicemus) per eam vocem fœliciùs quàm per *Theraphim* adumbrandi.

Quintò. Dicunt moderni *Judæi* hoc[a] *Hoſeæ* Oraculum imaginem quandam propheticam ſtatûs ſui ſeculis hiſce noviſſimis exhibere: nam nunc dierum manent *ſine ſtatuâ & Theraphim*, i. e. juxta eos, ſine ullo cultûs idololatrici veſtigio & inſtrumento: & *ſine ſacrificio & Ephode*, i. e. ſine primariis cultûs Moſaici exemplis & inſtitutis: eò quòd hujuſmodi ſacra, prout cantica *Sionis*, terræ quâ jam degunt alienæ non conveniant. E quibus perſpicuum eſt, me ne unum cubitum Opinionis meæ ſtaturæ addidiſſe, cùm tanto conatu probatum iverim, Prophetam hæc dicentem Tribus duas ante oculos habuiſſe: idem enim & *Judæi* daturi ſunt, qui tamen

[a] Kimchi *in Oſeæ* 3. 4. *illa Prophetæ verba*, Multis diebus ſedebunt abſque Rege, &c. *appliçat ad tempora poſt vaſtatam urbem decurrentia.* L' Emper. in Cod. Mid. cap. 3. ſect. 1.

tamen ſententiam meam huic fundamento innixam non patiuntur, non ſinunt, non ferunt.

Quid *Judæi* hâc in re dicant, me modicè tangit: non tantùm quia dicunt quidem ſed non probant, ſed quoniam è noſtris aliqui, qui æquè ac ipſi *Judæi* (abſit invidia) Magiſtrorum titulum meruêre, agnoſcunt מצבה & *Theraphim* voces eſſe medias, eáſque nunc in bonam nunc malam partem ſumi. At à meipſo impetrare non poſſum ut credam, Prophetam per hæc ſola nomina, boni quandoq; ominis & ſenſûs, cultum & inſtrumenta idololatrica exprimere voluiſſe: cùm præſertim voces ſint aliæ quamplurimæ quæ Numinis fictitii religionem certò & perpetuò indicant, & nullum relinquunt de Scriptoris mente & ſenſu dubitandi locum. Deinde, ſi *Judæorum* interpretatio quid veri habeat, neceſſe eſt ut ſentiamus Prophetam, cujus erat rem deploratam *Judæorum* prædicere, eam verbis ſenſum hunc incongruum & malè ſecum conſtantem fundentibus depinxiſſe. "*Judæorum* res ſeculis poſtremis in eum "infœlicem locum redibunt, quòd manſuri ſint non "ſolùm omni cultûs divini ſed & ſuperſtitioſi ſpecie, "non Sacrificiis & Ephode tantùm, ſed ſtatuis & idolis ſpoliati. Abſit autem à nobis ut *perſonam ſpiritualem*, cum Judæis, *inſanire* aſſeramus.

Sed ne Lectori ſimul & mihimetipſi nauſeam creet, hoc ferculum de mensâ tandem auferendum eſt. Neq; opus eſt ut in hanc *Hoſeæ* prophetiam fuſiùs diſſererem; cùm ſatis è jam dictis conſtet, argumenti mei indè ducti aciem minimè hebeſcere, ſi quis eam de duabus, vel ſi de decem Tribubus interpretandam eſſe judicaverit.

Sect. 4.

Alius Scripturæ locus, Judic. 17. 4. *ad sententiam firmandam affertur & explicatur.*

PEr ea quæ jam dixi omnia, me non ὑποθέσει tantùm δουλεύειν, sed & veritati, magìs pro certo habiturus est Lector, si textûs sequentis, loco proximè laudato cognatione propinquâ devincti, momenta mecum perpendere dignatus fuerit. Occurrit autem,

Judic. cap. 17. com. 4, & 5.

Cepitque mater Michæ *ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex iis sculptile & conflatile.*

Viro autem Michæ בית אלהים *domus Deorum, fecitque Ephod & Theraphim.*

Qui quidem textus, utut parùm forsan in fronte, plurimùm in recessu ad sententiæ meæ veritatem asserendam gestare videbitur, si prius duplici quæsito paucis satisfecero: nempe *Quid hic fecerit Micha*, & *Quo consilio fecerit?*

Ut horum primo respondeam, assero me in Textu illo tria minimùm naturæ dissimilis instrumenta videre, (ni parùm prospiciant oculi) in munus aliquod religiosum comparata.

Primò. Simulachra duo, *sculptile* & *conflatile* hîc dicta, *Cherubinorum* forsan mensuras haud multùm superantia. Horum unum ex ligno elaborato (prout Templi *Cherubim*) & laminis argenteis circumducto; alterum ex argento solido factum arbitror. Rem hanc ità se habere firmiùs credo, quia *Micha*, ejus Mater, & Historicus Sacer de sculptili & conflatili sæpius loquuntur

quuntur tanquam de rebus numero distinctis; ideóq; verbis aliis interpositis, ab invicem non semel separatis, *Judic.* 17. 3, 4. & *cap.* 18. 17, 18. Deinde, *Michæ* ædiculam privatam, secundùm formam Tabernaculi & cultûs *Mosaici*, adornatam, meditatum fuisse, in sequentibus probaturus sum: ideóque verisimile est *Michæ* simulachra *Cherubinorum* formas atque numerum similitudine perfectâ exscripsisse. Utcunque pro opinione adversâ pugnant alii, qui *Sculptile & Conflatile*, unum fuisse idolum contendunt, duobus signatum nominibus. Horum agmen ducunt *Tostatus*, & *Moncæus*, qui *lib.* 1. de *Aur. Vit.* c. 17. sententiam suam hisce verbis effert. *Unicum fuisse hoc* Michæ *opus, quamvis nomina duo sortitum, adducor credere, quòd utroque illo* Sculptilis & conflatilis *nomine præmisso*, cap. 17. *subjungatur non solùm pronomen relativum, verùm etiam verbum numeri singularis: hoc modo*, quod fuit in domo Michæ; *quod nisi de opere unico intelligi dictum non posit. Sed & indè unicum hoc opus fuisse magis etiam intelligi datur, quòd solo* sculptilis *vocabulo, nullâ* conflatilis *adjunctâ mentione, idem in eâdem historiâ postea designetur*; Et tulit Ephod & Theraphim & Sculptile, & protectus est cum eis, *Judic.* 18. 20. *Porrò, vocabulo hoc utroque simul hoc modo combinato, opus ejusmodi aliquod significari arbitror, quod à fabro primùm ex ligno dedolatum sculptúmque, Argentarius deinde argento ductili in laminas attenuato texerit. Quod genus simulachri* Isaias *insinuat, cap.* 40. 19. & Baruch, *cap.* 6. 36. Quibus omnibus *Moncæum* plurimùm à veritate desciviisse manifestum est: cùm enim asserit *utroquè illo sculptilis & conflatilis nomine præmisso, subjungi non solùm pronomen relativum, verùm etiam verbum numeri singularis*, tefellit

ſummum virum (qui vix ad primum ruborem ſe in Hebraicis exercuiſſe videtur) vulgatus Interpres. Ità enim ſe habet Verſionum norma; ויהי בבית מיכיהו *& fuit in domo Michæ.* ubi pronomen relativum ne ſuſurro quidem expreſſum audiamus: Verbum verò ויהי numeri ſingularis non ad *ſculptile* & *conflatile* reſpectum gerit, ſed ad vocabulum כסף *argentum*, quod, vocibus nonnullis interpoſitis, in eodem commate præcedit, ibíque, juxta uſum linguæ Hebrææ, *argenteos* denotat. Neque cauſæ ſuæ cadenti manum auxiliarem porrigit textus ille, *cap.* 18. com. 20. ubi *Levita* non niſi *ſculptile* tuliſſe dicitur: nam vocis illius ambitu & *conflatile* includi, indè conſtet, quòd bis legamus *Danitas*, quibus *Levita* ſe itineris ſocium adjunxerat, *Sculptile*, *Ephod* & *Theraphim*, & *conflatile*, manu violentâ ſurripuiſſe. viz. com. 17, & 18.

Secundó. *Ephod* etiam ſibi fabricandum curavit *Micha:* id eſt (ni me fugiat veritas) veſtem ambitioſam & ſplendidam, quâ Sacerdos ſuus indutus rebus divinis decorè operam daret. Nam veſtem illam nihil ab *Ephodis* Pontificii formâ & ſimilitudine declinâſſe facilè crediderim; niſi lapides forſan Tribuum nomina inſcripti defuerint; cùm Levita ille non publicè & quaſi totius *Iſraëlis* nomine ſacerdotio fungeretur.

Tertió. *Theraphim* etiam, i. e. inſtrumenta munere & fortaſſe formâ à *ſculptili* & *conflatili* diverſa, cum ſacrâ domûs *Michæ* ſupellectile numerantur. Satìs mihi compertum eſt, *Cajetanum* alióſque contendere, *idem in hiſtoriâ Michæ quod* ratione artis *vocetur ſculptile & conflatile*, *etiam* ratione officii, *quod in divinando poſitum*, *Theraphim nuncupari*. At ſententiam noſtram *S. Hieronymi* authoritas & argumenta ſatìs

in

in tuto ponunt, & contra communis illius opinionis præjudicium muniunt aſſerúntque. Ille enim in literis ſuis datis *Marcellæ*, ſœminæ nobili apud *Romanos* loco natæ, (quæ, ut animi ſui ſenſa de *Ephode & Theraphim Michæ* exprimeret, petiiſſet) inter alia hæc habet, Epiſt. 130. *Ad volumen Judicum in literis tuis tranſcendiſti, in quo* Micha *de monte* Ephraim *ſcribitur mille centum argenti ciclos Matri, quos illa vovetat, reddidiſſe, atque* ſculptile *indè feciſſe &* conflatile. *Et addis, hac, poſt modicum, vocari* Ephod & Theraphim: *cùm utique ſi Ephod* zona *ſit veſtimenti genus,* ſculptile *atq;* conflatile *eſſe non poſſit. Agnoſco errorem penè omnium Latinorum putantium* Ephod & Theraphim *quæ poſtea nominantur, de hoc argento quod* Micha *Matri dederat fuiſſe conflata. Cùm Scriptura ſic referat,* Et accepit Mater ejus *(haud dubiè quin* Michæ *argentum)* & dedit illud conflatori, qui fecit illud ſculptile atque conflatile, & fuit in domo Michæ, fecit autem Ephod & Theraphim, &c. *Si autem putas ea quæ ſuperiùs appellata ſunt ſculptile & conflatile, Ephod & Theraphim deinceps nominari; diſce eſſe non eadem: ſiquidem poſt Matris idolum, quod dicitur ſculptile atque conflatile, fecit* Micha *Ephod & Theraphim: ſicut ex ſequentibus approbatur,* Et reſponderunt quinque viri qui abierunt conſiderare terram, & dixerunt ad fratres ſuos, Ecce nôſtis quia eſt in domibus iſtis Ephod & Theraphim, & ſculptile atq; conflatile. *Et poſt multa quæ in medio prætermiſiſti,* Et aſcenderunt quinque viri, & illuc irruerunt, & ſumpſerunt ſculptile atq; conflatile, Ephod & Theraphim. Et ſexcenti viri qui cincti erant vaſis bellicis, ingreſſi ſunt domum Michæ, & ſumpſerunt ſculptile atque conflatile, Ephod & Theraphim. Hucuſque *D. Hieronymus*, cujus verba

ba repetita dediſſe operæ pretium duxi, non tantùm ut *conflatile Michæ* & ejus *Theraphim* rationis planè diſſimilis imagines fuiſſe probem, ſed ut ὁν παρόδῳ unà mecum obſervet Lector, *Ephod* & *Theraphim* non ſolùm *Hoſ.* 3. 4. ſed & omnibus per integram *Michæ* hiſtoriam locis jam citatis, ceu indiviſos comites, voce nullâ unquam interpoſitâ, quodam quaſi ſacramento conſociari: cùm tamen *ſculptile* & *conflatile* nunc conjuncta veniant, nunc diviſa. E quibus manifeſtum eſt *Ephod* & *Theraphim* affinitatis proximæ vinculo conjuncta fuiſſe: quod & argumento eſt Michæ *Theraphim* locum τῶ *Urim*, quod Ephodi ſœdere & lege perpetuâ devinctum fuit, in illius ſacris obtinuiſſe. Sed in viam, modò hæc extra viam, redeat oratio.

Expediendum proximò incumbit, *Quo conſilio hæc omnia fecit Micha?* Cui reſpondeo: Non eo animo ædiculam ſuam inſtrumentis hiſce uſui ſacro deſtinatis inſtruxit *Micha*, quaſi à Veri Numinis fide & cultu ſeceſſum meditans; cujus illum criminis reum tot Scriptores injuriâ peragunt. Eo enim egregium ſtudii ſui in *DEUM* & Legem divinam documentum dedit, quòd quamvis primogenitum ſuum, more majorum, in Sacerdotem ſanctè & religiosè conſecrâſſet; Sacerdotem tamen è gente *Leviticâ* oriundum (qui ſe fortè obtulit) quantivis conducere ſatius habuerit, quàm morem illum jam lege divinâ antiquatum revocare. Niſi enim ſummum Legis & cultûs divini ſtudium *Micham* tenuiſſet, perinde fuiſſet illi an Sacerdos ſanguine Levitico, an imo populo genitus ſibi contigiſſet. At ille nullo non gaudio perfuſus videtur, quòd generis Levitici Sacerdote frueretur, & ſibi tanquam eo nomine favoris divini ſecuro, verbis illis impensè gratulatur; *Nunc ſcio quòd benefaciet mihi Jehova, habenti*

benti Levitam in Sacerdotem. Sed & *Michæ* mater, quæ in facti sui societatem venit, argenteos suos *Jehovæ*, in ejus nempe cultum & honorem, quantum zelo & simplicitate muliebri sibi persuaserat, se vovisse & consecrâsse asserit. *Jud.* 17. 3. Deinde, ab omni veritatis umbellâ plurimùm abest, DEUM Michæ *Theraphim* Oraculis indè datis decorare voluisse (ità enim fecisse Numen statim constabit) modò ea ad cultum effinxissent, vel si à Dæmonis responsis aut præsentiâ impuritatem hausissent nullo oceano eluendam. Ideóque opinioni communi, quæ *Micham*, animo idolòlatriæ studioso, ea omnia fecisse perhibet, non possum non obluctari: & cum iis me sentire fateor, qui dicunt *Micham*, cultûs Mosaici zelo, minus forsan oculato, ductum, religionis suæ ritus ad illius exemplar adornare studuisse. Cedò enim, quâ mente *Ephod*, ædiculam rei divinæ sacratam, Levitam Sacerdotem, instrumenta in spem Oraculi divini facta, & duos (nî conjecturâ aberrem) *Cherubinos* sibi comparârit; nisi ut *Jehovam*, cujus benedictionem tanti fecit, juxta legis Mosaicæ præscriptum coleret? Sed melius est ut clavum hunc *Monc.eo*, cui dextra fortior, figendum tradamus. Nam ille post rationem redditam cur *Jeroboami vitulos ad Cherubinorum similitudinem conflatos* senserit, causam nostram sic optimè agit: *Rationem haud levem habere videor, de Michâ & ejus matre haud secius statuendi. Ipsos scilicet suum sculptile & conflatile, suámque Ephodem & Theraphos, ad Mosaicorum ejusdem generis totidem operum similitudinem effinxisse: quia neque ipsis religionem patriam relinquere aut mutare in animo fuerit, sed quomodo publicè tunc temporis in Silo servabatur, in domum suam, privato suo & vicinorum usui & commodo, servandam transferre; tan-*

tóque

tóque id magis, quod major quædam etiam fuisse cùm in Micha tum ejus matre religionis cura & studium videatur. Quibus utique, haudquaquam uti Feroboamo, ab ambitione & asserendi regni terreni studio, verùm ab excessu pietatis & devotionis (sive illa magis pietatis simulatio & hypocrisis fuit: neque enim si cui sic potiùs videbitur, admodum repugno) tametsi anormis, & antiquam superstitionem, aut potiùs abrogatum pridem cultum renovantis, simulachra hæc instrumentáque alia sacra per imitationem effingendi cupido incesserit. Uterque siquidem Jehovæ, Dei majorum suorum cultum & timorem nominatim professus observatur. Jud. 17. 3, 13. Hisce omnibus aures eò molliores accommodo, quoniam & *Gideonem*, idololatriæ flagellum, *Ephod* & alia instrumenta, quæ tabernaculi vasa imitabantur, in ædibus sacris posuisse constet. Nam per illius *Ephod*, (utì egregiè *S. Augustin.*) *Propter excellentiam vestis sacerdotalis, significata sunt omnia quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta Sacrarii; quæ constituit in civitate suâ Gideon, veluti ad colendum Deum, similia Tabernaculo Dei.* Hucusque *Aug.* l. 7. *Quæst. in Judic.* Sed ut ad *Michæ* factum redeat, unde paululùm deflexit sermo; sic illud & *D. Hieronymus* in partem mitiorem interpretatur, *Epist. illâ* 130. ad *Marcellam*: *Micha cum veste sacerdotali, cætera quoq; quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per Theraphim feciſſe monstratur.* Quæ sanè eò magis placeant, quòd & *Grotio* eadem penè placuisse constet, è comment. in *Judic.* 17.

De candidis itaque *Michæ* Manibus malè meruêre, qui hactenus nigrum idololatriæ crimen in eum impingere non dubitârunt. E quorum numero quamplurimi sunt, quadruplici, ni fallar, argumento freti.

Primò,

Primò, inquiunt, *Micham* בית אלהים *domum Deorum* (fidum nimis idololatriæ ſuæ teſtimonium) habuiſſe, è diſertis Scripturæ verbis innoteſcit. *Jud.* 17. 5.

Reſpondeo. Vocem quidem Hebræam, *Elohim*, pluraliter ſæpe ſumi, atque ità Interpretes pleroſque omnes hoc in loco transferre agnoſco, & lubens. Eos autem perperam feciſſe, & à genuino vocis ſenſu plurimùm aberrâſſe, ex animo ſentio. Nam ſi Micha *Domum Deorum*, id eſt, *idolorum* habuiſſet, operam imprudens poſuit, dum ſculptile & conflatile ſibi fabricanda curârit; quaſi antea Deorum inopiâ laborâſſet. Neque profectò ſi criminis tam tetri ſibi conſcius fuiſſet, animo tam erecto benedictionem *Jehovæ* expectare poterat. Ideóque LXX Textûs Hebr. ſenſum fœliciùs aſſecutos exiſtimo, quibus eum in hunc modum transferre conſultius viſum, Καὶ ὁ ὶκ Μιχαίας αὐτῷ ὶκ Θεῦ. Eorum veſtigiis inſiſtens Vulgatus Interpres verba ſenſu conſimili ſumenda docet: ità enim interpretatur —— *Quod fuit in domo Michæ; qui ædiculam quoque in eâ Deo ſeparavit.* Horum interpretationibus, adeóque textui ipſi, tenebris adhuc nonnihil obductis, lucernam optimam accendit verſio illa *Arabica*, Latinè reddita, *Et verò Micha deſtinaverat in domicilio ſuo ædem Deo.* Neque inſolens & à veriſimili aliena videri debeat verſio illa; Primò, Quia loci Numini Vero dicati ſæpius in Dei codice hoc titulo celebrentur. *Jacobus* de loco viſione Angelicâ conſecrato, ità loquitur, *Non eſt hic locus niſi* בית אלהים *Geneſ.* 28. 17. & 22. Legimus etiam de בית אלהים in *Shilo.* Jud. 18. 31. occurrit eadem loquendi formula, 1 *Paral.* 9. 13. aliíſque locis non paucis, quos, utpote extra argumenti lineas, conſultus

conſultus prætereo. Deinde, probabile eſt hujuſmodi ædiculas, quas pii aliqui *DEO* ſanctas vovebant, & quibus Eum religione privatâ obſervabant, à primâ rerum *Judaicarum* memoriâ, extitiſſe: quanquam forſan iiſdem cultûs inſtrumentis, quibus domus *Michæ*, viri (ut videtur) notæ celebrioris, minimè inſtruerentur. In harum numerum venire facilè crediderim, *Domum* illam *Dei* in monte *Ephraim* poſitam, *Jud.* 19. 18. & illa בית אלהים *habitacula Dei*, *Pſal.* 74. 8. & מועדי אל *conventicula Dei*, *Pſal.* 83. 12.

Secundò objicitur, quòd *Michæ* factum in crimen apertè vocetur verbis proximè ſequentibus; *In diebus illis non erat Rex in* Iſraël: *ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Quæ verba *Michæ* cultui aliquam infamiæ notam inurunt, eúmque aliquid ſuo quidem in conſpectu rectum, non autem Dei, feciſſe innuunt.

Huic Objectioni duo repono. (1°.) Modò *Michæ* mores iis in verbis notam cenſoriam ſubiiſſe conceſſerim, minimè indè ſequetur eum peccâſſe in materiâ vel objecto cultûs, ſed loci forſan circumſtantiâ: quòd nempe illam Dei legem de ſacris omnibus ad oſtium Tabernaculi peragendis, quamvis animo non malo, violaverat. *Deut.* 12. 5. Hujus autem legis religionem minùs ſanctè habuiſſe videtur *Micha*, quoniam ædes ſacræ & aræ, Deo ubivis locorum poſitæ, gentium penè omnium in viciniâ habitantium exemplis commendatæ acceſſerant. Iis enim frequentes admodum fuerunt non tantùm domus Deorum publici juris, ſed ædiculæ & quaſi capellæ in quibus Deos ritibus privatis propitiârunt. Hujuſce veritatis teſtem appello *Tibullum*, lib. 1. *Eleg.* 10.

Tunc

Tunc melius tenuêre fidem, cùm paupere cultu,
Stabat in exiguâ ligneus æde Deus.

Hinc legibus apud *Romanos* ità aliquando cautum fuit, *Sacella nemo in privatis ædibus habeto: quum alicujus animum ſacrificandi ſtudium inceſſerit, ad publica ſacrificaturus, accedito.* Nec *Græcis* defuêre ἱερά τε καὶ βωμοὺς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱδρυόμενοι, λάθρα τὲς Θεὸς ἵλεως ἱόμενοι ποιεῖν θυσίας τε καὶ εὐχάς. i. Exponente Serrano. *Sacella aráſque in privatis ædibus collocantes, cogitantes clam votis & ſacrificiis Deos placare*; referente *Platone*, lib. 10. de Legib. Ideóque ob mores illos conſimiles, legem illam conſimilem apud ſuos rogari voluit; μὴ κεκλῆσθαι Θεῶν ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱερά· τὸν δ' φθάνοντα κεκλημένον ἕτερα καὶ ὀργιάζοντα πλὴν τὰ δημόσια, &c. *Separatim nemo habeſſit in privatis ædibus delubra, néve Deos, niſi publicè aſcitos. Qui verò aliter feciſſe deprehendatur, ſeu vir ſeu mulier, qui id ſenſit, ad legum cuſtodes deferto. Illi verò eos privata ſua ſacra in publicum proferre jubento.* Sacra hæc privata apud antiquiſſimos etiam ex Oriente populos in conſuetudinem veniſſe patet è *Deut.* 27. 15. *Maledictus ſit ille qui facit ſculptile, & ponit* בסתר *in abſcondito*, i. e. Interpretante *Maimonide*, *de Idol.* c. 7. §. 4. *Et in occulto ſervierit, recepto colendi modo.* DEUS itaque, ut malis innumeris ex hâc privata & ſine teſte religione facilè oriundis obviàm iret; præcepto curavit ne *Iſraelitæ* aram ſtruerent, conventus ſolennes celebrarent, vel victimas mactarent, niſi eo in loco quem Ipſe præſentiæ ſuæ ſedem renunciaverat. Atque id *forſan* criminis loco putandum eſt, quòd *Micha* ad legis hujuſce normam mores & cultum ſuum non compoſuerit. *Forſan* dixi, nam,

(2°.) Non adeò conſtat *Micha* cultum, in eo rerum

rum *Iſraëliticarum* articulo, à legis illius intentione multùm aberrâſſe. Eo enim tempore, Rex, id eſt, Judex nullus populo præfuit; ideóque fortaſſe (ut fit) latronum & ſicariorum plena erant omnia, ſuis forſan partibus deerant Sacerdotes, publica non niſi ſummo capitis diſcrimine adeunda, ſúſque déque verſa erant omnia. Cùm itaque ea eſſet deformis Eccleſiæ facies, *Micha* exemplum ſuum ſeculo illi in mala omnia ruenti oppoſuit, religionis quaſi *ſtator* fuit, Deúmque, ſi minùs ut voluit, ut potuit ſaltem colere decrevit. Ideóque tenuem quandam cultûs Moſaici imaginem in ædiculâ illâ quam *Jehovæ* propriam dicâſſet, imitando expreſſit. Hoc modo Cl. *Grotius Micham* culpâ omni liberat: *Quia*, inquit, *Sacerdotes officio non fungebantur, per culpam aut loca infeſta latrociniis, exiſtimavit* Michas *vel privatâ religione Deum ſibi colendum: ideoque cùm primùm filium ſuum voluiſſet ſibi eſſe Sacerdotem, mox repertum Levitam ei prætulit, ut quàm proximè ad Legis inſtituta accederet.* Profectò ſi res Eccleſiæ *Judaicæ*, *Michæ* temporibus, loco tam triſti ſitæ fuerint, eum lege dictâ ſolutum facilè pronunciemus: nam præcepta moralia quidem neceſſitati nunquam cedunt, ceremonialia verò ſemper. Hoc & *Micham* probè tenuiſſe liquet: nam filium ſuum primò, deinde Levitam, quamvis non eſset è filiis *Aaronis*, neceſſitate ità ſuadente, ad Sacerdotii munera admiſit: quod & alibi factum videtur. 2 *Chron.* 35. 14.

Tertiò. In idololatriæ ſuæ argumentum trahitur, quòd *Micha* idola ſurrepta *Deos* ſuos appellaverit. *Judic.* 18. 24.

At illam criminis ſpeciem facilè diluamus: nam ea loquendi formula è ſeculi antiquiſſimi uſu hauſta fuit; quo

quo imagines, præsentiæ divinæ symbola, *Elohim* appellare consueverant. Eo enim titulo visibilia quædam Dei præsentis pignora, *Israëlitis* in deserto agentibus, & *Jeroboamo*, donare placuit; dicentes, ecce *Elohim*, 1 Reg. 12. 28. & *hæc nobis Elohim*, de Vitulo, *Exod.* 32. 23. Cùm tamen "credibile non sit (prout *Calvinus* in locum) eos tam crassos fuisse, ut vellent "Deum sibi creari; sed per metonymiam Deos vocant "externas imagines, ex quarum aspectu colligant Deum sibi esse propinquum. Atq; huic forsitan loquendi legi sese conformem præbuit *Micha*, cùm *sculptile* & *conflatile* suum augusto Deorum titulo insignivit. Neque enim tam obtusum gestavit pectus, ut simulachra sua *Deos* esse revera crederet; quod satis ipse probavit, cùm *argenteos* suos se *Jehovæ* dedicâsse dixerit. Neque tacendum est, quòd *Micha*, cùm de Diis sibi ereptis conquestus sit, non tam *sculptile* & *conflatile* suum, quàm *Theraphim* ante oculos habuisse videatur. Quæ quidem conjectura fide suâ non caret: nam *Labanus* Theraphim suis spoliatus, *Jacobum* iisdem penè verbis, quibus *Micha Danitas*, injuriæ illatæ postulavit; dicens, *Cur Deos meos eripuisti?* Gen. 31. 30. Deinde, *Theraphim*, ceu Angelorum (qui *Elohim* sæpe vocantur) symbola, in ædibus Deo sacratis, antiquitus usurpata fuisse, alibi probaturi sumus.

Quartò. Hoc etiam telo *Michæ* innocentiam lædere student Adversarii: Hujus saltem criminis, inquiunt, meritò incusandus est, quòd *sculptile* fecerit & *conflatile*; quibus tamen Deus, prout pestis idololatricæ signis & causis, *Israëlitis* suis penitus interdixit.

Micham quidem simulachra illa feciſſe, quovis *Sibyllæ* folio certius existimo: ea verò feciſſe *Micham*,

animo in Deos alienos vergente, ut ſentiam, ab animo meo impetrare non poſſum. Cùm verò Deus, jure ſuo uſus, *Cherubinos* duos, ſculptiles præſentiæ ſuæ teſseras, in Tabernaculo ſuo poni juſſerit; imaginum ſuarum numerus, aliæque hiſtoriæ circumſtantiæ, animum inducunt ut credam, id egiſse *Micham*, ut ædicula religióque ſua privata, & Tabernaculum cultúſque publicus (tanquam facies in aquis faciei) aptâ ſimilitudine reſponderent & convenirent. Si mihi opinione falsâ jam duci contigerit, ſatìs honeſtum habeo erroris comitem, Optimum *Grotium*; cui ſententiam haud prorſus diverſam placuiſſe ſuis ipſe verbis teſtatur, In *Jud.* 17. *Sculptilia*, inquit, *Michæ*, *& fictilia*, *erant altaria*, *candelabrum*, *aliáque ejuſmodi minuta*, *vice magnorum quæ erant in Sanctuario Dei.*

Cùm itaque ſatìs quæ jam dixi probent *Micham* fide integrâ in Deum & Legem divinam ſtetiſſe, nec Gentium mores revocare, ſed tenuem ſolummodo cultûs patrii imaginem eum in ſacris ſuis effingere ſtuduiſſe; conjecturâ haud levi & vanâ colligamus, illius *Theraphim* Archetypum *URIM*, cujus locum & munus habuêre, ſimilitudine accuratâ reddidiſse. Neque enim rationi aut *Michæ* pietati conſentaneum eſt, ut exiſtimemus eum, tot ſacra ritu *Moſaico* in ſacello ſuo procurantem; inſtrumenta, in auguſtum illud Oracula tradendi munus ſepoſita, niſi *Moſaicis* ſimillima, ferre voluiſse: vel quòd Sacerdotem, cultûs ſui miniſtrum, tanto cum impendio ſibi comparare voluerit, tam gratis interea malus, ut, loco τῶ *URIM*, inſtrumenta quædam imaginum tantùm Ethnicarum formas & nomen referentia, *Ephodi* ſuo conjungi pateretur.

In ſententiam de *Micha* ejúſque *Theraphim* candidam

dam adeò, animo eò magis propenso facilíque me venire fateor; quoniam Sacro-sanctum Numen utrisque testimonium tam illustre, Oraculo è *Theraphim* dato, perhibere videatur. Nam *Danitæ* (quos dubius itineris sui eventus anxios & conturbatos tenuit) *Michæ* Levitam, *Theraphim* suis instructum adiêre, rogantes ut Deum loco suo consultaret. *Judic.* 18. 5. Ab eo verò hoc responsi tulêre, *Ite in pace, coram Domino via quam inituri estis.* De cujus responsi origine cœlesti, nullum dubitandi locum relictum video: nam *Danitas*, animos à læto illo omine sumentes, ei fidem certissimam dedisse constat; neque Levitæ religio patitur, ut eum, nullo pretio conductum, Oraculum divinum tam perfrictâ fronte simulâsse crederemus; sed & ipsum rerum eventum, Oraculi illius cœlitus emissi fidem satis impleviſse credi possit. At quis corde adeò omni vacuus est, ut sentiat *Danitas* à *Michæ Theraphim* responsa divina expectare vel *DEUM* indè reddere voluisse; modò *Micha* ea ethnicismi studio, vel à sancto Dei *Urim* planè diversa, datâ operâ fabricâsset?

Harum aut similium rationum evidentiâ victi versionis *Syriacæ* & *Arabicæ* Authores, *Theraphim* hoc in loco, non de imagine cultu divino observandâ, sed de re aliquâ bonæ famæ, quam *Micha*, animo in Pontificis ornamenta intento, fecit, intelligenda crediderint. Sic enim se habet Versio *Syriaca*, Latinè tradita; *vir enim Micha --- fecerat Ephod* & ejus *pallium*: sic autem Arabica, *fecerátque Micha tunicam & thoracem quibus induuntur Sacerdotes.* Cur autem Authores illi, *Theraphim* pro *Ephodis* pallio aut Pectorali, non de *URIM* potiùs sumenda senserint, rationem hanc unam acerrima atque attentissima cogitatio mihi

datura est; nempe plusquam probabile est, sacram illam *Ephodis* icunculam, cui *Theraphim* proximâ naturæ & muneris similitudine accessêre, animos eorum minùs attentos prorsus latuisse.

Utcunq; hæc omnia vel minimè considerâsse, vel minimi habuisse Cl. nostrum *Seldenum*, nimis firmo argumento sunt verba illa quibus insaniæ post natos homines maximæ notam *Michæ* & *Danitis* imprimit. *Malè cultum Dei veri & idolorũ seu dæmoniorum miscuit Micha: Ephod enim & Levitam Deo vero proculdubio, Theraphim & conflatile & sculptile Dæmoniis sacravit. A quibus tanquam à DEO O. M. etiam Oraculum impetrârunt Danitæ, ut capite sequente patet. Nec fidem τῷ Ephod quod ad Deum retulêre, nec τοῖς Theraphim Dæmoniorum seorsim habuêre idololatræ; ideóque utraque consulenda, divino cultu utraque suspicienda perperam duxêre.* Hæc ille Syntag. 1. de Diis *Syr.* cap. 2. Sed ignoscant mihi Viri in pauciſſimis eruditi *Manes*, si in hâc discursûs sui fabricâ me non rimam sed ostium videre dixerim: nam fidem planè omnem excedit, *Micham*, qui benedictionis divinæ cupiditate & legis suæ zelo totus flagravit, Deum & Dæmones in ejusdem cultûs societatem vocare voluisse; vel *Danitas* adeò omnes stultitiæ & impietatis lineas supergressos, quòd Dei Oraculum consulere vellent, nec tamen illi fidem adhibere, nisi novam à suffragio Dæmonis (optimi, si Diis placet, fidejussoris) authoritatem accepisset. Sed si tam perditis & profligatis ingeniis moribúsque fuissent *Micha* & *Danitæ*, quòd ad Dei *Ephod* & Diaboli *Theraphim* pari cultûs & fidei gradu accedere voluerint; longè magìs à fide omni recedit, DEUM istiusmodi omnium scenarum hominibus per responsa sua adesse & penè adblandiri voluisse. Miror itaque

Theodore-

Theodoretum in sententiâ vero tam dissimili stetisse olim: nam ille de hoc textu [*Et fecit Ephod & Theraphim*] obiter verba faciens, Εξοτ. μθ'. in *Reg.* 4. eum in hunc modum explicandum censuit: Τὸ μὲν Εφωδ κατὶ μίμησιν τῆς ἱερατικῆς ἐνδύματος, τὸ δὲ Θεραφὶμ ταῖς μαντικαῖς ἐῴκει ἀρμόττον προῤῥήσεσιν· i. Interprete *G. Herveto*, Ephod *quidem ad imitationem vestis sacerdotalis*, Theraphim *verò magicis prædictionibus conveniebat.* At forsan minùs à sensu vocis μαντικαῖς, & *Theodoreti* mente aberrat, qui eam non de magicis sed prophèticis, i. e. divinis prædictionibus interpretatur.

Hunc Textum partibus nostris impensè favere, satìs (ni me fallat animus) jam dicta probant. Nequeo tamen temperare mihi, quin & hoc unum, coronidis vice adjiciam: quòd Theologus è nostris celeberrimus, hujus & suprà laudatæ Scripturæ luce victus, tam prope à vero & nobis in hoc Argumento abfuit, quòd *Theraphim* apud Gentiles, ex adverso respondisse τῷ *URIM* apud Hebræos, illius loco à *Michâ* & *Jeroboamo* posita, ejusque munere nonnunquam functa fuisse, ultro dederit. *URIM* autem & *Theraphim* semper ejusdem generalis naturæ & usûs simulachra, nonnunquam duo ejusdem rei sacræ nomina asserere, ei religio fuerit: forsan ne Sanctus *DEUS* per ea idola, per quæ coli noluit, ordinariè loqui crederetur. Ille verò aurâ levior scrupulus est: neque enim per simulachra Dæmoni inscripta & de medio sumpta, sed per pura quædam & illibata, huic sacro muneri ex præcepto divino dicata, & Angelicâ forsan vel Divinâ manu (prout & [a] tabulæ testimonii) fabrefacta, *DEI* Oracula tradita contendimus.

[a] Exod. 32. 16.

Sect. 5.

Aſtruitur ſententia argumentis probabilibus è Scripturâ depromptis.

ARgumenta è Scripturis deprompta quæ viribus præſtare, & ſpem victoriæ lætiorem mihi facere videbantur, veluti milites fortiores, in primâ quaſi acie diſponenda cenſui. Hiſce alia ſuccedunt paulò debiliora, utpote è Scripturis obſcurioribus elicita, quæ *probabilium* tantùm titulo me digna habere, palàm & ingenuè profiteor. Horum primum petitur è

Judic. cap. 8. com. 27.

Et fecit illud Gideon לאפוד *in Ephod, & ſtatuit illud in civitate ſuâ Hophrah.*

In cujus primo Textûs limine, duo priores nodi ſe ſolvendos præbent; nempe, *Quid hic fecit Gideon, & quali animo fecit.* Hiſce remotis, ad argumentum è Textu deducendum, orationis noſtræ pedes ſoluti eò minùs offenſi & impediti progrediantur.

Fecit itaque *Gideon* (ut primo quæſito ſatisfiat) inſtrumenta ea omnia, cultui divino inſervientia, quæ & *Micham* antea feciſſe diximus. Nempe *Ephod*, id eſt (ni fallat conjectura) veſtem eâ arte elaboratam, ut, ſi ſplendorem ſpectes, cum primo ſuo exemplari, veſte Pontificiâ, certare crederetur: Et *Theraphim* inſuper, cum ſimulachris *Cherubinorum* figuras & pompam æmulantibus. Hujuſce conjecturæ fundamenta haud infida me habére exiſtimo. Nam (1°.) Veſtis illa Pontificia (quod lippis notum) ex lino præcipuè conflata fuit: adeóque certum eſt נזמי הזהב *inaures illas aureas* (quæ *Gideoni*, re bene geſtâ contra *Midianitas*,

nitas, præmii loco cedebant) in eâ conſtituendâ partem nullam vel nulli proximam habere potuiſſe. (2°.) Simulachra in uſum religioſum ficta, ex iſtiuſmodi inauribus, receptâ ſeculi conſuetudine, antiquitus compoſuêre. Huic aſſertioni fidem adjicit Textus ille, *Geneſ.* 35. 4. *Et dederunt Jacobo, omnes qui ſecum, Deos alienos qui erant in manibus ipſorum, &* הנזמים *inaures quæ erant in auribus ipſorum.* Cui obſcuriori loco lucernam accendit optimam *Schindlerus*, in voc. נזם: *Tempore*, inquit, *illo monilia erant parata, ut indè idola fierent, & peculii loco haberentur: ſicut ex inauribus* (quas ex Ægyptiorum uſu geſtârunt Iſraëlitæ) *Vitulum fecit Aaron*, Exod. 32. 2, 3. *Et Ephod Gideon. Ideóque Jacob ſimul cum idolis, monilia abſcondit.* Plura de inauribus iſtis habeant curioſi apud *D. Auguſt.* Epiſt. 73. *Maimonid.* de Idololat. c. 7. §. 10. & *Grotium* in *Geneſ.* 35. 4. (3°.) Singulos qui, religionis curâ ducti, ſymbola divina formâſſe dicuntur, auri aut argenti plurimum ad opus ſuum ornandum corraſiſſe legimus. Nam *Aaron* vituli ſui conflandi gratiâ omnes populi inaures, *Micha* ducentos argenteos, & *David* ad Cherubinos ſuos componendos [a] auri puriſſimi non parùm ſibi comparavit. Nec certè mihi vel fingere datum alium in religione uſum, præter jam dictum, cui *Gideon* ingentem illam auri vim dedicare poterat: *fuit enim*, hiſtorico ſacro referente, *pondus inaurium auri quas poſtulavit, mille & ſeptingentorum aureorum.* Com. 26. At fidei planè abſonum eſt, Sacerdotem ullum, tanti ponderis *Ephode* onuſtum potiùs quàm veſtitum, religionis operibus ſe accingere potuiſſe. (4°.) Sat liquet, Iſraëlitas *Aaronis* vitulum, *Michæ* conflatile & *Gideonis* Ephod, quanquam præter Authorum conſilium,

[a] 1 Chron. 28. 18.

cultu tandem idololatrico profecutos fuiſſe. Probabile eſt itaque ea quæ uſu conſimili (fato infœlici) conſpirârunt, naturæ conſimilis communione & ſocietate cohæſiſſe. (5°.) Verſionis Arabicæ Author, textum, qui nos occupatos jam tenet, non ſine conſilio, ſic vertit: *Et conflavit illud Gideon in ſimulachrum.*

Hiſce omnibus opponet fortaſſe non nemo, quòd textus ſacer ſatis verborum meorum vanitatem redarguat; qui *Gideonem* aureos ſuos in *Ephod* (non in *Cherubinos* aut *Theraphim*) feciſſe aſſerit. Ideóq; imagines ullas ab *Ephode* diverſas, ipſe fingam, non *Gideon.*

Reſpondeo. Ità quidem textum à pleriſque Interpretibus reddi, non ſum neſcius: nec ab iis diverſa abit verſio noſtra *Anglicana*, quæ ſic habet, And Gideon made an Ephod thereof, ex inauribus nempe, quarum commate præcedente mentio facta eſt. At forſan Viri illi docti verſiones ſuas non adeò ſeverè ad veritatem Hebraicam eo in loco exegerunt. Ità enim in fonte legimus ויעש אתו הנרעון לאפוד *& Gideon fecit illud* [puta זהב aurum] *propter Ephod* (nam ità *Hebræorum* ל quando præfixi locum habet frequenter ſignificat) i. e. formavit aurum in *Theraphim* & *Cherubim*, *Ephodis* gratiâ: nam ut Sacerdos, non niſi *Ephode* ornatus, figuras priores conſuleret & ad poſteriores accederet, in legem & morem tranſiit. Si hic ſenſus obtineat, locum huic ἀδελφον habeamus, 1 *Reg.* 6. 16. *Et ſtruxit illi*, [ſcil. templo] *viginti cubitos*, לרבר לקדש הקדשים: ubi nos & alii ל tribuimus poteſtatem vocis *propter*; ità transferentes, Even for the Oracle, even for the moſt holy place. Simile exemplum dabit *Judic.* 6. 31. *Num* לבעל *pro Baale litigabitis?* & *Job.* 13. 7. הלאל *Num pro Deo loquimini vanitatem?* vid. & cap. 19. 17. & 37. 1. Sed ſi hæc

si hæc duri aliquid & coacti habeant, dici possit cum S. *Augustino*, *Ephod*, propter eminentiam & dignitatem suam, pro omnibus aliis nominis minoris ornamentis, ad Sacrarium aut Sacerdotem spectantibus, hoc in loco sumendum esse. Nam occurrunt nonnunquam in Scriptis divinis, *Urim* & *Thummim* nullâ mentione factâ τῦ *Ephod* & *Coschen*; aliquando *Ephod* sine mentione τῦ *Urim*. 1 *Sam.* 23. 9. quoniam hæc omnia connubio & fœdere fideliſſimo conjungebantur. Quidni itaque *Ephod* hîc sensu complexo accipiamus; & eâdem fiduciâ, *Theraphim* vocis illius ambitu hoc in textu, quâ *Urim* in alio, contineri asseramus?

Si jam de *Gideonis* animo, *Ephod*, & quæ alia eo nomine censenda sint, fabricantis, dubium moveat Lector; id certè eximiæ suæ pietati & in Deum gratitudini, cujus auspiciis tam lætam de *Midianitis* victoriam reportavit, deberi credo, ut eum candido simplicíque animo, quamvis eventu nigro & tristi, hæc omnia feciſſe sentiamus. Nam eo forsan boni viri consilia collineârunt, ut victoriæ suæ memoriam, per monimenta quædam ex hostium manubiis & spoliis facta, & rerum sacrarum similitudinem præferentia, posteritati consecraret: vel (quod propius fidem est) ut zeli & gaudii exceſſu jam motus, figuras *Cherubinorum*, *Ephodis* ejúsque *Urim* vel *Theraphim*, in simulachris suis effingeret; quò Dominum Exercituum, cui palmas suas debuit, non publicè tantùm sed & privatim, secundùm Tabernaculi usum consuleret & adoraret. Eandem sententiam ratam habuit *S. Augustinus*, lib. 7. Qu. in Jud. *Ideo*, inquit, *fuit peccatum Gideon, quòd extra Dei Tabernaculum fecerit aliquid simile ubi Deus coleretur, non quòd solido auro, velut ad adorandum, constituerit Ephod.* Sed veriſimile est *Gideonem* (qui imperii summam

ſummam jam tenuit) *Ephod* & annexa ſimulachra, conſilii divini, rebus ità poſtulantibus, capiendi gratiâ, imprimis fabricâſſe. Cui ſententiæ lucis & roboris non parùm fœnerant S. *Theodoreti* verba, in *Judic.* Q. 17. Ὁ μέντοι τοῦ Γεδεὼν σκοπὸς οὐκ εἰς ἀσέβειαν ἀπέκλινεν· ἀλλ' ὡς ἄρχων καὶ στρατηγὸς ἐβούλετο διὰ τοῦ Ἐφὼδ τὸ πρακτέον μανθάνειν· i. *Gideonis intentio minimè vergebat ad impietatem; ſed cùm eſſet princeps & dux Exercitûs, volebat cognoſcere per Ephod quid facto opus eſſet.* Eidem ſententiæ doctiſſimum *Schindlerum* manum dediſſe liquet è verbis ſuis in voc. אפד. Ubi textu noſtro [*& fecit illud Gideon in Ephod*] obiter laudato, addit, *Eſt ſpecies divinationis ſimilis ſacro Ephod.* Nempe, probè novit *Gideon*, Deum *Ephodis* Oraculum regni ducibus proprium feciſſe; & illud non ad frivola vulgi, ſed graviora regni dubia ſolvendum inſtituiſſe. Juxta id quod legimus in *Maſſec. Sotah*, אין שואלין אלא צבור או נשיא *Nulli fas eſt conſulere illud*, [Oraculum Urim] *niſi Congregationi aut Regi.* Cùm itaque *Gideon* ad regni clavum ſederet, ut publicum *Ephodis* Oraculum (tanquam cynoſuram, turbidis præſertim temporibus, apprime neceſſarium) ad curſum ſuum dirigendum, præſens haberet; forſan non minùs populi ſalutem quâm loci ſui dignitatem poſtulare exiſtimavit. In tam blandam & mitem de *Gideone* ſententiam inclinat animus, quoniam, reclamante adeò ratione & charitate omni, ſentire non poſſim *Gideonem* cœli Majeſtatem ità in os lædere voluiſſe, ut ſimulachrum, *Ephodis* ſui titulo decoratum, ad cultum idololatricum; & ſpolia hoſtibus, Deo auſpice, erepta, Diabolo dedicaret: quaſi in animo haberet de Deo & hoſtibus ſuis, unâ operâ, ſimul triumphare.

Cùm itaque vero ſimillimum ſit *Gideonis* & *Michæ* factum

factum atque animum non multùm ab invicem abiîsse; & utrosque imagines aliquas aureas & argenteas (*Cherubim* forsan & *Theraphim*) eásque divinandi & Tabernaculi vasa imitandi studio, arte & opere *Mosaico* perfecisse: indè conjecturam facere liceat, Pontificis *Ephod* (exemplar illud ad cujus similitudinem sua omnia formavit *Gideon*) imaginem unam aut alteram intus habuisse. Quòd enim *Gideon* à Tabernaculi formâ & usu, in institutis suis religiosis, vel latum unguem recedere prudens sciénsque voluerit, illius tam clara & testata fides & pietas, ut credam, minimè patiuntur. Atque hoc primum argumentum est ex eorum classe, quæ probabilium titulo distinguere visum est.

Secundó. Si Sacra Monumenta evolvamus, observatu facile est, viros & fœminas, *Judæos* & *Israëlitas*, bonos juxta & malos, quovis seculo, summo τῶν *Theraphim* affectu & admiratione ductos fuisse. Cùm enim *Rachel* se fugâ furtivâ Patri subduxerit, *Theraphim* affectu religioso (vel, si magìs placeat, superstitioso) prosecuta, dolo plusquam fœmineo usa est, non ut Patris sui aurum, monilia, vel alia aliqua in domo ejus, pretiosi nominis, sed ut illius *Theraphim* possideret. Nam veritati prorsus dissimile est, *Rachelem* ea suffuratam fuisse ut *Labanis* studia ab idololatriâ avocaret, (quod [a] *Theodoreto* aliísque placet) vel ne eorum inspectione augurando cognosceret ille, quodnam iter institueret *Jacob*: nam *Labanus* alia sibi idola parvo negotio comparare poterat, & *Rachel*, longè minore, ea vel in viâ abscondere, vel in *Euphratis* profluentem abjicere: neque si eo tantùm fine id fecerit, opus erat ea integrum septiduum, non itineris tantùm sed & fugæ suæ impedi-

[a] Ὑπολαμβάνω ἐγὼ ὅτι καὶ τὸν πατέρα τῶν δεισιδαιμονίας ἐλευθερῶσαι βουλομένη, σεσύληκεν αὐτά [Θεραφίμ] Interrog. 90. in Gen.

impedimenta retinere. Quali verò (ut ad viros aſcendat oratio) ægritudine afficitur *Laban*, jam (deliciis ſuis) *Theraphim* ſpoliatus! quàm omni ratione obnixè id agit ut ea denuò recuperaret! quàm increpat *Jacobum*, quaſi violatis juſtitiæ & hoſpitii legibus, ea poſſidentem, verbis irâ & religione temperatis! *Quare* inquit, *furatus es Elohim*, maximos Deorum meorum? prout verſio *Copt.* teſtante *Kirchero*, emphaticè reddit. Neque *Jacobum* ipſum, quem *Laban* furti illius reum fecerat, *Theraphim* nullius æſtimâſſe, probat reſponſio ejus, Gen. 31. 32. *Apud quemcunque ea inveneris, capitis pœnam ab eo exigas.* Quaſi credidiſſet tanti ſacrilegii maculam, modò familiæ ſuæ illatam, non niſi furis ipſius ſanguine deleri potuiſſe. *Micham* etiam, (quem veri Numinis cultui devotum probavimus) animi valdè diſcruciatum & religioſis quibuſdam intemperiis agitatum legimus, cùm *Danitæ Theraphim* ejus manu armatâ ſurripuiſſent: omnia ſtatim clamoribus & querelis ſuis miſcuit: imò ea vel vitæ periculo redimere non grave habuiſſe videtur. *Judic.* 18. 15. Apud *Ægyptios* etiam, à profundiſſimâ antiquitatis memoriâ, obtinuit uſus *Serapum*, id eſt, imaguncularum, ejuſdem muneris, figuræ, & (quod alibi oſtendimus) nominis, cum *Theraphim:* quæ & *Moſis* ſeculo, *templa, vicos, angulos, domos, ſemitas*, omnia impleverant: niſi quis [a] *Kircheri*, hæc è Scriptoribus & monumentis *Ægypti* antiquiſſimis teſtantis, fidem elevet. Populum etiam *Iſraëliticum*, à primis uſque gentis incunabulis, *Theraphim*, rerum ſacrarum & deſiderabilium numero poſuiſſe, indè probabiliter colligamus; quòd conſtet *Rachelem*, & forſan *Jacobum*, unde genus repetebant *Iſraëlitæ*, ea ſummo in

[a] Oedip. Ægypt. P. 1. p. 258.

in pretio & honore habuiſſe: adeò ut eorum filii uſum & amorem ☞ *Theraphim* cum ipſo lacte & primis parentum monitis hauſiſſe cenſeantur. Sed rei hujuſce fides indè magis manifeſta eſt, quòd *Danis* Filii, cùm de *Michæ Theraphim* famam accepiſſent, eum ſtatim adeunt, ut conſilium de rebus ſuis in ambiguo ſitis à *DEO* impetrârent. Ex itinere verò reduces, jus in viribus habentes, conſilia de iis auferendis repentè ineunt, *Judic.* 18. 14, 15. in domum ſuam facto agmine irruunt, & *Theraphim* indè *Michæ* invito eripiunt. Deinde, Propheta *Hoſeas* inter cætera quæ *Iſraëlitas* plurimi facere, & quorum deſiderium eos impotenter laturos norat, *Theraphim* numeravit. *Hoſ.* 3. 4. Neq; *Iſraëlitis* ſolis, ſed & *Babyloniis*, *Chaldæis*, *Syris*, ſua fuiſſe *Theraphim*, ſat liquet è Scripturis ſupra allatis; non niſi quorundam nauſeâ reponendis.

Cùm itaque hujuſmodi ſimulachra (præ aliis omnibus) antiquitate ſummâ, receptione catholicâ, & Oraculorum traditione, tanquam triplici funè, hominum cujuſcunque cenſûs & ingenii affectus ſibi devinctos tenuerint; credi non poſſit rudiorem *Hebræorum* plebeculam repentina ab iis divortia, animo æquo facilíque ferre potuiſſe. Ideoque ſeculi *Moſaici* mores atque indoles magis ſuadebant, ut *DEUS* antiquiſquiſſimum ☞ *Theraphim* uſum (paulò emendatum) in Pectoralis *URIM* conſervâret *Iſraëlitis*, quàm forſan omnes alios ritus *Moſaicos*, quos, *Sect.* 7. è ſeculi illius conſuetudine aliquâ pertinaci originem petiiſſe probaturi ſumus.

Tertió. Modò Scripturas, quæ ritus ullos hoc Oraculum ſpectantes memoriæ mandârunt, in unum conferamus; nos facilè perſuaſos habeamus, Sacerdotem faciem ſuam verſùs *Arcam* aut Tabernaculum, inter conſuetu-

consulendum, plurimùm direxisse. Hunc ritum innuit textus ille, *Judic.* 20. 27, 28. *Et filii Israël interrogârunt Dominum (nam Arca fœderis Dei erat ibi, in diebus illis) & Phinehas, filius Eleazar, filii Aaronis, stabat ante eam, in diebus illis; dicens, Num addam ultra egredi ad bellum contra filios Benjamin fratris mei, an desistam? Respondit Dominus, ascendite, &c.* Qui locus *Israëlitas*, res suas Dei consilio tradituros, coram *Arcâ* stare solitos, extra dubium ponit: eos autem Dei consilium, mediante *Urim* & *Phineazi* ministerio dandum, tunc temporis expectâsse, certum habent quotquot Interpretum titulo inclaruerunt. *Saulus* etiam, cùm ei in animo esset Dei responsum per *URIM* quærere, 1 *Sam.* 14. 18. *Arcam Dei* sibi propiùs admoveri jubet. Ubi *Arcam* plerique de Arcâ fœderis intelligendam sentiunt. Et com. 36. & 37. cùm *Ahijah* Sacerdos, in periculosæ aleæ negotio, consilium divinum expetere statuisset, *Appropinquemus* inquit, *huc ad Deum:* h. e. ni fallar, Arcam, aut aliud aliquod præsentiæ divinæ symbolum aut locum. *Israëlitæ* etiam sese ad *Shilo*, ubi Arca Dei posita erat, contulisse, & à Deo consilium in re bellicâ, per *URIM* (uti plurium fert opinio) afferendum, petiisse dicuntur. *Judic.* 20. 18. Atque hunc ritum eò sacratiorem forsan habuerint Sacerdotes populique Duces, quoniam mandatum dedisset Deus, ut *Eleazar interrogaret de judicio Urim CORAM DOMINO*, *Num.* 27. 21. i. e. *coram Arcâ* vel Tabernaculo: nam Textus sacer, optimus sui Interpres, hunc sensum phrasi illi, sæpius alibi usurpatæ, tribuendum docet. viz. *Exod.* 16. 33. *Accipe urnulam — & repone eam CORAM DOMINO:* quorum verborum vice, *coram Testimonio*, h. e. *coram Arcâ Domini*, vers. præced.

ced. legimus. Et 2 *Sam.* 6. 5. ubi *Davidis* coram *Arcâ* gestientis historia occurrit, dicitur, quòd *David & universus populus ludebant coram Domino.* i. e. *Arcâ*, sine dubio. Sensu simili phrasis ea sumi creditur, *Josh.* 4. 13. Plura exempla (ut nos feriemur) dabit *Bertramus* de Rep. Jud. c. 15. Ubi *CORAM DOMINO* vel *AD DOMINUM*, inquit, *sunt formulæ loquendi quæ ferè semper* de Arcâ *sunt intelligendæ. Ut Josh.* 24. 1. *Judic.* 2. 5. *&* 11. 11. *&* 20. 1. *&* 1 *Sam.* 6. 20. *&* 10. 17, 19. *& cap.* 11. 15. *&* 14. 36. *vel* de Tabernaculo, 1 *Sam.* 21. 7. Ne verò quod de hoc *Ephodis* consulendi ritu dictum est, quispiam in suspicionem falsi traheret, ob exemplum *Davidis*, quem responsa à Deo per *Ephod* frequenter petiisse constat, cùm magno terrarum intervallo ab Arcâ & Tabernaculo disjungeretur; monendum est, *Davidis* in exilium jam missi conditionem, *Davidis* personam crimine omni liberare. Cùm enim necessitas urgeret, Viri sancti extra locum Lege præscriptum Sacra facere; & ulla legis ceremonialis vincula solvere, fas olim habuêre. Non obstat itaque *Davidis* profugi exemplum, quo minùs directionem faciei versùs Arcam aut Tabernaculum, cum ritibus aliis à Sacerdote, cùm Oraculum *URIM* scitatum iret, plurimùm observatis annumeremus.

Hujus autem ritûs, cùm Sacerdos è Pectoralis Oraculo responsa expectaret, tam sanctè observati, rationem hanc unicam cogitationes meæ secundas reddendam suggerunt. *DEUS* antiqua *Theraphim*, sub novo τῦ *URIM* titulo, *Israëlitis*, pro more seculi consulenda reservavit: ne verò Sacerdos, cùm Pectoralis sui *Theraphim* interrogaret, à Dæmone, stellarum influxu, aut incerto Numine, more Gentium, responsa Prophetica petere aut accipere insulsæ plebeculæ videretur;

deretur; curatum est ut Sacerdos, sacro illo defungens munere, versùs præsentiæ divinæ symbola sese dirigeret, ut ipse corporis sui situs Se *Theraphim* ejus, *DEI* solius nomine interrogare & à *DEO* vero pacis & veritatis responsum expectare testaretur: Atque hanc rationem basin eò firmiorem habere censeo, quoniam *Israëlitæ* ritus alios, qui à vetere aliquo seculi usu ansam & originem accepêre, *Coram Domino*, i. e. Arcâ vel Tabernaculo peragere tenebantur: quò nempe se non in Dæmonis ultra sed Dei honorem sacra illa vetera celebrare, testatum facerent. Quam quidem assertionem variis exemplis probare, operis non multi esset, nisi quòd pedes mei per aurea illa poma nimis extra cursûs destinati limites ducerentur.

Quartó. Spiritus S. eundem loquendi modum & legem ubique inviolatam servat, cùm de *Theraphim*, *Cherubim*, *Urim* & *Thummim*, sermonem facit. De iis enim omnibus de improviso & Lectore non præmonito mentionem infert. Nam *Rachelem* Patris sui *Theraphim* furto accepisse narrat, cùm ne minimum de rei illius naturâ & figurâ verbum illi historiolæ præmisisset. Deum etiam ad orientem horti *Edenis Cherubinos* posuisse refert, *Gen.* 3. 24. at ne tenuem antea de eorum formis auram in scriptis Θεοπνεύστοις spirantem inveniamus. Legimus etiam *Exod.* 28. 30. Deum *Mosi* præcepisse *ut daret in Pectorale Urim & Thummim*, cùm nè syllabam quidem ad rerum earum conditionem enarrandum præmisisset. Unde bene in textum illum annotavit. *R. Bechai* ונזכרו כלשון וישכן מקרם לגן עדן את הכרובים וגו *Est locutio qualis in illo*, collocavit ad orientem Paradisi Cherubim, *quorum creationis antea non recordatur*. Sed magis in rem nostram cedit observare, Scripturam sacram, *Theraphim*

raphim, Cherubim, Urim & Thummim, nullâ unquam periphrasi, titulis nullis præterquam celeberrimis illis, nobis descripta exhibere. Ethnicorum Symbola religiosa, nunc *Elohim*, nunc simulachra, nunc gentium abominationes, alibi aurum aut saxum in Dei Scriptis appellantur: at rerum earum, quas dixi, nomina, quasi virtute quâdam divinâ pollerent, Scriptores sacri mutare, religioni habuisse videantur.

E dictis, ni fallat cæcum causæ nostræ studium, duo hæc haud inconsultò colligamus. Primó Quòd res illæ sacra quædam instrumenta essent, quorum formam & usum Israëlitæ satìs sine Interpretis ope cognitam & perspectam habuêre. Secundó. Quòd ea omnia in generali conceptu imaginis aut sculptilis, in usum & mysterium religiosum sepositi, se mutuò amplecterentur & convenirent. Nam id tantùm in causâ fuisse videtur, cur Scriptores divini sacra illa, nominibus eorum potiùs munera quàm formas referentibus, notare, satius duxerint; ne scilicet populus *Israëliticus* (cujus fides in Deum in præcipiti & lubrico semper stetit) audito frequenter imaginum nomine, eas vel veri Dei effigies, vel Numinis alicujus fictitii symbola somniaret: adeóque in Gentium errores aut cultûs ethnici desiderium sensim & incautus prolaberetur. Hisce etenim malis, è religioso imaginum usu oriundis, nullo fœliciore medio occurrendum erat, quàm si imagines illæ nominibus non à materiâ aut formâ sed munere & usu desumptis perpetuò describerentur. Nam tituli illi superstitiosos vulgi errores, si fortè nascentes, refellere, & eorum animos à crassâ simulachri materiâ ad rei cœlestis, cujus figura & index fuit, contemplationem ducere possent & elevare. Nemini itaque mirum videri debeat quòd Scriptura Sacra materiam si-

mul & formam veterum apud Patres *Theraphim*, *Mosaicorum Cherubinorum*, *Urim* etiam & *Thummim*, silentio plusquam mystico texerit, & (de iis loquens) ab *imaginis*, ceu verbi malè ominati, mentione abstinuerit: nam à frequente nominis illius usu, tanquam ab aurâ minùs salubri, aliquam morum aut dogmatum corruptelam hausisset forsan populus *Israëliticus*, qui à morbo idololatriæ in Ægypto concepto nondum plenè convaluisset. Ut rem in pauca conferam: cùm apertum nobis & liquidum sit, *Cherubim* & *Theraphim* simulachra fuisse, rerum aut animalium quorundam figuras imitantia, quanquam ob rationes jam dictas, nomina semper non à naturâ suâ generali, sed speciali munere reportârint; quidni etiam *Urim* & *Thummim* in imaginum numerum referenda censeamus, quamvis ob causas non dissimiles eo titulo nusquam appellentur? nam aliter haud facilè quis dixerit, cur Scriptores sacri ab omni vel materiæ vel formæ eorum descriptione, manus tam studiosè semper cohibuerint.

Quintò. Satis è Scripturis liquet *DEUM* aliquos seculi mores *Israëlitis*, ob insuperabilem suam σκληροκαρδίαν & majoris alicujus mali vitandi causâ, permisisse. Quum enim *DEI* regimen & *Samuelis* monita parvi pendentes, Regem sibi dari, ad morem Gentium conterminarum (κακοζηλίας studio occæcati) enixè postularent; *DEUS* [a] penè invitus se exorari passus est, & (quòd Patres consulti solent) filiorum suorum proterviam non facilè corrigendam leniter tulit, ne in mala pejora ruerent nisi eorum votis annuisset: quamvis Dei honori & populi commodo magis consultum fuisset, si molli imperii divini jugo cervices nunquam subtraxissent. Cùm etiam divortia (quæ apud multos popu-

[a] Hos. 13. 10.

los

los maturè invaluiſſe conſtat, è *Judic.* 15. 2. *Eſth.* 1. 19.) in ipſum Dei peculium cum polygamiâ irrepſerant, & è gente tam pertinaci & refractariâ tolli, ſine malo graviore vix poſſe viderentur; DEUS effræni gentis *Iſraëliticæ* licentiæ nonnihil compeſcendæ legem tradidit, eam autem prorſus de medio tollere non voluit, eò quòd indomita illa juvenca arctioribus conjugii vinculis quàm olim, ſe conſtringi nullatenus pateretur. Tot ſunt aliæ leges ritúsque (extra Argumenti præſentis pomœria poſitæ) è *Judæorum* potiùs proterviâ quàm Dei beneplacito oriundæ; quòd *Juſtinus M.* contra *Tryphonem*, è præceptis à Deo datis quædam vocet φύσ χ αἰώνια καλὰ *ſuâpte naturâ & ſemper bona*, *quædam* πρὸς σκληροκαρδίαν τῦ λαῦ διαταχθέντα, *ob duritiem tantùm populi tradita.*

Cùm itaque conſtet DEUM, ob ferreum populi nervum in meliora minimè flectendum, plurima olim in uſu, etiam in mali confiniis poſita, *Iſraëlitis* rigido ſilice durioribus conceſſiſſe, non ſine ratione credimus Eum antiquum & (in ſe) innocuum illum Oracula è *Theraphim* petendi morem, ſub certis tamen conditionibus, populi ruditati indulſiſſe: cùm præſertim ipsâ hâc luce clarius ſit, omnes cujuſcunque loci & ingenii homines, à primâ antiquitate, effectu propenſiſſimo τοῖς *Theraphim* adhæſiſſe.

Atque hæc ea argumenta ſunt è Scripturis petita, quæ *Probabilium* tantùm fide titulóque digna me habere profeſſus ſum. Si itaque, poſtquam in ſeverâ rationis lance ea Lector trutinaverit, haud adeò multum ponderis apud eum habitura ſint; hoc ſaltem ab æquitate ſuâ mihi ſpondere liceat, ne eorum gratiâ, argumenta mea alia iniquiore cenſurâ vexet, priuſquam eorum momenta ſeriò penſitaverit.

Sect. 6.

Sententia de naturâ URIM tradita firmatur teſtimonio Phil. Judæi, Aben-Ezræ, & Chriſtophori Caſtri.

QUamvìs tam luculenta Scripturæ teſtimonia mihi penitus perſuadeant, ſententiam meam veram eſſe, vel ſaltem quâvis aliâ veritati propiorem; quò minùs tamen Scripturas in partes meas trahere potiùs quàm ducere, & nubem ſolummodo è craſſioribus rerum ſacrarum conceptibus natam amplecti, videar, eam doctorum etiam quorundam teſtimoniis communitam dabo.

Hîc verò me inter libros & literatos hoſpitem adeò, dolens fateor, quòd, ſi duos aut tres eósque paucis admodum de hoc Oraculo diſſerentes eximam, me nullos qui mecum in hoc Argumento ſentiant vidiſſe contigerit. Horum autem primus eſt *Philo Judæus*, qui *Lib. 3. de Vit. Moſ. m. p. 670.* de Rationali loquens, hæc habet, Τὸ δὲ Λόγιον πετράγωνον διπλοῦν κατεσκευάζετο, ὡσανεὶ βάσις, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, δήλωσίν τε καὶ ἀλήθειαν. Quod quidem teſtimonium (nè quid de meo *Philoni* aſſuere videar) malim verbis *Rob. Heggi* noſtratis, quàm propriis, Latinè reddere. Ità verò tranſtulit ille, Lect. 4. in aliquot ſacræ paginæ loca; *Rationale factum erat quadrangulum & duplum, tanquam baſis deſtinatum, & imagines duarum virtutum ferens, Doctrinæ vel Manifeſtationis & Veritatis.* Parcatur Authori noſtro *Philonis* teſtimonium transferenti, ſi verbum verbo non reddiderit: id enim linguæ Romanæ anguſtia & ſenſûs abundantia minimè ferebant. Ut itaque plenum verbis ſuis lumen afferam, hoc (ni me falſum habeam)

am) ſibi voluit *Philo*, "Λόγιον eo fine duplex factum "eſt, ut illius fundum vel medium eò fœliciùs dua-"bus imaginibus ferendis inſerviret: quæ quidem ima-"gines *Manifeſtatio* & *Veritas* dictæ ſunt, vel quòd "harum qualitatum ſymbola eſſent & typi, vel quòd "eâ virtute divinâ quandoque præditæ, qua verita-"tem manifeſtam facere poſſent. Certè ni hic fuerit *Philonis* ſenſus, juxta cum ignaris maximè me ſcire ingenuè fateor, cur Λόγιον ſimulachrum aliquod geſtare, multò minùs cur illud ἀρετὰς ἀγαλματοφορεῖν, virtutes quaſi in imaginibus ferre dixerit.

Hîc forſan Lector hunc nobis injiciet ſcrupulum, quòd *Philo* (vel tortus quidem à nobis) ſe noſtrum fateri nolit: nam pueri literis *Græcorum* elementariis imbuti probè norunt eos ἀγάλματα appellare non ſimulachra tantùm, verùm etiam pocula, vaſa rariora, veſtes & res alias cujuſcunque nominis. At ſcrupulus ille pedes noſtros non multùm offendit: nam & nôrunt *pueri* Græcos ἀγαλμάτων nomine ſimulachra *frequentiùs* denotare ſolitos; nec ſciunt *viri* cur verbum illud *Philonis*, ſenſu illo qui magis uſu tritus eſt, eo ſaltem in loco, interpretari non liceat.

Si quis ingenii plus æquo curioſi hîc à me quærat, quid rei erat quòd *Philo* verbis tam obſcuris & vix dimidiatam veritatem referentibus, de Pectoralis Oraculo, primo Oeconomiæ Moſaicæ decore & gloriâ, loquutus fuerit? In expedito reſponſio eſt: *Judæus* erat *Philo*, qui forſan è communi gentis ſuæ indole, & immani quo flagravit cultûs Ethnici odio, ab ipsâ penè umbrâ & nomine *imaginis*, in ſacris præſertim, adeò totus abhorruerit, quod, (veritate quidem ipsâ confeſſionem penè exprimente) religionem ſuam ullum cum ſimulachro aliquo commercium habuiſſe, palàm

& apertè confiteri noluit. Quæ quidem ratio eò faciliorem apud me locum invenit, eò quòd *Philo* alibi de *Urim & Thummim* dicturus, vocibus usus sit nocte & mysterio plenis, ea tantùm ἀπὸ ὑφάσματα appellans, *Lib. 2. de Monarch. p. 824.* nimirum ne si nudam & simplicem veritatem efferret, religionis suæ honori & reverentiæ apud suos, quibus tunc temporis idoli nomen cane magis & angue odiosum nôrat, minùs prospexisse videretur. Et à veritate forsan non longè abiturus est qui *Josephum*, eadem penè in consilio habuisse dixerit, cùm fortè de *Cherubinis*, sanctis illis imaginibus, ei sermo incidisset: in iis enim describendis arte & ingenio tam valto usus est, ut satis pateat eum (si ita libitum fuisset) eos expressiùs apertiúsq; describere potuisse. Dicit nempe 3. *Antiq. 6.* eos fuisse *animalia volutria, novâ specie, nec cuiquam mortalium visa*: & quasi nimiâ loquendi libertate usus, hoc in loco incautus peccâsset, de iis tanquam de mysteriis differit, Antiq. lib. 8. cap. 2. Ubi, inquit, *Hæ* Cherubinorum *effigies quânam specie fuerint, nemo vel conjecture potest vel eloqui.* Noluit forsan *Cherubinorum* figuras, verbis simplicibus & apertam frontem gerentibus depictas dare, ne Religio patria, gratiâ imaginum, figurâ præsertim tam monstrosâ & insolenti fictarum, popularibus suis minùs grata veniret, vel ne Gentiles æmuli eam convitiis & dicteriis eo nomine lacerent & lacerarent. Sed me in viam, unde paululùm aberravi, jam referam.

Unum alium è *Judæorum* gente, haud ex infimo doctorum subsellio virum, *Aben-Ezram*, mihi reperire contigit, qui *Urim & Thummim*, imagines, (si minus & *Theraphim*) fuisse, quamvis *Philonis* more, verbis subobscuris asserit. Nam, referente *Mai-*

monide

monide apud [a] *Buxtorfium, existimavit ea fuisse* מעשה אומן כסף וזהב *opus argentifabri vel aurifabri, & simile quid illis figuris* שיעשו בעלי הכוכבים לדעת מהשבח השאול *quæ faciunt Astrologi ad sciendum cogitationem ejus qui interrogat.* Ubi per *figuras quas Astrologi faciunt*, Theraphim proculdubio intellexit: nam eâ voce, *Kirchero* teste, *Aben-Ezra* imagines tantùm arte astrologicâ, i. e. *cœli astrorúmque certâ observatione confectas, ritu Ægyptiaco sacratas, ad augurandi divinandique usum sepositas, significari arbitratus est.* Neq; *Kircherum* spurios solummodo capitis sui fœtus in *Aben-Ezræ* sinu fovendos posuisse, sat liquet ex ipsis Rabbini verbis (si animus otiúmque ferant, à Lectore consulendis) in *Genes.* 31. & à *Kirchero* citatis, *Oedip. Ægypt. Tom.* 1. *Synt.* 4. *cap.* 3.

[a] *Hist. urim & Thum. c.* 2.

Frontis etiam & fiduciæ nonnihil mihi hæc meditanti addidêre verba *Christophori Castri*, Viri literis haud leviter imbuti, qui ante annos plus minùs sexaginta scripsit. Ille, *Lib.* 3. *de Vaticinio. cap.* 3. de hoc celeberrimi nominis Oraculo obiter loquens, sic sensum suum effert, nostro penè consonum & parallelum. *Erant* Urim *&* Thummim, *iidem qui* Theraphim, *per quæ interrogabatur de futuris.* Theraphim *autem imagunculæ erant seu idola, quæ interrogata responsa dabant voce manifestâ. Quia ergò Deus voluit populum illum ablactare, & à ritibus gentium & Dæmonum cultu suaviter avocare; sicut reliquit eis tam variâ sacrificiorum genera, quæ Dæmoni priùs exhibebantur, posteriùs Deo præstabantur; ità modos illos admirandos, quibus Dæmones se hominibus admirabiles ostendebant prædicendi futura & occulta revelandi, conservavit Israëlitis; sed* per *Deum ipsum &* in *illius honorem hu-*

juſmodi erant Oracula, ſortes, omina, oſtenta & viſa prophetica: in his numerantur Theraphim, *pro quibus dedit illis* Urim & Thummim, *ſed medio Summo Sacerdote, ut occaſio plebi ignoranti removeretur, uti idola, ea colendi. Erant igitur duo parvula ſimulachra affabrè facta vel Dei manu, vel artificum ornamentorum, quæ ferebat Sacerdos inter plicas Rationalis, & quotics aliquid erat interrogandum efferebat: per illa verò Deus vel Angelus nomine Dei, clarè & perſpicuè, quid agendum quidve non agendum reſpondebat: & propter ſermonis perſpicuitatem quo manifeſtabantur reſponſa; & propter veritatem dicti aut promiſſi certò complendi, unum dicebatur* URIM, illuminationes, perſpicuitates; *alterum* THUMMIM, conſummationes, completiones, & veritates; *quò de reſponſo complendo certiores redirent interrogantes. Dum autem Sacerdos ea idolula oſtendebat, veriſimile eſt, ea emicare aut coruſcare ſolita, ad captandam populi attentionem, & ad ingenerandam admirationem, quæ Deo vero eos conjungeret, quaſi tantorum miraculorum auctori.*

Hujuſce viri eruditiſſimi teſtimonium verbis tam diſertis conceptum, dum mihi vehementer gratulor, id unum me angit maximè, quod Scripturæ loca omnia, (præter textum *Hoſeæ*, cujus antea mentionem habui, levi tactum brachio) argumenta omnia, & ſingula veterum ſuffragia (quorum ſcientiam magno redemptam velim) quæ animum ſuum huic opinioni devinctum tenuêre, tacitus præterierit. Et certè mihi ſæpe & centies mirari ſubit, quî factum ſit quòd ſententiam, novitatis (in theologiâ præſertim exoſæ adeò) tam certò inſimulandam, ratione & fiduciâ, pari librâ temperatis, firmatam non protulerit. Sed fortaſſe eâ veritatis luce ſibi ſplendere viſa eſt, quòd proba-

probationis alicujus facem ei præferre minùs necessarium habuerit. Interea loci tantæ fiduciæ pœnas pendit severissimas; dum Scriptorum pars longè maxima sententiam suam sannis & sibilis potiùs quàm refutatione operosâ dignam hactenus duxerit; alii verò probra ei ingresserint, quasi vix satìs sano dum hæc scripserit. Me quod attinet, quanquam è jam dictis & suo loco dicendis satìs pateat, Authorem illum vix ultra primum Oraculi hujusce corticem (sit duriori metaphoræ venia) penetrâsse, eúmque plurima non minùs veritate, quàm cætera probatione, destituta protulisse credam; tanti tamen apud me sunt viri literis instructissimi verba, quòd dignissima judicaverim quorum momenta, priusquam progrediar, æquis ponderibus examinarem.

Imprimis itaque me in illius de naturâ τȣ̃ *URIM*, & ejus origine sententiam, pedibus haud cunctabundis infero; quam nempe solidam & firmam adeò, tot argumentis, speciosis saltem, me probare posse confido. Quamvìs autem æqualem certitudinem in iis quæ de horum idolulorum divinâ formatione, splendore insolito, eorum inter consulendum in apricum prolatione, certo usu & numero, animo fidente dixit, desiderem; ea tamen summo cum acumine ab illo excogitata, à Sacris literis & Oraculi conditione haud prorsus aliena censeo.

Quum enim formationē τȣ̃ *Urim* & *Thummim* Authori tantùm Oraculi dandam dixerit, tantùm abest ut à veritatis saltem specie recesserit, quòd *Pridcauxius* noster hoc unum è Scripturis constare [a] asserat, *non facta fuisse hæc ab artificibus sed à Deo immediatè tradita. Ità enim de cæteris* (inquit) ad Pontificis & Tabernaculi ornatum spectantibus, *legimus, Facies* hoc

[a] Orat. 2. de vest. Aaron.

hoc *vel* illud; *at de* Urim *&* Thummim *sic habet* [a] *vers.* 30. *non* facies *sed* pones *illa.* Unde concludit *Gallasius, diversum quiddam fuisse* Urim *&* Thummim *à lapidibus & catenis.* Alia itaque omnia in dubia referens, hoc unum (priùs dictum) manere & fixum esse voluit, *Urim & Thummim à Deo tradita, & à Mose recepta fuisse.* Idem hâc in re sensus fuit *Ar. Montano,* qui in *Apparat.* de *Urim* & *Thummim* loquens, hæc dicit; *Hanc autem rem, cujuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam aut comparatam non fuisse, sed divinitus Mosi datam, vel eo tempore quo Lex & tabulæ, vel eo quo perfectum opus fuit, arbitramur.* Atque hanc sententiam non χθὲς demum aut πρόχθες natam, sed antiquis cùm *Græcorum* tum *Hebræorum* testimoniis suffultam esse, patebit consulenti *Hottingeri Exercit. Antimorin.* Sect. 66. ubi utramque penè implent libri sui paginam. Eundem etiam hâc in re animum habuêre citerioris ævi Theologi: *Junius*, in Exod. 28. 30. *Calvin.* in Deuter. 33. 8. *Henr. Alting.* Problem. lib 2. prob. 5. *Schickard.* de jur. Reg. c. 1. Theorem. 2. *Perkins.* in Expl. Symb. aliique. Huic sententiæ veri colorem inducit, quòd cùm antiqua *Urim* & *Thummim*, duro aliorum sacrorum fato usa, in captivitate de rebus periissent, Viri Synagogæ magnæ indè reduces, eorum nè figuras quidem denuò fabricare ausi sint: quamvìs alia omnia Sacerdotis Summi ornamenta in integrum restituerint. Nam *Urim* & *Thummim* Artificis tantùm Supremi, ea verò communi Artificum inferiorum manu elaborata credidisse videantur.

[a] Exod. 28.

Sed, (ut quod sentiam liberè eloquar) quamvìs suadeant hæc omnia, non cogunt. Nam vulgi quidem fide receptum est figuras τῶν *Urim* & *Thummim* sub

Templo

Templo ſecundo defuiſſe; ſententiam autem illam vix minimâ veritati affinitate conjunctam eſſe, ſatis *Maimonidis* teſtimonio probari poſſit: qui diſertè [a] aſſerit *Judæos* jam libertate donatos, ut ornamentorum pontificiorum numerum Lege præſcriptum complerent, figuram אורים *Urim* & *Thummim*, inter alia ad Pontificis ornatum ſpectantia, repoſuiſſe: *quamvis*, inquit, *eam non conſulerent, deficiente Spiritu S. ſub Templo ſecundo.* Nec minùs elumbis & caſſa viribus eſt ratio illa altera, cui hæc ſententia inniti ſolet: nam de faciendis *Urim* & *Thummim*, prout & de eorum materiâ & formâ, nihil diſertis verbis in Lege mandatum extat; quia forſan utraque ex uſu quotidiano apud plebem obtinente, vel typo aliquo in monte monſtrato, *Moſi* ſatis innotuerint, vel quòd *Pectorale* ea non minùs nomine quàm medio ſuo comprehenderit. Neque tacito pede prætereundum, quòd codex *Samaritanus*, quem nonnulli non minùs ſinceritatis quàm antiquitatis nomine in cœlum ferunt, *Moſi* & artificibus fabricam אורים *Urim* & *Thummim* expreſsè aſſtruat, *Exod.* 28. 30. Ubi Textus quidem *Hebraicus* ſic ſe habet ונתת אל חשן המשפט *Pones autem in Pectorali judicii Urim & Thummim*, &c. *Samaritanus* autem longè aliter ושימה את־האורים *& facies Urim & Thummim, & pones in Pectorali*, &c. Idem etiam diſcrimen occurrit, *Exod.* 39. com. 22. ubi in Textu Hebræo ſic ſcriptum extat, ויעש אזר מעיל האפוד *fecit inſuper pallium ipſius Ephod:* in Samaritano verò ויעשו את האורים *& fecerunt Urim & Thummim, quemadmodum præcepit Jehova Moſi, & fecerunt*

[a] *Sub Templo ſecundo faciebant ſanctiſſimi illius Oraculi figuram, ut ità perfecta redderentur octo indumenta Pontificia: tametſi eam Oraculi figuram non conſulerent,* &c. Maim. apud Seld. l. 2. de Succeſſ. cap. 8.

fecerunt pallium ipsius Ephod. Codicem Samaritanum hoc referentem à textûs quidem Hebræi, non autem rei ipsius veritate declinâsse, me facilè induco ut sentiam: nulla enim ratio est, cur *Urim* & *Thummim* tot parasangis, *Cherubim*, *Arcam*, *Ephod*, aliáve sacratissimæ notæ Tabernaculi instrumenta, religione & sanctitate antecedere crederemus, ut horum quidem origini artificis humani dextram, τοῖς *Urim* & *Thummim* verò *DEI* solius digitum inscriberemus.

Ideóque Authorem nostrum genio minùs irato conjecturam fecisse crediderim, cùm Pontificem responsa expectantem, *Urim* de concavo Pectoralis medio in apricum protulisse dixerit. Nam (1°) Cùm Sacerdos, *Saulis* jussu, coram *Arcâ* jam staret, 1 *Sam.* 14. 19. Oracula per *URIM* edenda petiturus; *Philisthæorum* rebus ex insperato turbatis, אסף ידך, inquit Rex, συνάγαγε τὰς χεῖράς σου· utì LXX, *recollige manum tuam*, quid verò, nisi quòd Sacerdos quasi in procinctu jam staret, instrumentum divinationi inserviens in manu coram Deo protensâ gestans: quod itaque *Saulus* cùm jam Oraculo opus non esset, retrahi & in locum suum religiosè reponi voluit. (2°.) Pectoralis latus dextrum (quod supra monui) ità factum fuit, ut cùm usus postularet facilè aperiri potuit. Quod eo tantùm consilio ità formatum videtur, ut Sacerdos facili operâ *Urim* indè proferre posset, cùm Pectoralis sui Oraculum consultum iret. (3°.) Si hoc Oraculum, cùm responsum daret, alios præter Pontificem, illius testes auritos & oculatos admisit, tum quidem οὐδαμόθεν προφητῶν κακουργίαις κατέλοιπεν ἀφορμὴν (quod *Josephus*, Antiq. l. 3. c. 10. de eo memoriæ tradit) *omnem sub prophetiæ prætextu imposturarum occasionem ademit his qui illud consulebant.* (4°.) Oraculi responsum modò voce

paulò

paulò submissiore traditum, non tam distinctè & sine erroris alicujus metu capi poterat, si *Urim* in Pectoralis tantùm secreto reconderetur. (5°.) Nomen illud חשן (quòd *Pectorale* indicat potiùs quàm significat) nonnulli docti viri à חשה *silere* originem habuisse asserunt. Quæ nominis ratio (si quid salis contineat) cum Pectoralis usu & conditione apprime conveniret, modò *Urim* indè prolatum loqui, in eo verò positum perpetuò silere soleret. (6°.) Sententiam hanc suffragiis suis ornârunt nota satìs inter doctos capita: viz. *Aben-Ezra* in *Exod.* 28. 8. cujus verba *Buxtorfius* in hunc modum Latinè reddidit, *Choschen seu Pectorale fuit duplicatum, quia ibi fuerunt Urim & Thummim custodita, usque dum iis opus esset: tum enim illa extra Pectorale ponebant:* Et *Arias Montanus* in tract. Aaron: ubi inquit, *Rationale duplex fuit, tribus lateribus commissum, ex uno autem latere apertum; inter utramq; autem partem* Urim & Thummim *inferebantur, ibidémque servata Sacerdotis hærebant pectori, indè verò proferebantur, quoties responsum divinum petendum erat.*

Conjecturam non minùs fœlicem & ingeniosam Authorem nostrum adhibuisse censeo, cùm dixerit *URIM* jam Oracula redditurum non vulgaribus lucis stricturis Pontificis & astantium oculos perstringere solitum. Nam splendore insolente adeò magìs fidum Numinis præsentis argumentum vix edi potuit: deinde, spectaculum tam illustre religioni non minùs inservire poterat, quàm alia plurima sub Lege quæ hebetioris populi oculos pascere & lacessere solebant. Splendidissimus enim Tabernaculi apparatus, ignis οὐρανοπετὴς, *Aaronis* virga germinans, vestes Sacerdotis summi quæsitissimam principum secularium glori-

am

am superantes, Templum ubi auro, cedro & arte perfectissimâ collucebant, nitebant, fulgurabant omnia; & hujusce censûs alia, penè in id unum comparata videntur, ut istam puerilis animi gentem summâ Numinis & cultûs tantùm proprii admiratione [a] defixam tenerent & attonitam. Præterea, verisimile est quòd delubra, *Mosis* tempore, & simulachra Gentium, cùm jam divinâ (uti facili popello visum est) præsentiâ decorata, splendore subito Numinis adventum testarentur. Cui conjecturæ pondus afferunt illa *Claudiani* verba, lib. 1. de raptu Proserpinæ:

[a] Τοῖς ἱερεῦσι παντοδαπὸν περιτεθεικὼς κόσμον ὁ Θεὸς τὸν μὲν λαὸν καταπλήττοντα τῷ διαφόρῳ τοῦ σχήματος. Theodoret. in Exod. ἐρωτ. ξ'.

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & clarum dispergere culmina lumen,
Adventum testata Dei. —

Si itaque Gentium simulachra vaticina mentito illo divinitatis insitæ argumento insignia fuerint, *Israëlitæ* proculdubio animo ægerrimo tulissent si non & suæ imagines & Oracula, μετὰ πολλῆς φαντασίας, cum splendoris eximii pompâ in vulgus ederentur. Hæc etiam eò pulchriorem veritatis faciem præferunt, quoniam *lumen emissum*, dignum præ aliis divinioris naturæ indicem, humanum genus, quasi naturæ instinctu, à seculo penè, habuisse videantur. Nam indè in morem venit apud gentes quamplurimas, [b] Deos suos, & Reges quos supra mortalitatis fastigium collocatos suspiciebant, radioso capite fulgentes depingere. Ad earum exempla compositi, & Christiani tandem *Sanctorum* suorum capita, statuis & picturis expressa, radiolis circundata

[b] *Acitani, gens Hispana, simulachrum Martis, radiis ornatum, maximâ religione colunt, Necyn vocantes.* Macrob. Sat. l. 1. c. 9.

cundata habuêre. His accedat, quòd lumen è pectoralis *Urim* proveniens, optimè cum nominis illius ſenſu & rei ipſius uſu conſpirare, & utraque, tanquam ſymbolo obvio facilíque, exponere videretur.

Neque à veritate, ſine ratione ſpeciosâ admodum, aberravit Author noſter, cùm duo ſimulachra (quorum unum *Urim*, alterum *Thummim* dicebatur) *DEUM* ad hoc oracula tradendi munus conſecrâſſe dixerit. Nam plurima hujuſce ſortis ſimulachra uno in templo poſita Ethnici non rarò habuêre: atque eâ forſitan ratione, *DEO* viſum erat & populo ſuo (qui non immeritò δυσάρεστος τῶν Ἰουδαίων δήμῳ à S. *Chryſoſtomo* appellantur) imaginem unam & alteram cui δύναμις μαντικὴ inerat, indulgere. Deinde, organa, quæ vaticinandi facultate in Scripturis inclareſcunt, voce tantùm numeri ſecundi [*Urim* vel *Theraphim*] denotantur. At tenues adeò veri colores manu leviſſimâ abſtergere poſſimus: nam *Theraphim* iis vocibus accenſeri debet, quæ plurali ſono ſingularem habent ſignificationem; legimus enim de *Michol*, 1 *Sam.* 19. 13. quòd *accepit* אֶת הַתְּרָפִים *& poſuit in lecto*: proculdubio tamen non niſi unam imaginem ad unius perſonæ decumbentis præſentiam ſimulandam. Hujuſce familiæ alia paſſim occurrunt vocabula in Vet. & N. Teſtamento, viz. *Ezech.* 14. 8. *Deut.* 22. 17. *Jo.* 19. 23. *Mat.* 12. 1. Deinde, cùm unicum Pectoralis ſimulachrum ad res & perſonas plures, ad omnes etiam ejuſdem generis imagines repræſentandas, ſufficere potuerit, quidni illud πληθυντικῶς efferre licuerit; cùm ob eandem rationem Propheta baculum unicum חֹבְלִים *vincula* appellaverit? *Zech.* 11. 7. Ex intimis itaque ſentio ipſe, Sacerdotis Pectorale unum ſolummodo divinandi inſtrumentum, quamvis nomine

nomine plurali gaudeat, intus habuiſſe: ad quid enim Deum hujuſmodi organa nullâ cogente neceſſitate multiplicâſſe crederemus? Utcunque Lector reperiet me nomina & verba pluralia cum *Theraphim* & *Urim* in hâc diſſertatione ſæpiuſcule conjunxiſſe: non tantùm quoniam lis hæc pendeat adhuc, ſed quia nomina illa, utpote pluralia, hujuſmodi conſtructionem tanquam concinniorem, ſuadere videbantur. Atque hoc ſemel monuiſſe ſufficiat, nè cui in ſequentibus malè mecum conſtare videar, & quiſpiam mihi latinitatis violatæ dicam ſcribat.

Sed ut unde paululùm digreſſa eſt, denuò ſe referat oratio: nolo ipſe quicquam de formatione divinâ, ſplendore ſolenni, certo numero, aliísque plurimis ad Pectoralis *URIM* ſpectantibus circumſtantiis, quaſi ex cathedrâ definire: utpotè de quibus in ſacris & profanis monumentis vix σκόλιναὶ ἀηχαὶ jam remanſerint. De minoribus hiſce longè conſultiùs prorſus ſilere, vel, quod proximum eſt, modeſtè loqui. Et certè (ut levato velo jam agam) id unum *Chriſtophoro* meo crimini dandum habeo, quòd de rebus iis, de quibus nihil comperti habere poterat, eâ oris fiduciâ, ratione penè nullâ allatâ, loquutus ſit. Peſſimè profectò cum re literariâ agitur, cùm ſic de rebus obſcuris ſcribitur, quaſi modeſtia eſſet virginum virtus & virorum vitium. Prudens monuit *R. Nachman* in *Talmud.* אם ברור לך הרבר כבקר אמריהו ואם לאו אל תאמרהו i. e. *Si res fuerit tibi clara ſicut lux matutina, dic illam; ſi non, nè dicas illam.* Cujus moniti me memorem præſtiti; quem in tantis tenebris poſitum ſæpius forſan dormitantem inveniat Lector, nunquam tamen niſi pede ſuſpenſo & timido progredientem. Coronidis loco adjicere placet *Ciceronis* verba,

ba, Lib. 1. de Nat. Deor. *Quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantiâ, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ullâ dubitatione defendere?*

Sect. 7.

Sententiæ noſtræ veritas probatur è communi inſtitutorum Moſaicorum Origine.

COnſuetudinem illam apud mundi gentes, ſi non & Numinis veri cultores, à ſeculis antiquiſſimis tenuiſſe diximus, ut reſponſa è *Theraphim*, Angelo aliquo occupante, reddenda peterent: Deum etiam morem illum, reformatum & quaſi circumciſum, *Iſraëlitis* veterum omnium tenaciſſimis, ſub novo *Ephodis* & *Urim* nomine reſervâſſe, non ſemel aſſeruimus. Cui aſſertioni fidem eò faciliorem forſan adjunget Lector, ſi de communi inſtitutorum Moſaicorum origine, quantùm Argumenti ratio poſtulat, ex compoſito diſſeramus.

Harum equidem inſtitutionum ceremonialium non paucarum rationes adeò in obſcuro ſitæ ſunt, nobis præſertim qui à primâ earum origine tam longo diſjungimur temporum intervallo, quòd citiùs forſan ad *Nili* quàm omnium legum ritualium fontes, digitum intendere quis poterit. Earum autem partem haud minimam è peculiari aliquo ſeculi illius, quo primùm ſancitæ erant, conditione & uſu dimanâſſe, perſuaſiſſimum habeo.

Eo autem ſeculo (ut rem totam altiùs & quaſi à fonte repetam) invaluit Religio ex operoſis & myſticis quibuſdam ceremoniis, & ritibus ad ſolos digitos

pertinentibus conflata; quæ ſimplicem, facilem & animo tinctum veterum Patriarcharum cultum obſcuravit prius, & tandem penitus eliminavit. E ritibus hiſce plurimos, ſplendore & myſterio præ cæteris venerabiles, credibile eſt è piâ Matre Sacerdotum ortum duxiſſe: qui in hanc rem curam animúmque omnem ſemper poſuêre, ut vulgi oculis noctem offunderent, cæcam & ſtupidam ſui reverentiam iis incuterent, & fabulam ſuam de religione eo ingenio rituúmque varietate ornarent, ut plebi grata accederet & ſibimetipſis quæſtuoſa. Suas & populum in hoc theatrico & rituali cultu adornando partes habuiſſe, minimè diffitendum eſt: ſi enim in omnium temporum memoriam redeamus, innumeras, non minùs quàm luna, variantes cultûs facies, & ritus religioſos, alios ex aliis naſcentes, perpetuò reperiamus: quos originem traxiſſe crediderim, vel ex pruritu & laſciviâ ingenii humani, cui veterum omnium faſtidium ſtatim obrepit, vel è ſuperſtitioſo illo & puerili de *DEO* dogmate, quòd criticiſmis religioſis, & cultûs ſui circumſtantiis artem & elegantiam ſapientibus, Eum demereri detur. Sed diabolum facilè dixerim primum ceremoniarum illarum magiſtrum, eúmque præcipuè ritus illos crudeles, obſcœnos, otioſos, myſticos & φλυαρίας plenos, è quibus Gentium religio conſtabat, inſtituiſſe: ut imperium quoddam abſolutum (Summi Regis prærogativam) in genus humanum exerceret; ſumma ſcelera mentitis ſacrorum officiorum titulis condecoraret; & pueriles ſeculi illius animos religione negotii & pompæ plenâ attonitos & defixos detineret, adeóque ab omni rationis uſu penitus avocaret. Illius artibus & auſpiciis factum eſt, ut cultus idololatricus vagus & multifarius adeò *Moſis* ſeculo evaderet, quòd quamlibet

libet penè creaturam in sacrilegii crimen traheret, & sibi uni veri Numinis cultus, locus & titulus, ubique penè gentium tribuerentur.

Hisce gentium moribus (ipsam penè *Arithmeticam* fatigantibus) *Israëlitas*, per tot annorum vices in *Ægypto* (illustri illâ superstitionis scholâ) degentes, imbutos & initiatos fuisse, eorumque memoriam & odorem altè retinuisse, nimis testatur *aureus* eorum *vitulus*: cujus similitudo & colendi ritus ad exemplar idoli & superstitionis apud *Ægyptios* in usu dirigebantur. Quam sententiam, à nonnullis explosam, non pauca commendant veterum testimonia. In primis *Philonis Judæi*, lib. 3. *de Vit. Mos. p.* 677. ubi hæc occurrunt, *Cùm Moses ascendisset montem, quidam absentiam ejus vertêrunt in impietatis occasionem*, καὶ ἐκλαθόμενοι τῆς πρὸς τὸ Ὂν ὁσιότητος, ζηλωταὶ τῶν Αἰγυπτιακῶν γίνονται πλασμάτων, *& obliti pietatis in Ens primum, æmulatores facti sunt figmentorum Ægyptiacorum*: εἶτα χρυσοῦν ταῦρον κατασκευαστάμενοι, μίμημα τοῦ κατὰ τὴν χώραν ἱερωτάτου ζώου δοκοῦντος εἶναι. *Facto juvenco aureo ad imitationem animalis ejus regionis (utì existimabant) sacratissimi.* Et l. 3. p. 693. instar maximi *Israëlitarum* peccati habet ἡνίκα τεκτάμενοι ταῦρον χρυσοῦν, Αἰγυπτιακοῦ μίμημα τύφου, χορεὺς ἵστασαν· i. e. *quando fabrefacto juvenco ad exemplar typhi Ægyptiaci, choreas agitabant.* Penè eadem reponit l. 2. de *Monarch. pag.* 823. *Edit. Paris.* & *lib. de Temulentiâ.* pag. 254. Hæc etiam opinio *Lactantio* patrono gaudet, *cap.* 10. *de ver. Sap.* & *Grotio* in S. *Mat.* cap. 5. com. 45. *Ægyptios*, inquit ibi, *constat ante Hebræorum exitum bovis simulachrum coluisse: nam indè exemplar fœdæ superstitionis ad Hebræos manavit.* Indè verò colligamus *Israëlitas* penè omnes, fatali illâ su-

perſtitionis Ægyptiacæ lue contactos fuiſſe, quòd in illius tam execrandi facinoris, [cultûs vitulini] ſocietatem, eorum pars maxima ſe aſciſci tam facilè pateretur. Sed teſtes hujuſce rei magìs diſertos appellare liceat; plurimos nempe Scripturæ locos (quos Lector conſulat) qui aſſerunt *Hebræos* non minùs *Ægyptiorum* idolis & moribus quàm mandatis ſe totos tradidiſſe; viz. *Ezech.* 20. 6, 7. *Joſh.* 24. 14. *Levit.* 17. 7. *Ezech.* 23. 3, 8, 19, 21, 27. Et certè fieri vix potuit, quin *Iſraëlitæ* (qui in *Ægypto* primum hausêre ſpiritum, quibus tantæ neceſſitudines cum *Ægyptiis* per multos annos interceſsêre, & tot infortùniis in *Ægypto* fracti & vexati perpetuò fuêre) omnes *DEI* & rerum divinarum notitias, per ſacram tantùm Cabbalam acceptas, oblivioni ſenſim traderent; & (vix ultra lateres & allium *Ægypti* jam ſapientes) in dominorum ſuorum mores & ingenium toti tranſirent. Hiſce conſona ſunt illa *Euſebii* verba, *Cùm longa per Hebræos poſterorum ſeries eſſet in Ægypto propagata, & ex iis conflata Judæorum natio multâ indies ſobole gliſceret; factum eſt neſcio quo pacto, ut cùm prima illa, quam à Deo chariſsimis majoribus acceperant, pietatis ac religionis inſtitutio debilitata paulatim obtusáque hebeſceret,* ἐκ δὲ τῆς παρ' Αἰγυπτίοις διατριβῆς τοσοῦτον, τῆς τῶν δηλουμένων κατίσχυε πληθύος, ὡς τῆς μὲν πατρίου ἀρετῆς εἰς λήθην ἐλθεῖν &c. *tum verò tantùm apud eos Ægyptiorum ſocietas communióque poſſet, ut patriæ virtutis memoriâ evaneſcente, ſic Ægyptiorum mores ac ritus induerent,* ὡς κατὰ μηδὲν Αἰγυπτίων τὸν τρόπον διαφέρειν δοκεῖν, *nihil ut inter utriuſque populi vitæ genus diſcriminis eſſe videretur.* lib. 7. de præparat. Evang. cap. 8. Ejuſdem veritatis teſtem ſe præbuit *Theodoretus* in *Cantic.* p. 989. & *Maimonides*, de Idololat.

lolat. Cap. 1. Sect. 10. ubi de *Jacobi* filiis in *Ægypto* habitantibus verba habens, *Illic*, inquit, *redierunt* לִלְמוֹד מַעֲשֵׂיהֶם וְלַעֲבוֹד עֲ"זֵ *ad discenda illorum* [Ægyptiorum] *opera, & idola exemplo eorum colenda.* Sed si siluissent Scripturæ, *Eusebius*, *Theodoretus*, *Maimonides*, si & ipse silerem, ipsi *Israëlitarum* mores, primum ex *Ægypto* gradum moventium, exclamârent; eósque pessimæ superstitionis peste, ibi grassante, afflatos fuisse nimis testarentur. Hodie enim se *DEO* voventes inveniamus, cras idolis: nec citiùs Deus hydram illam idololatriæ *Ægyptiacæ*, justitiæ suæ gladio, decollârit, quàm monstrosa sua capita denuò repullulârint. Cùm itaque *Israëlitæ* eo animi impetu in *Ægypti* idola morésque perpetuò ruerint, facilè colligamus eos plurimùm commercii cum illis olim habuisse, eáq; intimis suis sensibus dilexisse: prout faces quæ citissimè flammam concipiunt, paulò ante extinctas fuisse non temere concludamus.

Ab istis quos dixi *Ægypti* seculíque ritibus, qui *Hebræorum* infantiam è vestigio ablactare studeret, næ ille difficile & penè desperatum opus moveret. Insulsa enim plebecula, inter lateres & idola nata, post tot annorum usum, sua συγγενηθέντα καὶ σωτραφέντα δόγματα (ut cum *Origine* loquar) *dogmata sua connata & in grandem usque ætatem coalita*, morésque in primas quasi animarum texturas traditos, repentè exuere proculdubio non nôrat. Quæ quidem Deo originem & sanctionem debent, naturæ humanæ plurimùm ingrata veniunt, ut primùm novitatis gratiam exuerint: quæ verò ab homine vel dæmone prodeunt, placent primò quia nova, & tandem quia diu placuêre. Si itaque ad tempora præterita oculos referamus, mutationes quasvis repentinas circa ritus quibus longa dies

& religionis opinio ſummam apud plebem gratiam & reverentiam fecerunt, motus & turbas perniciosiſſimas concitâſſe, facilè obſervemus. Vel in ipſos Chriſti diſcipulos, religioſos ſeculi ſui mores & dogmata imperium penè deſpoticum diu exercuiſſe conſtat. Nil mirum itaque ſi *Iſraëlitarum* vulgus tot annorum conſuetudines, & opiniones canitie ſuâ & mundi conſenſu venerabiles, fide & cultu tam prono acceperint; & ſi Gentium mores, quibus diu aſſueverant, in naturam tandem abierint, quam mille licèt pœnarum & mandatorum ſurcis expulerit *DEUS*, in noviſſima penè regni Judaici tempora uſque recurrentem inveniamus.

Neque tamen eo ſolùm nomine opus arduum foret *Iſraëlitarum* ſtudia à Gentium moribus derepente avertere, eò quòd conſuetudo religioſa eos tam potente faſcino incantâſſet; ſed quia Natura populum illum, præ aliis terræ incolis, ingenio moroſo, difficili, & propoſiti ad aras uſque tenaciſſimo finxiſſe videtur. Huic rei fidem facit Scriptura, in qua *nervus ferreus* & *cervix dura*, tanquam nota propria & quaſi characteriſtica populi Iſraëlitici ſæpius ſtatuitur: ut *Exod.* 33. 3, 5. & *cap.* 34. 9. *Deut.* 9. 6, 13, 27. & *cap.* 31. 27. *Jeſ.* 48. 4. *Pſal.* 78. 8. *Ezech.* 2. 4, & 3. 7. *Matt.* 19. 8. & alibi paſſim. Hujuſce pertinaciæ & bruti impetûs, ſpeculum luculentum nimis dederunt *Iſraëlitæ*, Regem ſibi præponendum animo impotente adeò poſtulantes, cùm eos *Judicum* ſatietas occuparet. Quamvìs enim *Samuel*, ut præfervido illi Regis deſiderio frigidum ſuffunderet, ingentem illam malorum molem, quibus voti illius temeritatem luituri eſſent, ante oculos eorum poſuiſſet, & quàm graviter in Deum peccaturi eſſent, ſeriò monuiſſet; ſemper

ſemper tamen (quâ erant inexpugnabili cordis duritie) eandem cantant cantilenam; *Nequaquam, Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos ſicut omnes gentes* &c. 1 *Sam.* 8. 19. Hunc autem pertinaciæ ſtupidæ Dæmonem, gentem iſtam à primâ infantiâ tenuiſſe, indè ſuſpicari liceat, quòd experientiæ & afflictionis triſtiſſimæ exorciſmo in ætate firmatâ ejici haud potuit; quod & gentis illius mores nimiùm probant. Ὅτε γὰρ ἔδει τὸν νόμον τηρεῖν, κατεπάτησαν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ νῦν ὅτε ἀναπέπαυται ὁ νόμος, τότε φιλονεικοῦσιν αὐτὸν τηρεῖν. *Dum enim Legem ſervari oportuit, conculcârunt Judæi; illâ nunc ceſſante, pertinaciter eandem tueri contendunt:* prout de iis falsè obſervavit D. *Chryſoſtomus*, Homil. 33. adv. *Judæos.* p. 387. Quòd autem eâdem pervicaciâ, olim Gentiliſmum, & hodie Judaiſmum retineant, ſingulari & hæreditariæ gentis illius duritiæ, nullis malis, argumentis nullis frangendæ & ſuperandæ, tribuendum eſt.

Quando itaque *Deo* jam negotium eſſet, cùm rudi populo, à ſuis ſeculíque moribus citò faciléque nullâ machinâ dimovendo; eorum ritus non paucos quos cum primo lacte imbiberant, paululùm caſtigatos, leni animo tulit indulgens Numen, καὶ τὸν ἀρρόδιον τοῖς τῶν ἀκροωμένων ἤθεσι προβαλλε νόμον, (ut [a] *Euſebii* verbis utar) *congruentem audientium moribus legem promulgavit.* Deus enim cùm prima reformationis Judaicæ fundamenta poneret, & homines à ſuperſtitione Ægyptiacâ ad frugem vocare ſtuderet, hanc ſibi rationem ineundam habuit: Idolorum cultu ſub capitis pœnâ populo ſuo interdixit, & ritum quemlibet antiquum qui peccati exemplum vel occaſio extitit, tanquam membrum corruptiſſimum, à cultûs antiqui corpore, Legis ſuæ

[a] *Præpar. Evang. Lib. 7. c. 8.*

ense amputavit. Alios autem non paucos quos ineptias nôrat magis tolerabiles, & ad mysterium aliquod adumbrandum aptiores, in sacrorum suorum album, paululùm emendatos, transcripsit. Atque indè natum existimo, quòd tot inanes baptismorum ritus, neomeniarum festa in Lunæ olim renascentis honorem (ni [a] *Maimonidi* vana fides) celebrata, morem [b] choreas inter sacrificandum ducendi, festorum solennia, vestis candidæ & [c] musicæ instrumentalis, dum rem divinam facerent, usum, & ejusdem conditionis alia, ad cultum & sacrorum suorum familiam transtulerit Deus. Cùm enim *Israëlitæ* summâ cupidine flagrarent eundi per patrum seculique vestigia, & animos ritibus hisce, usu inveterato, tanquam trabali clavo affixos gererent; modò DEUS ritus illos omnes inter vetita posuisset, in eos proculdubio & gentium cultum, cujus pars magna fuêre, impetu & desiderio eo calidiore fuissent ruituri. DEUS itaque per hanc συγκατάβασιν *Israëlitas* à sacerrimis gentium sacris sensim & suaviter avocare studuit, quos statim & quasi violenter divellere vix potuit. Gravi idololatriæ morbo populus ille diu laborâsset: nôrat autem Medicus sapientissimus graves & pertinaces morbos lentis remediis meliùs sanari. Ethnicismus & Judaismus tanto ab invicem intervallo dividebantur, quòd non per saltus sed gradus ab uno in alterum, puerili præsertim populo, transeundum esset: ideóque Deus cultûs veteris objectum & circumstantias aliquas, potiùs quàm integram materiam, mutari voluit.

[a] *Mor. Nev. P. 3 cap. 46.*
[b] *Eccl. 50. 16, 17.*
[c] *Chrysost. in Ps. 149. com. 4.*

Atque hâc in re præclara sapientiæ & bonitatis suæ exempla edidit DEUS OPT. MAX. Sapientiæ; nullâ

nullâ enim arte tam facilè obtusioris ille nasi populus ad cultum verè novum, quàm per umbratiles aliquas veteris reliquias, allici potuisset: Nam nova omnia, nisi veterum speciem aliquam induant, animo iniquiore ferre solet insulsior populus: ideóque qui novis omnibus in regno quopiam revera studeant, qui leges veteres refigunt, & susque déque miscent omnia; vetera tamen officiorum nomina, & alia minora, olim in usu, ad captandum populum, inviolata solent relinquere. Unde illud *Taciti*, *Arcanum novi status, imago antiqui.* Sed nec minora benignitatis suæ documenta præbuit Summus Legislator: cùm enim Illi reformationem moliri visum esset, non protinus quicquid ex usu vetere tolli potuit, (more hominum ingenii præfervidi) sublatum ivit, sed quicquid commodè tolerari potuit, ad καιρὸν usque διορθωσεως toleravit. Quo pacto ad hominum infirmorum mensuras sese attemperavit, & per ritus istos veteres, paulò emendatiores, tanquam per prima & leviora obedientiæ rudimenta, ad pietatem virilem & severam, populi illius infantiam sensim & leniter erudiit.

Sed num secundùm hominem hæc dico ipse? annon & verbum Dei eadem dicit? Sané. Quamvis enim Scriptura plurimos *Israëlitarum* ritus à seculi moribus paululùm immutatis effluxisse, disertis verbis non asserat (quid enim de re quæ neminem tunc temporis latuit ità loqueretur?) hanc tamen sententiam vigesimum caput *Ezechielis* oculo benigno intueri videtur. Ibi enim *DEUS* populo in memoriam revocat idololatriam illam quâ, in *Ægypto* vitam trahentes, sese olim polluêre: *vers.* 4,7,8. deinde, jura illa [a] moralia quæ *Israëlitis*, *Ægypto* nuper egressis, dedit, fusè memorat *ver.* 10, 11, 12, & quòd

[a] Jer. 7. 22, 23. Exod. 19. 20.

illi

illi interea loci ſtatuta ſua deſpicatui habuerint, & ad ritus gentium (naturam & conſuetudinem exuere neſcii) perpetuò redierint: *com.* 13, 14. Cùm itaque, inquit, *Statuta mea*, αἰώνια illa διαγράμματα, vitam obſervantibus datura, poſt terga rejeciſſent, *Sabbata mea polluiſſent, & oculos in patrum ìdola ſæpius miſiſſent*, tandem (quaſi populi protervi moribus fractus & fatigatus) *ipſe dederim iis ſtatuta non bona & judicia per quæ non viverent.* Ubi per *ſtatuta non bona*, viderint docti annon leges rituales intelligendæ ſint. Nam iis titulus ille apprime convenit; *ratione materiæ*, utpote nihil per ſe eligibile & naturæ humanæ perfectivum præcipientibus; *ratione effectûs*, nam mortem quidem violantibus attulêre, non autem vitam obtemperantibus: præcipuè verò *ratione Originis*; quia ſtatuta illa ſeculi moribus ortum debuêre, utpote ſancita ut eorum nonnullos vitio aliquo notatos è medio tollerent, alios autem, ſummâ cum cautelâ, tolerarent. Neceſſe enim erat ut bruto populo, in curvas terræ ſemitas aliter ruituro, frænum injiceret Deus; ritus autem aliquos nullius criminis manifeſtos obſervandos relinqueret, ut per leviora illa religionis exercitia, in *DEI* honorem & ex præſcripto ſuo præſtanda, ad magìs ſevera & per ſe grata obedientiæ exempla habiles & initiati evaderent. Et certè niſi *DEUS*, per *ſtatuta* illa *non bona*, populi illius veterum omnium effræni ſtudio morem geſſiſſet, metuendum foret nè à ſacris ſuis, in quibus nullos antiquitatis & conſuetudinis receptæ characteres deprehendere poterant, penitus abhorrerent.

Ad ſententiam etiam noſtram firmandam, verba illa S. *Pauli*, Act. 13. 18. in argumentum vocare poſſumus: nam ibi de *Iſraëlitis* in deſerto agentibus diſſe-

rens,

rens, *Deus*, inquit, *per annos quadraginta* ἐτροποφόρησεν, *mores eorum tulit.* Ubi per *mores* quos Deus *tulit*, consuetudines veteres extra culpam positas, & in rituum suorum numerum assumptas, intelligendas existimo. Absit enim ut Optimum Numen morem aliquem in æternæ justitiæ leges peccantem impunè dimittere voluisse censeamus: imò tam longè aberat ut idololatriam, effrænem libidinem, vel hujusmodi mores notis nigerrimis inustos leni animo toleraret, quòd singuli ex *Ægypto* egressi, hisce moribus infames, criminum suorum pœnas præmaturâ morte penderent. Cùm itaque mores istos tantis malis luerent, indè factum est, quòd viri nonnulli bene docti Græcum textum in mendo cubare, & in eum ἐτροποφόρησεν pro ἐτροφοφόρησεν, Scribæ boni aliquando dormitantis vitio, irrepsisse asserant. At eorum ratio levioris momenti est, quàm ut illius gratiâ ungues criticos sacro Textui afferamus: nam *DEUS* mores quidem pessimos pœnis severissimis coercebat, alios autem, puériles forsan sed innocuos, leniter ferebat. Sed illi acriùs instant: Apostolus *Paulus*, inquiunt, verba sua è Græcâ Seniorum versione *Deuter.* 1. 31. sumpsisse videtur, quæ corruptelæ illius suspicionem infert: ità enim LXX transferunt ἐτροφοφόρησε ὁ Κύριός σου ὁ Θεός σου [*nutricis affectu te gesit*] ὡς εἴ τις τροφοφορήσει ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ· quâ versione vim vocis Hebrææ bene exprimunt, nam נשא *Hebræis* αἴρω, βαστάζω, Sed regero: primò, haud adeò liquet Apostolum è LXX versione & non potiùs de suo ea verba protulisse. Deinde, modò id demus, nil indè damni factura est causa nostra: quamvis enim *Romana* & *Basiliensis* editio textum Græcum sic scriptum referant, codices tamen antiquissimos se aliter habuisse constat. Cùm enim

enim *Celſus* olim Scripturæ vitio duxerit, quòd affectus humanos Deo tribuerit; illius cauſam ſic agit *Origines*, lib. 4. cont. *Celſ.* p. 210. *Sicut nos pueriliter cum pueris agere ſolemus* — ità Deo viſum eſt cum infantiâ noſtrâ balbutire, καθάπερ ὠκονομηκέναι τὰ ἀναγεγραμμένα, & *ſcripta ſua ad modulum noſtrum diſpenſare: de quo more*, inquit, *Dei homines alloquentis hæc leguntur in Deuteron.* Ἐτεροπροφορησέ σε Κύριος ὁ Θεός σου, ὡς εἴ τις τεροπροφορήσαι ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ. i. e. reddente Gelenio, *accommodavit ſe tuis moribus Dominus Deus tuus, haud ſecùs quàm homo pater accommodat ſe filio ſuo.* Si tamen huic lectioni palmam deferamus, non diffitendum eſt LXX verſionem ſuam non juxta textûs Hebraici literam, ſed *cabbalam* quandam (quod & ſæpius faciunt) adornâſſe. Sed nolumus hiſce tricis legentis horas diutius morari: unde itaque paululùm digreſſi ſumus revertamur.

Cùm *DEUM* tot rituum in Ethniciſmi utero primitus conceptorum uſum, populi Hebraici ruditati & pervicaciæ dediſſe, jam dicta probent; quidni & ritum conſulendi *URIM*, è more antiquiſſimo reſponſa à *Theraphim* vel imagunculis ſacratis petendi, principia petiiſſe, atque indè in Eccleſiam Judaicam (tanquam mulierem ethnicam in Iſraëlitæ thorum) tranſiiſſe crederemus? nam proculdubio non majorem impuritatem mos ille, quàm alii iiſdem orti natalibus, à gentiliſmo hauſerat; nec Iſraëlitæ minore deſiderio & admiratione harum imaginum loquentium quàm conſuetudinum aliarum ducti fuerant: imo forſan longè majore; hujuſmodi enim imagunculæ (*Serapes* in *Ægypto* dictæ) præ aliis omnibus idololatriæ veteris ritibus in uſum apud *Ægyptios* abiiſſe videntur longè frequentiſſimum. Ità enim de iis teſtatur *Kircherus* (bonâ

(bonâ fide necne, docti curent) *Horum idolorum è variâ materiâ ſub certo ſyderum poſitu conſtructorum, tanta ubique in Ægypto copia reperiebatur, ut, præter templa quæ iis ſcatebant, nullus vicus, aut angulus, aut ſemita iis carere videretur. Hæc enim Larium ac Penatium loco, ac veluti Deos averruncos, non domi tantùm foríſque colebant obſervabántque; ſed etiam ut cultus ille Diis gratior eſſet, capite, collo, brachiis, cingulis ſuſpenſa, quocunque tenderent, geſtabant.* Hæc & alia ejuſdem valoris refert, Oedip. Ægypt. T. 1. Synt. 4. c. 3.

Ad argumenti hujuſce vires debilitandas objici poſſit, tantùm abfuiſſe Deum à ſacris ullis, quæ Ethnicis & Hebræis communia eſſent, tolerandis, quod ſuis leges dederit cum *Zabiorum* moribus, qui ubique terrarum tunc temporis inoleverant, è diametro pugnantes: ne fortè ſi quicquam utriſque commune & quaſi ſymbolicum intercederet, eò faciliùs miſcerent denuò, & Iſraëlitæ ad gentium leges, utpote ſuis haud adeò diſſimiles, minore cum negotio allicerentur. Ideoque neutiquam probabile eſt, Deum mores ullos, multò minùs Oraculum, ullam colentes cum uſu Ethnico analogiam, apud ſuos ferre voluiſſe.

Huic objectioni duo reſpondeo. (1°) Minimè difficilis concedo Deum cultûs vitæque rationes ab aliarum gentium inſtitutis prorſus abhorrentes ordinâſſe, & [a] plurimos *Zabiorum*, *Ægyptiorum*, aliorúmque ritus ſolennes per leges adverſam frontem iis gerentes, abrogâſſe. Iis nempe gentium ritibus ſe adverſum ſiſtere Deo viſum eſt, qui vel peſſimi alicujus dogmatis in *Ægypto* hauſti fidem firmârent, vel ingentem aliquam mali ſpeciem,

[a] Τὰς θυσίας ἐξελαλαξάμενος ἐπέστησε τὸ Μωσῆ τῷ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἔθνεσι νόμῳ καὶ τοῖς κατὰ τὴν βίον ἀγωγαῖς. Diod. Sic. apud Phot. in biblioth. p. 1151.

ob

ob ſeculi uſum, præferrent, vel cum moribus honeſtis & pio viro dignis ſuâ naturâ pugnârent, vel ad actiones aliquas infames rectà ducerent, & nonnullos forſan qui otioſum & nulli uſui inſervientem cum gentilibus conſenſum ſaperent. Neceſſe verò fuit ut Deus leges aliquas Iſraëlitis ſcriberet, quæ ab antiquis ſeculi moribus toto genere diſſiderent: nam *hoc pacto*, inquit *Maimonides*, *curandæ ſunt opiniones iſtæ pravæ, quæ ſunt veluti morbi & ulcera animi, per extremum ipſorum contrarium.* Et ſapientiſſimum animarum medicum Hebræorum vitiis eâ arte medicinam feciſſe, exemplorum meſſe comprobat, *Mor. Nev. P.* 3. *c.* 45, 46, 47. quem Lector conſulat: nec grave ſit *D. Thomam* adire, de hâc antitheſi inter leges divinas & Gentilium ritus, ejûsque ratione, egregiè diſſerentem. 1. 2^æ. *quæſt.* 102. *Artic.* 3, 4, 5, & 6.

(2°.) *Zabiorum* & *Ægyptiorum* ritus ad unum omnes Lex divina non antiquavit: ſed plurimos eorum uſus religioſos, nullâ inhærente turpitudine infames, in ſacrorum ſuorum ordinem aſcivit Deus; ut ſuavi hâc συγκαταβάσει inſtituta ſua ad infantiam & tarditatem *Iſraëlitarum* attemperaret, & iis accederet benignum Numen qui ſibi aliter noluêre. Nam prout, niſi inter Iſraëlitarum & Gentilium mores χάσμα μέγα conſtitutum fuiſſet, facilè & ſine ſenſu ad antiqua ſua omnia tranſire potuiſſent; ſic niſi in aliquibus conſenſum tolerâſſet Deus, rudis ille populus haud adeò facilè & ſine gravi cu'tûs mutati ſenſu ad nova ſe recepiſſet. Sententiam hanc, teſtium, exemplorum & argumentorum phalange facilè firmare poſſem; eorum autem pleraque miſſa faciam, ne præſentis Argumenti limites nimis tranſiliam. Quoniam autem novitatis in Theologiâ avidus videri nolim, & plurimi citiùs

citiùs suffragantium multitudini, quàm rationum evidentiæ cedere solent, assertionem meam ex ore trium testium antiquiorum & totidem recentiorum stabilitam dabo.

Inter antiquiores, sic partes nostras tutatur *Cyril. Alexandr.* lib. 16. de adorat: Ἑλλήνων μὲν οἱ ἀνοήτατοι παῖδες ταῖς παρὰ σφίσι παρεπόμενοι συνηθείαις, καὶ κτηνῶν ἀλόγων δεξαβιοῦντες δίκην, ἀνίεσαν κόμην, Δαιμονίοις αὐτὴν σκηπτόμενοι τρέφειν, &c. i. e. *Gentilium dementissima natio, suas consuetudines secuti, & more mutarum pecudum viventes, promittebant comam, Dæmoniis eam nutrire professi. Atque alius quidem Nymphis quas Oreades appellabant, alius fluvio, cùm visum esset, offerebat, atque religionis loco res ea habebatur. Sapientissimus itaque Moses, imò per Mosen Deus, cùm intelligeret non facilè Hebræos, quos in Ægypto errores imbibissent, deponere posse, similes ritus instituere decrevit, sensim eos à priscis erroribus disjungens: quibus ritibus non Dæmones ultra, sed DEUM Omnipotentem, quasi sub umbrâ & figurâ colerent. Ob eam rationem leges de sacrificiis tulit, illásque cruentas victimas haud admodum libenter accipiebat*, &c. Hujus optimi Viri sententiam libens amplector; quoniam aliter nulla mihi ratio occurrit, cur Deus capillos in sibi devoti capitis signum eligeret, & fœtida capitis excrementa in hostiis & muneribus sibi gratis numerari pateretur.

Ab eodem fonte (*Ægypti* seculíque usu) Templi & proinde Tabernaculi pompam & apparatum splendidissimum dimanâsse asserit S. *Chrysostomus*, Tom. 5. Serm. 31. p. 471. Edit. Paris. hisce verbis: Ὅτι Αἰγυπτιακῶν θυρίβων καὶ τῆς τοῦ βαρβάρου τυραννίδος τὸν τῶν Ἑβραίων δῆμον ἀπήλλαξεν ὁ Θεὸς, ὁρῶν αὐτοὺς ἔτι

λείψανα

λείψανα ἀσεβείας ἔχοντας, καὶ περὶ τὰ αἴσθητα ἐπτοημένους, καὶ μεγέθη καὶ κάλλη ναῶν θαυμάζοντας, ἐκέλευσεν αὐτοῖς οἰκοδομοθῆναι ναόν, &c. *Quo tempore ab Ægyptiacis turbis & barbarâ Pharaonis tyrannide, Hebræorum populum Deus liberavit; videns eos impietatis adhuc reliquias secum habere, rebúsque omnibus sub sensu cadentibus ad insaniam usque addictos, templorúmque magnitudinis ac pulchritudinis admiratione duci; Templum ab ipsis ædificari præcepit, quod non modò materiæ magnificentiâ atque artis varietate, sed & structuræ formâ, cætera omnia, quæ ubique terrarum erant templa, obscuraret.* Ab eâdem seculi consuetudine, dierum festorum celebrationem & varia sacrificiorum Judaicorum genera initia sumpsisse asserit idem Pater. Tom. 6. in Serm. de Christo Pastore, p. 267. Hisce gemina legenti se dabunt, Homil. 35. adv. Judæos, pag. 411. & in Homil. 24. in Cor. 1. c. 10. pag. 256. & in Exposit. Psal. 109. pag. 322. & Psal. 49. Eâdem etiam chordâ oberrat, in *Enarrat.* in *Is.* 1. p. 651. Tom. 3. verba, brevitatis studio, ferias agentibus, consulenda relinquo. Non possum verò à tam disertis Patris ejusdem verbis recitandis temperare, quæ occurrunt *Homil.* 6. in illum S. *Mat.* textum, *Ecce stella quam viderunt Magi*, &c. Μὴ τοίνυν ἀνάξιον εἶναι νομίσης αὐτοῦ [Θεοῦ] τὸ δι' ἀστέρος αὐτοὺς καλέσαι· ἐπεὶ οὕτω καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τοὺς καθαρμοὺς, καὶ τὰς νεομηνίας, καὶ τὴν κιβωτὸν, καὶ τὸν ναὸν δὲ αὐτόν· Καὶ γὰρ ἐξ Ἑλληνικῆς ταῦτα παχύτητος ἔλαβε τὴν ἀρχήν. Ἀλλ' ὅμως ὁ Θεὸς διὰ τὴν τῶν πλανηθέντων σωτηρίαν ἠνέσχετο, &c. i. e. *Ne opineris Deo indignum quòd Magi per stellam vocentur: hoc enim modo OMNES Judæorum ceremonias, omnésque ritus & sacrificia & purificationes & neomenias & Arcam Templúmque*

plúmque ipſum reprobabis. Siquidem hæc omnia originem à Gentium ruditate traxêre. Deus enim ob deceptorum ſalutem, ſe coli paſſus eſt per ea per quæ illi antea dæmones coluerunt; aliquantulum illa in melius inflectens, ut eos paulatim à conſuetudine ſuâ reduceret, & ad philoſophiam altiorem perduceret. Hunc igitur diſpenſationis ſuæ modum ſervavit in Magis. &c. Hucuſque Patrum eloquentiſſimus: de quo (præfato tanti nominis honore) id unum dixiſſe liceat; quòd eum dictatoris partes ſibi nimiùm ſumpſiſſe crediderim, cùm de primâ rituum planè omnium apud *Judæos* ævis vetuſtiſſimis obtinentium origine, ſententiam tam decretoriam tulerit. Modeſtiæ & veritati meliùs forſan conſultum fuiſſet, ſi ritus eos ſolummodo quorum ſanctio in rationem aliquam peculiarem Lege traditam reſolvi nequit, veteri alicui ſeculi Moſaici conſuetudini acceptos retuliſſet.

Hiſce ex Eccleſiâ, unum è *Synagogâ*, multi nominis Doctorem veterem, addere liceat, *R. Moſ. Ægyptium:* qui dum leges nonnullas cum pravis ſeculi moribus ex adverſo pugnantes, Deum decreviſſe fatetur; Illum ritus plurimos è ſeculi moribus in ſacrorum ſuorum numerum aſciviſſe fidens aſſerit. *Mor. Nev. P. 3. cap. 32.* Non peribit opera, ſi teſtimonium tam luculentum, quanquam paulò prolixius, in medium feramus. *Quia*, inquit, *cùm naſcuntur animalia, ſunt tenerrima, neque ſicco cibo ali poſſint, ideo Deus adaptavit eis ubera ad lac ingenerandum: ut humido ejuſmodi cibo, temperamento membrorum ipſorum convenienti, nutriantur, donec ordine & gradatim exſiccentur & conſortentur. Ac ſimilem planè gubernationis DEI O P T. M A X. modum obſervare licet in rebus multis in Lege noſtrâ, quia non licet ſubitò & momento quaſi*

transire à contrario uno ad alterum; & per consequens, secundùm naturam hominis fieri non potest, ut momento relinquat id cui longo temporis spatio est assuetus. Cùm itaque misit Deus Mosen Doctorem nostrum p. m. ut nos faceret regale sacerdotium, gentem sanctam, *primò in cognitione Dei, deinde in cultu, & usitata tum in mundo consuetudo erat cui omnes assueti, & cultus universalis in quo omnes erant educati, ut variæ animalium species in templis illis in quibus imagines collocabant, offerrentur, coram illis procumberetur, & adoleretur; certi insuper quidam essent cultores sequestrati quasi & ad cultum illum destinati, qui in templis in honorem Solis, Lunæ, reliquarúmque stellarum exstructis exercebatur; ideo noluit sapientia & providentia Dei, quæ in omnibus ejus creaturis lucet, mandare ut cultus illi omnes derelinquantur aut aboleantur. Hujusmodi enim rei cor humanum, quod perpetuò ad id inclinat cui est assuetum, naturaliter non fuisset capax —— Propter hanc causam retinuit Deus adhuc cultus, eósque à rebus creatis & phantasmatis, quæ nullam veritatem habent, ad nomen suum transtulit, & præcepit nobis ut illos exhibeamus ipsi. Ità præcepit ut Ipsi ædificaremus templa, ut altare nomini suo sit consecratum, ut sacrificia Ipsi offerantur, ut nos incurvemus & suffitum faciamus coram Ipso, sic Sacerdotes ad cultum Sanctuarii separavit.* &c. Utinam Judæi hodierni, qui tot laureis *Mosis* hujusce tempora redimire, eíque secundam à *Mosis*, Magistri sui, cathedram decernere solent, animos in hæc verba intenderent! tunc enim fervor ille animi, quo in ritus Mosaicos feruntur, statim refrigesceret, nec *Messiam* nostrum (cujus nomen unguentum effusum est) tot maledictis & convitiis proscinderent, quòd *Mosis* tabulas jam denuò fregerit, leges suas ceremoniales, earum ratione jam cessante, irritas,

ritas, caſſas, nullas fecerit. Sed ad penſum redeamus.

Antiquiorum hâc in re ſenſum jam accepimus: E recentioribus tres etiam laudare placet, qui ſuffragiis ſuis ſententiæ noſtræ veritatem aſſeruêre. *Polydorus Virgil.* in primis ſic cauſam noſtram vindicat, Lib. 4. de Inventor. Rerum, cap. 7. *Liquidò apparet pleraque omnia ornamenta ab ipſis Hebræis, uno vel altero modo, Sacerdotes noſtros* [Pontificios] *eſſe mutuatos; ſicut illos ab Ægyptiis principio ſumpſiſſe veriſimile eſt.* Et ſtatim poſtea, *Ægyptii Sacerdotes linteo tantùm veſtimento, ut puriſſimo mundiſſimóque, in rebus divinis utebantur, laneum verò, ut profanum, vituperabant.* --- *pari ratione Hebræi Ægyptiorum inſtitutum imitati eſſe videntur: Joſephus enim, lib. 6. belli Judaici, ſcribit Sacerdotes ad altare templúmque accedere ſolitos, omni vitio carentes, veſte byſſinâ, id eſt, lineâ, amictos.* Et Cap. 8. libri ejuſdem hæc dicit, *Herodotus in Euterpe & Plinius ſcribunt, Sacerdotes Ægyptios conſuevisſe deraſis capitibus mœrere & in luctu eſſe, ex morte Apis qui in Ægypto Numinis vice colebatur, ac demum totum corpus eradere, ut nè quid iis inter Deorum cultum aut pediculi aut ſordium crearetur. — Hinc igitur opinor fluxit ritus Nazaræorum, & ab iis noſtrorum Sacerdotum, qui jubentur caput radere & comam nutrire prohibentur.* Sed, *Polydori* honore integro, de ritu Nazaræorum mentem mihi longè diverſam eſſe, & de primâ illius origine me cum *Cyrillo Alex.* jam laudato, ſentire malle, præ me fero.

Pinedam etiam in eâdem opinione fuiſſe, ſatis teſtantur verba ſua in *Job.* cap. 9. com. 30. *In Lege multæ erant purificationes, quas Deus fortè inſtituit, ut populum illum, aliarum gentium ceremoniis aſſuetum, faciliùs ad mentis puritatem ſectandam adduceret.*

Nè causæ nostræ testibus ultra opus sit, audiamus & *Grotium* nobiscum suffragantem, in not. ad Cap. 1. *Levit.* com. 9. verbis iis suo dignis acumine: *Sicut fines sacrificiorum diversi sunt, — ità & ritus: qui aut ab Hebræis ad gentes alias venêre, aut, quod credibilius est, à Syris & Ægyptiis usurpati, correcti sunt ab Hebræis, & ab aliis gentibus sine eâ emendatione usurpati.* Et in Levit. 12. 3. asserit *multa præcepta, de cibis & animalibus vetitis, Israëlitis data, ab Ægyptiis translata fuisse.*

Testium tantùm nubeculam hactenus habuimus: at si testimoniis staret vel caderet causa mea, facilè nubis incrementum caperet. Alios enim testes non paucos in promptu habeo, non minùs claros & nominis celebritate præcellentes: quorum verba, nè oculi animíque Lectorum (priusquam Sectionis hujusce metas attingant) nimis doleant, silentio prætereo. Eorum tamen nomina & scripta, quibus sententiæ hujusce patrocinium accipiunt, veritatis hujusce & Lectoris curiosi studio ductus, hîc apponenda curavi. *Just. Mart. in Tryphon. pag.* 183. 237. *&* 240. *Origen. in Numer.* 24. *homil.* 17. *sub fin. S. Hieron. in Is.* 1. *& Ezech.* 20. 25. *Tertul. advers. Marcion. l.* 2. *cap.* 18. *Theodoret. de curat. Græc. affect. Serm.* 7. *p.* 584, 585. *Et* Ἐρωτ. α. *in Levit. & in Cantic. p.* 990. *Edit. Paris. Isidor. Pelusiot. lib.* 1. *Epist.* 176. *Maimonid. Mor. Nevoc. Par.* 3. *cap.* 45. *pag.* 474 *&* 475. *Edit. Buxtorf. Hospinian. de origine Templorum, in Epist. Dedicat.*

Testimoniis hisce omnibus fidem detrahere, eò minùs rationi consonum habeo, quòd minimè probabile sit, *DEUM* tot imbelles & corporeos ritus, nec sibi gratos, nec veris suis cultoribus per annos bis mille cognitos,

cognitos, cultum ſuum onerare & Legis moralis præcepta, penè obumbrare voluiſſe; niſi quòd populus Iſraëliticus, vanitatum veterum zelo raptus, Dæmoni per eos cultum deferre voluiſſet, ſi minùs Deo licuiſſet. Deinde, non populi tantùm Iſraëlitici, ſed & Gentilium ruditas (nam eorum etiam curam geſſit divina bonitas) mores aliquos veteres in cultum & Legem Dei tranſcriptos poſtulâſſe videatur. Cùm enim iis ſalutis ſpes nulla niſi ex Eccleſiâ Judaicâ affulgeret; hic rituum conſenſus propenſa Gentilium in *Judæos* eorúmq; religionem ſtudia foveret, & ſacra hæc communia eorum animos *Judæorum* cultui & communioni faciliùs adjungerent & devinctos detinerent: à quibus forſan, tanquam novitatis exoſæ ſtudioſis & generis humani contemptoribus, penitus abhorruiſſent, ſi ξενίζοντα tantùm, ritus exoticos & ſoli Judææ notos in cultu divino tolerâſſent.

At ſentio me ex improvido ardore extra Argumenti mei pomœria paululùm provectum: gradum itaque revoco, & ad rationes alias magìs arctâ propinquitate illi conjunctas me ſtatim confero.

Sect. 8.

Probatur hypotheſis noſtra cæteras redarguendo.

QUò magìs ſententiæ meæ veritas eluceſcat, conſultum habeo, dogmata adverſa, quæ doctorum fidem hactenus tenuêre, hîc juxta ponere; & eorum vanitatem (quod laboris haud multi fuerit) redarguere. Hîc autem Lectoris patientiam nimis læderem, & otio ſtylóque meo abuterer, ſi varia illa, in quæ Magiſtri & moderni in hoc Argumento ſcinduntur, ſtudia fuſiùs enarrarem, & ſingulis mihi ex adverſo ſtantibus

bus litem intenderem. Me causam satìs vicisse credam, si tres saltem præcipuæ inter doctos notæ sententias, non minùs in Scripturam & Rationem quàm sensum meum peccare probavero.

Inter eas verò primas jure vendicat, tot Scriptorum calculis decorata, *Talmudicorum* sententia, quam paucis accipiat Lector. Asserunt illi duodecim Tribuum nomina, Pontificis Pectorali insculpta fuisse, iísque Patriarcharum insuper [*Abraham, Isaac & Jacob*] nomina accessisse, unà cum hâc etiam additione כל אלה שבטי ישראל *singulæ hæ sunt tribus Israëlis*; & quòd in vocibus iis conjunctim sumptis, quælibet Alphabeti Hebraici elementa, quæ verbo cuivis exprimendo sufficiant, reperiri possint. Cùm verò, inquiunt, Sacerdos responsum divinum posceret, faciem suam in שכינה i.e. *Arcam* obvertit, & literæ in Pectorali tunc temporis plus solito splendescentes, vel virtute divinâ בולטות i. e. *prominentiores* factæ, in verba compositæ, illi (quasi literæ de cœlo datæ) Dei arcana & placita exposuêre. Quoniam autem haud facile sit statuere, quâ arte & ingenio tot simul splendescentium vel protuberantium literarum ordinem aut puncta genuina teneret Pontifex, Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς inducunt, qui illos hoc nodo impeditos liberet. [a] Tradunt nimirum Sacerdotem vocem divinam quæ mentem ejus dubiam & errori obnoxiam in rectum duceret, in loco semper accepisse. Asserunt itaque literas splendore insigni vel eminentiâ subitataneâ notabiles (per quas responsum Sacerdoti innotuit) *Urim* & *Thummim* fuisse, eáque ex literis iis, prout *galaxia* è stellularum splendescentium congerie, coaluisse.

[a] *Tradunt Talmudici vocem auditam esse quæ Pontificem docuit instituitque nè erraret ex punctorum vocalium defectu.* Mr Sheringham, in cod. Jom. p. 185.

Qui

Qui camelum hunc Talmudicum (quo nihil deformius fingi poteſt) deglutire neſciunt, ſic ſenſum ſuum, paulò diverſum, efferunt. *Non abſurdum videtur, ſi dicamus, ex pacto & inſtitutione inſtitutoris, Deum invocatum à Sacerdote, certo ritu, gemmas iſtas geſtante, reſpondiſſe; non articulatâ aliquâ voce, ſed per illuminationem intellectûs ipſius, & certam perſuaſionem inditam menti ipſius de veritate reſponſi: nullam itaque vim fuiſſe in lapidibus, niſi tanquam in morali cauſâ, à Deo fuiſſe effectum, qui ad illius præſentiam operabatur occulto quodam modo.* Hæc eruditus *Rivetus*, Comment. in *Exod.* 28. 40. Cum illo judicat *Salianus* in *Annal.* Tom. 2. ad An. 2544. §. 550. & *Cornel. à Lapide* in *Exod.* 28. pag. 560. Eâdem mente fuit & *R. D. Kimchi*, qui in 2 *Sam.* 25. aſſerit *Summum Sacerdotem Pectorali ſuo indutum, Spiritu S. extemplò occupatum fuiſſe, & hoc ſuggerente reſpondiſſe ad interrogata:* prout teſtatur *Schindler.* in Voc. אור. Hiſce partibus ſtudet & *R. Bechai* cujus hæc ſunt verba in *Deut.* 33. 8. אורים ותומים היתה מרגלת ממרגלות רוח הקדש הכהן המלובש בהשן אשר בו אורים ותמים נתונין בין כפלי הושן מתלבש באלו ברוח הקדש i. e. *Urim & Thummim fuit è gradibus Spiritûs Sancti; Sacerdos etenim indutus Pectorali, in cujus duplo data erant Urim & Thummim, indutus erat ſimul Spiritu Sancto.* Horum cenſu *Maimonidem* numerare ſuadent verba illa ſua à *Seldeno* noſtro laudata, Lib. 2. de Succeſſ. in Pontif. cap. 8. *Quænam eſt ratio cur non conſulere ſolerent Oraculum illud per Urim & Thummim ſub Templo ſecundo? quoniam non adfuit ibi Spiritus Sanctus, neque enim Sacerdotis alicujus in conſulendo opera adhibenda eſt, qui non loquitur ex Spiritu S. & Majeſtatis divinæ præſidio.* Sen-

tentiam hanc *Antonius Milieus*, Par. 1. *Moys. Viat.* l. 13. elegante Musâ sic expressit.

--- Quoties de Lege refert responsa Sacerdos
Consultus, regníque vices & publica fata
Aut privata rogant dubiis in rebus egentes
Consilio, ac Numen venerati ritè precantur;
Pontifici adsistens Summo præcordia pellit
Spiritus, & gemmas arcano illuminat igne,
Instigátque animi fibras & fata recludit:
Tum linguam moderante Deo, certissima fundit
Effata, & procul omnis abest ambagibus error.

Fundamentum verò quod sententiæ huic sustentandæ par esse creditur, textus ille est, 2 *Chron.* 24. 20. ubi Spiritûs Sancti afflatus *Jehojadam* Pontificem in mediâ plebe jam stantem concitâsse dicitur: unde & Propheta repente prodiit, & quid pro re natâ facto opus esset, Dei nomine populo annunciavit.

Utcunque apud longè plures, eósque celeberrimos è gente togatâ viros, sententia hæc tertia fidem & gratiam invenerit; quòd nempe consilium divinum innotuit per solas Pectoralis gemmas; vultum colorémque quotidianum & communem retinentes, si Deus responsum triste vel negativum, novis autem & insolitis lucis stricturis Sacerdotis oculos ferientes, si responsum lætum vel affirmativum, formaturus esset. S. *Chrysostomum* ità cogitâsse probant verba illa: *Homil.* 37. *adv. Jud.* p. 445. Επὶ τῶν λίθων τῶν ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ ἀρχιερέως, ὅπερ ὀκάλουν δήλωσιν, ἐγίνετό τις ἔλλαμψις, καὶ τὰ μέλλοντα ἐσήμαινε· i. e. *è lapidibus qui erant in pectore Summi Sacerdotis, id vocabant Declarationem, relucebat fulgor quidam divina significans.*

Ab

Ab eo non multùm receſſit *Suidas*, qui in Voc. Ἔφωδ, reſponſum Sacerdoti datum aſſerit *per adamantem, colorem, pro variâ reſponſi conditione, ſubinde variantem.* Cum iis nomen ſuum profitentur *Moncæus* lib. 1. de *Aur. Vit.* c. 19. Cl. *Grotius* in 1 *Sam.* 30. 7. aliíque. Hi omnes authoritate potiſſimùm *Joſephi* nituntur, qui [a] duas tantùm annorum centurias à ſplendoris illius miraculoſi defectu, ſe ſcribente, effluxiſſe aſſerit. *Antiq. l.* 3. *c.* 9. At Ratio, inquiunt, ſuadet, cogit, ut tantarum literarum viro, è ſtirpe ſacerdotali oriundo, patriæ ſuæ uſus & res geſtas ex profeſſo poſterorum memoriæ traditurо, in *Judæorum* moribus, ſacris præſertim, maximè exercitato, de fide & diligentiâ ſuâ tam ſanctè & frequenter pollicenti, de re tam celebris notæ & recentis memoriæ ſcribenti, fidem tribuamus.

[a] Ἐκαίσατο μὲν γὰρ ὅτι ἐστὶν ἡ σαρδόνυξ ἡ λάμπειν ἐπὶ τῶν διακοσίων ἐτῶν ἐκλείπειν τὸν φωτισμὸν τοῦτον ἐν τοῖς ἱεροῖς.

E dictis manifeſtum eſt, Viros doctos in hujuſce dogmatis centro, *quòd Urim & Thummim nihil aliud fuerint præter lapides Pectoralis*, ſe mutuò tangere & optimè convenire; quamvis cùm de ratione quæratur quâ reſponſa per lapides illos mutos tradita conſulentibus certò innoteſcerent, non minùs à ſe invicem diſtent quàm lineæ à centro recedentes. In hujuſce verò ſententiæ communis ſtudium ducti videntur. (1°.) *Silentio Scripturæ: Cùm enim*, inquiunt, *Moſes magnâ religione in deſcribendâ ſacrarum veſtium materiâ & formâ verſetur, quò ſingula perſpicuè tradat, profectò paulò pluribus deſcripſiſſet Urim & Thummim, ſi aliud quàm duodecim lapides per ea intellexiſſet.* Deinde, *Levit.* 8. 8. ubi *Moſes* novam ornamentorum Pontifici Summo ſacrorum mentionem ingerit, legimus *Moſen* Pectorale *Aaroni* induiſſe, & in eo *Urim* & *Thummim*

Thummim poſuiſſe, cùm de lapidibus pretioſis ſit altum ſilentium. Unde nominibus iis, *Urim* & *Thummim*, lapides illos venire firmiter concludunt. (2°.) *Convenientiâ nominum:* nam *ideo*, inquiunt, *lapides Pectoralis URIM nominantur, propterea quòd veluti ignis in pectore Summi Sacerdotis, ut eſt natura tot ſimul conjunctarum* [a] *gemmatum, ſplenduerint, & lucem perſpicuam de ſe projecerint.* אור *enim lucem vel ignem ſignificat. Ideo etiam THUMMIM, quòd perfecti & integri fuerint, nec ullo vitio notati.*

[a] *---Gemma nitidos vertuntur in ignes.* Ovid. Met 8.

Sententias illas quæ doctos hactenus in partes diviſos tenuêre, & omnem de Oraculi hujuſce naturâ meliora cognoſcendi ſitim, per longam ſeculorum ſeriem, penitus extinxêre, jam expedivimus. Eas autem talo malè firmo ſtare, earum caſus & ruina, (ſi vires ſuas manu leviore tentemus) ſtatim comprobabunt. Quod enim ad *Talmudicorum* ſententiam ſpectet, eam non immeritò in figmenti ſuſpicionem vocemus: non tantùm quòd eorum ſcripta vix ſextum aut ſeptimum à *Chriſto* ſeculum antiquitate ſuperare, argumentis non contemnendis oſtenderit [b] *Morinus*; ſed quod illam fabuloſum & ventoſum Magiſtrorum ingenium, eorúmq; quidlibet in ſacris audendi morem olere, quivis naſi paulò emunctioris facilè perſentiſcat. Unde enim *Talmudicis* ea nata fiducia eſt, ut tot verba, præter duodecim Tribuum nomina, Pectorali inſcripta fingant, de quibus Magiſtrum ſuum *Moſem* (in cujus verba jurare debent) nuſquam meminiſſe legimus? Sed & dicant inſuper (quò figmenta ſaltem probabilia referant) quibuſnam Pectoralis partibus tot literæ, quas ſomniant, fatidicæ exarari poterant? an

[b] *Lib. de Hebr. & Græc. Text. Sincerit.* P. 2. *Exercit.* 6.

in

in lapillis pretiosis? at eos, utpote parvulos, Tribuum nomina totos proculdubio occupârunt, nisi subtiles admodum & oculorum aciem fugientes literarum sculpturas fingat quispiam: an in ipso duplicati Pectoralis panno? nemo cui nasi aut frontis aliquid hoc dicet, illius enim angustam superficiem lapilli duodecim tantùm non opplêrunt & obscurârunt. Deinde, literæ illæ duris lapidibus insculptæ, cæteras eminentiâ subitaneâ superare & subsidere denuò nulli poterant, nisi quis immensum miraculorum criticorum & usui nulli inservientium numerum, in dogmatis hujusce aliàs ruituri subsidium vocet: at *DEUS* Naturæ leges fixas & immotas, nec miraculo ullo, (nisi rarò admodum & in finem optimum edito) rescissas, servare solet: כי הטבע יקר בעיני יי, *est enim natura* (quod è magistris non nemo) *pretiosa in oculis Domini.* Præterea, quid rei erat quòd *DEUS*, (qui compendium facere solet) verbis paucis, iisque apertis, nec novum oraculum ad eorum explicationem postulantibus, Sacerdoti responsa non dederit; potiùs quàm per operosas illas & tædii plenas literarum protuberantias, quarum ordinem & puncta genuina non nisi per voces plurimas cœlitus emissas capere potuisset? Quærerem etiam (nisi quòd Lectorem hujusmodi ineptiarum jam tæderet) quomodo responsum, modò plus solito prolixius foret, adeóque eadem alphabeti elementa sæpius repetita postularet, per literas quæ non nisi semel in Pectoralis verbis occurrebant, tradi potuit? Huic nodo hunc cuneum adaptavit Vir è sacro ordine, inter beatos jam agens, literarum & pietatis famâ apud nos *Anglos* meritò celeberrimus: "Fieri, inquit, po-"tuit, ut literæ è quibus responsi verba constabant, "non simul protuberarent; sed priùs una dehinc al-

tera,

"tera, donec integrum reſponſum vigilantior Ponti-
"fex accepiſſet. At quàm indigna Majeſtate divinâ & Oraculi gravitate hæc ludicra & pluſquam poëtica figmenta! anne credibile eſt Deum, mimicâ & perplexâ hâc nunc eminentium nunc ſubſidentium literarum ſaltatione, Sacerdotis animum ſeriò & citò nonnunquam, in rebus perditis, ſententiam ſuam exquirentis, enecare velle? vel ità cum illo agere quaſi ad ludum potiùs puerilem quàm Oraculum divinum vocaretur?

Sed non opus eſt ulteriore ſpiritûs diſpendio ad bullam hanc Talmudicam, crudo tantùm aëre repletam, ſuâque vanitate ruituram diſſipandum. Hominis cordati & vigilantis fide, vix unquam abuti poſſit tam craſſæ texturæ fabula; quamvis eam forſan *Judæus apella*, qui intimo pompæ Moſaicæ & gentis ſuæ famæ ſenſu tangitur, patulis auribus & ore hiante accipiet. Nam hiſtoriolâ hâc, quæ perpetuis miraculis, vocibus divinis & gloriâ quâdam externâ tota intumeſcit, nil fingi poſſit ad gentis Judaicæ honorem auguſtius, aut ad religionis ſuæ admirationem imperitæ plebeculæ movendam efficacius. Quanquam, ſi Oraculi hujuſce majeſtatem & venuſtatem verè ſuam è tenebris tandem in lucem proferam; nullus dubito quin viros graves & conſultos citiùs in ſummam admirationem rapiet, quàm ſi pigmentis illis meretriciis & mentitis formis, quibus illud Talmudici ornant, effulgeat.

Hiſce itaque Talmudicorum φλυαρίαις & ſplendidis mendaciis valere juſſis, ad ſententiam ſecundam, quæ reſponſi divini cognitionem Spiritui Sancto, Sacerdotis mentem occupanti, refert, pedes promoveamus. At & hæc non minùs vitium ſonabit, vel leviter percuſſa:

nam

nam Scriptura nusquam per Spiritûs afflatum sed *Ephodis URIM*, tanquam verum & proximum oraculi tradendi medium, Deum Sacerdoti sciscitanti respondisse asserit. Si autem *DEI* responsa per Spiritûs afflatum & sermonem intellectualem Sacerdoti innotuissent, Deus rectiùs *CUM Urim* quàm *PER Urim* respondisse diceretur. Respondet *Corn. à Lapide*, in Exod. p. 560. *Urim non Oraculum, sed index erat Oraculi: & cùm Scriptura dicit Deum* per *Urim consultum esse aut respondisse, id metonymicè explicandum est; ut significetur Deum respondisse per Sacerdotem, Rationali in quo erat Urim indutum.* At parcatur mihi si duriorem illam *Cornelii* metonymiam concoquere non valeam. Profectò, si Oraculum dici possit per *Urim* tradi, quia tradebatur *per Sacerdotem, Pectorali in quo erat indutum*; pari ratione dici possit per *Ephod* tradi, & per lapides etiam, qui Pontificis, dum sententiam divinam expectavit, ornârunt humeros. Sed nè longum in re clarâ faciam, satìs è Scripturis constet, Deum, non per ἀποκάλυψίν τινα τὴν καρδίαν τοῦ Ἀρχιερέως καταφωτίζουσαν (utì contendit *Severus*, aliíque) sed per vocem formatam, aures Sacerdotis interrogantis blandè ferientem, responsa tradidisse. Cùm enim *David*, animi incertus quid ageret, consilium à Deo, medio *Ephode* impertiendum, supplex postulârit; 1 *Sam.*30.7,8. *DEUS* inquit textus, *respondit ei, Persequere* [Amalechitas nimirum] *absque dubio enim comprehendes eos, & certò eripies prædam.* Hunc textum modò viri bis mille legerent, quorum animos nullæ fabulæ Talmudicæ aut vulgi placita de hoc Oraculo accepta vitiârunt; profectò ausim quovis pignore contendere, quòd eum de responso verbis expressis reddito intelligendum esse, uno animo atque ore statuerent;

tuerent; nec de oraculo per Spiritûs afflatum, gemmarum ſplendorem, aut literas in Pectorali protuberantes, & in textu illo verbis apertis explicato, vel per ſomnium cogitarent.

Neque ſententiæ hujuſce patronos in ſpem ullam adducunt textûs ſupra laudati verba: nam Spiritus S. *Jehojadæ* quidem animum, prout & alios *Dei viros*, affeciſſe dicitur; non autem dum oculos in Pectoralis ſui gemmas defixos haberet. Et certè *Jehojadam* tam auguſto dignitatis ſuæ ſymbolo diſtinctum & illuſtrem in vulgus unquam prodiiſſe, pontificale faſtigium attigiſſe, vel Pontificis titulum natalium jure tenuiſſe, faciliùs credi quàm probari poteſt. *Baronius* quidem, *Sigonius*, *Salianus*, aliique, *Jehojadam* in Pontificum numero collocârunt: eos autem falſos ſatìs ſupérq; arguunt, illa R. noſtri *Montacutii* verba, Apparat. 6. p. 222. *Nos* Jehojadam *Pontificem fuiſſe Maximum de jure ſucceſſionis non arbitramur. Erat enim lex à Deo lata de Pontifice Summo, ut non ſolùm virginem uxorem duceret, non viduam aut fornicatione alteri cognitam, verùm & de gente ſacerdotali. Jojada vero, quod refert ſacra Scriptura, duxerat uxorem de tribu Judæ*, Jaſobeam *nempe, ſororem Jorami regis Judæ. Non eſt autem credibile, Jojadam illum, religionis columen, legis Dei reſtauratorem, & illius cultorem obſervantiſſimum, contra expreſſum legis divinæ tenorem & perpetuam Pontificum conſuetudinem, extra gentem ſuam, hoc eſt ſacerdotalem, voluiſſe ſibi uxorem ſociare. Accedat, quòd in rebus Joaſhi, nuſquam Pontifex M. (& tamen ille titulus aliis interdum tribuitur) ſed Pontifex & Pontifex M. &* Ἀρχιερεὺς, *à Joſepho nominatur: quam vocem ſcimus & aliis convenire quàm principibus in familiâ Aaronis. Sed nec apud Joſephum*

phum commemoratur Pontifex, nec in catalogo Pontificum reponitur in Scripturâ ſacrâ.

Neque verò ſolidiùs tinnit, quod alii de Pectoralis gemmis, feſtiviore jubare radiantibus ſi quid læti annunciandum; ſed vultum triſtiorem & qui luctuoſæ rerum futurarum ſcenæ conveniret, ſi adverſa imminerent, induentibus, ſeriò [a] fabulantur. Quamvìs enim gemmarum faciem, cum reſponſi conditione conſenſum aliquem coluiſſe, non pari fronte & animi conſtantiâ negem ipſe quâ nonnulli aſſerunt; Deum tamen reſponſa ſua omnia per varios gemmarum vultus, tanquam ſolos conſilii ſui interpretes, trâdidiſſe, dogma illud eſt quod in fabularum poëticarum numerum (niſi quòd ſale careat) meritò referendum cenſeo. Cùm enim rerum, de quibus Dei conſilium expeterent *Iſraëlitæ*, ea eſſet haud rarò obſcura & perplexa ratio, quòd reſponſum paulò prolixius & expreſſius poſtulârint; illud non magìs unico ſplendoris dicti ſigno, quàm varii conceptus unicâ alphabeti literâ, exprimi & efferri poterat. Huic argumento lucem & vires dabit exemplum illud *Davidis* DEUM per *URIM* conſulentis, 2 *Sam.* 5. 23. Interrogavit autem ibi, *Ad Philiſthæos aſcenderet necne?* nimirum ad rem armis decernendam. *Reſpondit Dominus, Non aſcendes*, rectà ſcilicet, *contra eos, ſed circuitum facies ponè eos, & venies ad eos ex adverſo mororum, & cùm audieris ſonitum gradientis in cacumine mororum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam ut percutiat caſtra Philiſthæorum.* Certè reſponſio tot verbis, tot circumſtantiis & cautelis, diſtincta & variata, ſimplici ſplendoris unius ſigno

[a] *Fabulantur quidam lapidem in Pectorali fuiſſe, cujus color, ſive ad adverſa ſive ad proſpera, mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta.* S. Aug. in Exod. q. 117.

ſigno nec dari nec accipi potuit: nam ideo literas plurimas excogitavit hominum ingenium, quòd nôrant ſignum unum non niſi rem unam vel alteram intellectui offerre potuiſſe. Hiſce accedat, quòd *Moſes Urim* & *Thummim* rem aliquam in Pectorali poſitam fuiſſe referat: quod de ſplendore ſolo, utpote accidente ſine ſubjecto (prout loquuntur) non niſi per figuram duram & inſolentem dici poſſit.

Quoniam verò nonnulli rationibus hiſce *Joſephi* teſtimonium præponderare credunt, ageſis, perpendamus ipſius verba: Διὰ τῶν δώδεκα λιθων ἃς κατὰ στέρνον ὁ Ἀρχιερεὺς ἐνεραμμένους τῷ Ἐσθῆνι φορεῖ, νίκην μέλλουσι πολεμεῖν προεμήνυεν ὁ Θεός· τοσαύτη γὰρ ἀπήστραπτεν ἀπ' αὐτῶν αὐγὴ, μήπω τῆς στρατιᾶς κεκινημένης, ὡς τῷ πλήθει πάντι γνωριμὸν εἶναι· τὸ παρεῖναι τὸν Θεόν· &c. *Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex inſutas Eſſeni geſtat, in bello victoriam prænunciare ſolebat Deus. Nam priuſquam exercitus ſe moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo innoteſceret adeſſe Deum, opémque & auxilium invocantibus eſſe allaturum:* Antiq. l. 3. c. 9. Quibus verbis hoc à *Joſepho* literis memoriæque conſignatum habemus; quòd Pectoralis gemmæ, *Judæis* ſigna cum hoſte collaturis, ſplendorem ſolito lætiorem aliquando emiſerint; & quòd illi certum victoriæ augurium indè captantes, animos ingentes ad prælium ineundum ſumpſerint. Neque is ſum ego, qui hâc in parte falſi notam illi auſim inurere, quanquam in priſcis illis ſubinde vacillet *Joſephi* fides. Fortaſſe *DEUS*, qui divinum illud πάνφαρμακον, piſcinam *Betheſdæ* loquor, tanquam quotidianæ incurſionis miraculum, *Judæis* reliquum fecit, ut Se omnem populi ſui curam non abjeciſſe teſtaretur; hunc etiam ſplendorem divinum,

ad

ad firmandos populi sui, cùm belli mortísque minæ pavorem incuterent, cadentes animos, tanquam præsentiæ suæ pignus (miraculis & prophetiis jam cessantibus) extare voluit. Splendorem verò illum miraculosum totam rationem τῶν *Urim* & *Thummim* compleviſſe, non asserit *Josephus*. Eum præsentiæ divinæ tesseram fuisse dicit, unicum consilii sui nuncium perpetuum non dicit. Neque animum potis sum ipse inducere ut sentiam, splendorem illum integram Oraculi hujusce naturam exhausisse: omnium enim cùm *Judæorum*, tum *Christianorum*, sed & Scripturæ ipsius consensu firmatum est, *Urim* & *Thummim* in Captivitate saltem cecidisse; quæ plusquam sex annorum centuriis *Josephi* scribentis tempora superavit. Deinde, si splendorem illum vel illius absentiam, unicum consilii sui interpretem statuisset, cùm dubia Oraculo suo solvenda proponerentur; non esset quòd *Saulus*, (jam belli aleam experiri cogitans, & ambiguæ spei tædio & cruce tortus) Deum sibi per *Urim* non respondisse quereretur. 1 *Sam.* 28. 6. Nam proculdubio, *Saulo* consulente, Pectoralis gemmæ vel solito & communi, vel insolito & divino, splendore emicuêre.

Nè verò in immensum diffundatur sermo, varia hæc sententiarum capita, unâ utpote cervice sustentata, hoc ictu unico demetere possimus. Lapidibus Pectoralis partem & sortem nullam in responsis Dei Pontifici tradendis datam fuisse, satis è [a] supra dictis exploratum habeamus. Quibus tamen (nè evasionem quærenti vel rima pateat) addo insuper testimonium *Sirachidis*. Cap. 45. v. 10, 11. ubi de Sacerdotis Summi ornamentis ex instituto agens, de *Pectorali judicii*, de *Urim* & *Thummim*,

[a] *Vid. Cap. 4. Sect. 2. pag. 34, 35, 36.*

mim, de *lapidibus* insculpta Tribuum nomina gestantibus, aliisque ad Pontificis ornatum spectantibus, verbis differit specialibus. Quibus innuit *Urim* & gemmas, æquè ac cætera (de quibus loquitur) dignitatis pontificalis ornamenta, res fuisse non nomine tantùm sed & numero distinctas & separatas. Neque contrarium evincunt textûs illius *Levit.* 8. 8. ab adversariis in sententiæ suæ patrocinium vocati verba: nam ibi *Pectoralis* tantùm & *Urim* mentio facta est, vel quia longum esset singulas gemmas nominatim enumerare, vel quòd gemmæ indivisæ manerent Pectoralis partes, adeóque nomine suo facilè supponerentur: At *Urim* & *Thummim* Pectoralis appendices potiùs fuerint quàm partes, illius ornamenta veriùs quàm membra: unde & Sacerdotem aliquando sine *Urim* & *Thummim*, nunquam verò sine gemmis illis extitisse legimus. *Ezræ* 2. 63.

Non peccârim forsan in veritatis aut modestiæ leges, si rationes allatas aliarum sententiarum vanitatem satis redarguere & senserim & dixerim. Quidni itaq; (eliminatis conjecturis hisce quas fiducia cæca peperit, & credulitas supina nutrivit hactenus) *hypothesis* nostra in earum locum & fidem succedat? saltem quoad aliam, cum seipsâ & Scripturis magis consentientem, docti in medium ferant; eámque argumentis assensu dignis muniant. Quotusquisque enim est literarum non planè rudis, qui opiniones novas, fronte tantùm & fiduciâ firmatas, vitiosâ nuce emerit? In Argumento difficili & impedito, aliter tantùm opinari, quid nisi aliter nugari?

Sect.

Sect. 9.

Ad ſententiam noſtram ſtatuminandam oſtenditur Urim *&* Theraphim *voces eſſe cognatas, ſeu ejuſdem ſignificationis.*

CUm diſcrepantia nominum (quæ publici habentur rerum indices) naturarum diſtantiam inferre ſoleat; nonnulli forſan ea quæ dixi omnia fabularum fide accepturi ſint, quòd vocabula illa, *Urim* & *Theraphim*, nullâ vel ſoni vel ſenſûs affinitate cohærere videantur. Quò itaque huic præjudicio obviàm eam, & Hebræorum *Urim* à fatidicis ſeculi *Theraphim* formam & originem accepiſſe clariùs pateat; probaturus ſum voces haſce (contra quàm ſentit *docti pars magna chori*) penè ſynonymas eſſe, & ſub maximæ diſcrepantiæ larvâ ſummam ſignificationis ſimilitudinem tueri. Huic operi eo majore animi intentione incumbendum cenſeo, quoniam ea ſignificationis ſimilitudo argumenti haud contemnendi locum non immeritò teneat, quo probemus per utraque vocabula imagines figuræ & uſûs cognati intelligendas eſſe; quamvis nomen *Theraphim* malè plurimùm audiat, eò quòd ſimulachris apud gentes, unde futurorum auguria ſumere ſolebant, frequentiùs in ſacris tribuatur.

Quàm minimo verò ſenſûs intervallo *Urim* & *Theraphim* diſtare, clarum liquidumque fuerit, poſtquam genuinam & Grammaticalem utriuſque vocabuli ſignificationem paucis explicatam & probatam dederim.

Initia itaque à voce *Urim* capiam: eam autem non *lumina* primariò & propriè ſignificare, ſed *ignes*, neminem, non planè hoſpitem inter Hebræos, præterit. Hunc equidem vocis hujuſce ſenſum Interpretes plerique omnes (quod miror) taciti præterire, eámque

per *lumina* tantùm transferre ſolent: at germana nominis notio interpretationem aliam efflagitat. Nam אוּרִים quidem *lumina* directè & propriè ſignificare, atque ità reddi, *Pſal.* 136.7. nôrunt & fatentur omnes, quibus animi primâ literaturæ Hebraicæ tincturâ imbuti. Nec minùs in aperto eſt, אוּרִים *ignes*, directè & ex primâ vocis intentione, denotare; *lumina* verò non niſi indirectè & ex conſequenti: quatenus nimirum pro *ignibus* ſumitur, qui lucem fundere ſolent. Sed neque vox *Urim* (modò vocis illius poteſtati paulò curioſiùs attendamus) *ignes* ſignificat, qui in cineribus aut carbone aliquo inertes jacent, & morti proximi, utpote nullo flabello animati; ſed ignes flammantes & ſplendorem lætiorem projicientes. Ità *Mercerus*: *Significat*, inquit, *vox* אוּר *flammam vel focum in quo ignis lucet*: aſſerit & *Schindlerus*, vocem eam *ignem accenſum ſeu flammantem propriè denotare*. Unde differt à vocabulo affini אֵשׁ quod *ignem* notat ſimpliciter ſpectatum, ſive feſtivioris alicujus flammæ pompâ triumphantem, ſive humiliori radio in ſcintillulâ emicantem. Atque hoc diſcriminis inter voces haſce ipſa Dei verba ratum facere videntur: Jeſ. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes* אֵשׁ *ignem, cingentes vos ſcintillis, ambulate* בְּאוֹר אֵשְׁכֶם *in flammâ ignis veſtri*: prout tranſtulit doctiſ. *Mercerus*, in voc. אוּר. Optimè itaque *Arias Montanus*, in Tract. Aaron. *Haurim, inflammationes & illuminationes reddere poſſumus*. Ad rem hanc die mediâ clariorem probandum, argumentis contendere nemo debet, nemo poteſt.

Quod ad vocem *Theraphim* ſpectet, me facilè perſuaſum habeo, quòd vocabulum Hebraïcum ſit, vel (quod proximè abeſt) Chaldaïcum, & pro *Seraphim* (leviſſimâ

viſſimâ & ſæpius uſitata, mutatione S. in T.) apud Orientalium nonnullos olim uſurpatum. *Seraphim* autem *urentes* vel *inflammantes* ſonare, nec Magiſtros fugit, nec Magiſtrorum pueros. Unde & *Ægyptii* antiquiſſimi, ignes ſub nomine *Seraphim* coluêre; authore *Stuckio*, lib. *de Sacrific. Gentil.* pag. 101. Si itaque *Theraphim* & *Seraphim* voces ſint eædem, dialecto tantùm & gentium uſu diſtinctæ; vel luſcus ſtatim percipiat *Theraphim* & *Urim* vocabula ſynonyma eſſe & ſignificationis affinitate conjunctiſſima: cùm *URIM ignes accenſos* & *flammantes*; *THERAPHIM* verò vel Seraphim, *Urentes* vel *Inflammantes* denotet.

In hanc autem de vocis hujuſce *Theraphim* origine ſententiam deſcendere conſultiſſimum haberem, ſi me nil aliud moveret, præter ipſam vocis conditionem (nam formam & legem vocum Hebraïcarum adamuſſim exprimit) & tam facilem, expeditam, & è proximo petitam nominis rationem. Sed rationes graviores in promptu habeo, quibus *Theraphim* non ſono tantùm & ſpecie, ſed origine & verè Hebræum vocabulum eſſe me probare poſſe confido.

Harum prima hujuſmodi eſt. Omnium aliorum idolorum antiquiſſimorum, quæ in Scripturis memorantur, nomina, Docti ab Hebræo, leviter per dialectum mutato, derivanda ſentiunt. v. gr. *Baal*, *Aſhtaroth*, *Succoth-Benoth*, *Molech*, *Baal-Peor*, *Dagon*, *Milcom*, *Baal-Berith*, *Nergal*, *Adrammelech*, & hujuſce furfuris alia. Hæc enim idola noviſſimis poſt diluvium ſeculis (quibus linguæ Hebrææ uſus apud Orientales nondum exoleverat) primordia debuiſſe, & titulos ſuos poſt multa ſecula retinuiſſe, non vani credunt. Quidni itaque vocem *Theraphim*, ævi paulò antiquioris, à radice aliquâ Hebraïcâ, (ſub ea forſan

tempora quibus antiquiſſimus Orientalium cultus ſimul & lingua à primævâ puritate abire cœperant) pullulâſſe crederemus?

Secundó. Circumſtantiæ illæ inſignes, quibus *Seraphim* & *Theraphim* in Scripturis conveniunt, ſat probant ea ejuſdem familiæ vocabula eſſe, & literæ tantùm unius diſtantiâ ab invicem ſeparata. Nam primó. Vox *Seraphim*, dum ſubſtantivè ſumitur & nominis proprii locum habet, nunquam niſi numero multitudinis in codice infallibili uſurpatur: idem & de voce *Theraphim*, *Kirchero* aliiſque obſervatum. Deinde, *Seraphim* antiquiſſimus fuiſſe videtur Angelorum titulus; quem itaque *Iſaias*, cap. 6. ità uſurpavit, quaſi uſus quotidianus nomen illud veteribus *Judæis* familiare admodum reddidiſſet. *Theraphim* etiam ſymbola fuiſſe in Angelorum honorem & memoriam facta, cùm ſe dabit occaſio, probaturi ſumus.

Tertió. Ægyptiorum *Serapis* [quem ejuſdem cum Hebræorum *Theraphim* generis imaginem fuiſſe ſtatim oſtendimus] à *Seraphim* nominis ſui originem petiit. Indè autem nominis rationem petendam cenſeo. (1°.) Quia blanditur proxima nominum ſimilitudo: quæ ſola cùm de etymologiâ nominum antiquitatis remotiſſimæ ſententia ferenda ſit, plurimùm valere & ſolet & debet. (2°.) Antiquitas primas inter Dei Angelos τοῖς *Seraphim* tribuere, eósque *ſtellas matutinas* quaſi primæ magnitudinis, & cœleſtis illius Exercitûs Duces & capita, habere ſolita eſt. *Ægyptii* etiam eorum *Serapim* (in cujus honorem icunculas illas, ſuo nomine celebres, fabricârunt) tanquam Angelorum, quanquam malorum, principem obſervârunt: prout liquet è verbis illis *Porphyrii* in libro ſuo *de philoſophiâ ex Oraculis*, apud *Theodoretum*, Serm. 3. *de Diis & Dæmonibus:*

Dæmonibus: Τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῇ ὑπὸ τὸν Σάραπιν ὑποτιθέμεθα. i. e. *Malos autem Dæmonas haud temere suspicamur sub Serapidis esse potestate.* Et post pauca, de Dæmonibus loquens, addit, Μήποτε οὗτοι εἰσιν ὧν ἀρχεῖ ὁ Σάραπις; *Anne hi sunt quibus Sarapis imperat?* (3°.) Docti, alios è Divorum Ægyptiacorum grege, viz. *Isin, Osirin, Amon,* (de quo *Jerem.* c. 46. 25.) ab Hebræo nomina derivâsse sentiunt. In cujus rei fidem consulant curiosi *Schedium* de *Diis German.* p. 236. *Jacob. Ouzel.* animadvers. ad *Minut. Fel.* p. 119 & 120. *Gualmyn.* in not. ad lib. 1. de *vit. & mort. Mos.* cap. 10. (4°.) *Serapum* in *Ægypto* usus, (concinente toto literatorum choro) antiquissimus fuit, cum istis penè populi cunis ortus; cùm linguæ Hebrææ usus haud adeò exoleverat, nec nitoris primævi jacturam adeò gravem fecerat. (5°.) Sententiis conjunctis concedunt literati, *Ægyptios* à *Misraim* & filiis sibi proximis (unde genus propagârunt) instructos, fictilium quarundam imaginum in Sacris usum primos instituisse. Unde suspicari pronum est, eos, utpote sermone Hebræo non multùm vitiato usos, istiusmodi simulachris titulum Hebræum imposuisse, eorúmque posteros (religione vel consuetudine haud facilè exuendâ ductos) illum per annos plurimos retinuisse. (6°.) Non desunt erudita quædam nomina huic sententiæ subscripta, quæ momenti nonnihil illi attulêre. Nam Ἑβραίζοντες *quidam* (fatente *Kirchero*) *Serapis à* שְׂרָפִים *deducere conantur: dicunt enim,* inquit ille, *simulachrum Serapidis fuisse ad similitudinem Seraphinorum, quos in templo posuisse Salomonem legimus, constructum.* In eandem forsan sententiam plures pedibus ituri essent, nisi quòd scrupulum injiceret terminatio vocis *Serapis*, quâ paululùm

recedit ab Hebræorum *Seraphim*. At operis exigui fuerit ſcrupulum illum eximere: nam terminationem illam (exiguâ unius literæ diſtantiâ ab Hebræo remotam) vel vetuſtati temporis, vel peculiari linguæ aut Theologiæ Ægyptiacæ ingenio facilè tribuamus: præſertim cùm particula [*is*] pleraque alia claudat Deorum Ægyptiacorum nomina; prout indicant *Iſis*, *Oſiris*, *Apis*, *Anubis*, &c.

Satis quæ jam dixi probant vocem *Serapis*, quamvis ſermone Ægyptiaco tritam, genere Hebraïco oriundam eſſe. Cùm itaque *Serapis* voci *Seraphim* ortum referat, quidni & *Theraphim* indè etiam genus deduxiſſe ſtatuamus; cùm vocabula illa tam arctâ ſoni affinitate uniantur, quòd *Serapis*, modò ore blæſo quiſpiam enunciet, *Therapis* prodeat; & materiæ, formæ, & rituum circa utraque ſimilitudo, ea iiſdem parentibus prognata ſatis atteſtentur? Hujus autem ſimilitudinis exempla aliqua verbis *Kircheri*, ea è veterum *Rabbinorum* & *Arabum* fide referentis, tradita ſubjungam. *Quemadmodum*, inquit, *Theraphim ex variâ materiâ, ſub certo aſtrorum poſitu conſtruebantur; ſic & Serapis ex omni lignorum, lapidum & metallorum genere conſtituebatur.* Theraphim *non fiebant ſine ſanguine humano, nec &* Serapidis *idola in ſacris Mithriacis. Iterum* Theraphim *paſſim phylacteriorum loco geſtabantur, quod & de* Serapis *idolis, legimus factum eſſe.* — *Erant etiam* Theraphim *idola quæ reſponſa dabant, cujuſmodi &* Serapes *ſive* Iſias *ſtatuas fuiſſe, alibi fusè probabitur.* — Theraphim *denique ferè ſemper formâ faſciis involuti pueri, & ad portandum idoneâ apparabantur,* — *cujuſmodi figuram quoque habuiſſe* Serapes, *teſtantur.* &c. hactenus *Kircherus*, Oedip. Ægypt. Tom. 1. p. 260.

Quartò,

Quartó. Cùm Deus *URIM* in Pectorali reponi jusserit, Eum nec rationem nominis nec naturam rei *Mosi* explicuisse legimus: cùm tamen plurimas alias cultûs ceremonialis apiculas, earúmque sæpius rationes verbis penè multis & apertis explicatas dederit; & *URIM* (sive nominis mysterium, sive rei ipsius religionem & usum spectemus) alia omnia Legis instituta longo post se relinquat intervallo. Hujus silentii tam singularis, ipse, omnem in partem versans animum, rationem vel minimam comminisci nequeam; ni dicam *Mosem*, Pontificem, aliósque forsan nonnullos qui scientiâ & firmatâ in Deum fide cæteris antecellerent, *Urim* & *Theraphim* naturæ & usûs cognati instrumenta, & ἰσοδυναμοῦντα seu potestatis consimilis vocabula esse, facilè & sine ope interpretis intelligere potuisse.

Quintó. Quamvìs *Micha* & fortasse *Israëlitæ*, ut cultum suum ad Mosaici ideam fingerent, Dei *URIM*, inter alia sacra simulaverint; vocabulum tamen *Theraphim* à seculo receptum, retinere non dubitaverint. Cujus facti (modò penes me sit illius judicium) hanc præcipuè rationem assignandam dixerim; quòd nempe *Urim* & *Theraphim* imagines figurâ & officio consonas, & significationis consimilis vocabula, apprime nôrint. Nam aliter idem cultûs Mosaici (ad cujus exemplar sua omnia exigebant) studium, ad nomen *Urim*, æquè ac *Ephod* & Oraculi instrumentum, in sacris suis retinendum proculdubio devinxisset.

Sextó. Sententiæ aliæ de vocis hujusce origine à [a] *Bolducio*, [b] *Rivveto*, & [c] *Kirchero* traditæ, nullo veri colore tinctæ videntur. Me verò ad earum omnium vanitatem, multo

[a] *Lib. 3. de Eccles. ant. Legem. c. 9 & Com. in Job. c. 21. 29. & 26 5.*
[b] *In Genes. 31. & Hos. 3.*
[c] *Oedip. Ægypt. Tom. 1. Syst. 4. cap. 3.*

cum

cum ſudore, coarguendum teneri iniquum arbitror; utpote quas illi nullo argumento firmatas proferunt vel nulli proximo. Opiniones autem quæ merum exercent in mentes humanas imperium eâdem levi operâ rejici poſſunt, quâ proponi. *Kircheri* ſolius ſententiam, ad quam ſtabiliendam penè omnes ingenii & eruditionis ſuæ nervos intendit, propoſitione & brevi refutatione dignam habeo. Quid itaque ſibi hâc in re viſum fuit, ipſum propriis verbis referentem audiamus. *Sciendum eſt*, inquit, *hanc vocem* Theraphim *nequaquam Hebraicam eſſe (etſi formam idiomatis Hebraici aliquo modo affectare videatur) ſed merè externam eſſe & adſcititiam: quod vel indè patet, quòd hæc vox extra Scripturam apud Hebræos Doctores nuſquam uſurpetur, nec cum hâc ſignificatione* [idoli nempe divinationi inſervientis] *ullibi in ſingulari reperiatur. Quæritur igitur qualis ſit hæc vox? Reſpondeo, eſſe Ægyptiacam, idémque eſſe quòd Serapis.*

Huic opinioni, quòd hâc duplici ratione dotatam viderat, ſe mentem ſuam deſpondiſſe fatetur. Prima ſic habet: *Serapidum cultu in Ægypto vigente, contigit*, inquit, *ut Abrahamo ibi commorante, domeſtici ejus Ægyptiis commixti; tum multa alia, tum maximè Serapides hoſce, quèis mira Ægyptios patrare videbant, admirarentur, & ſuſpicerent: ſiquidem dæmone eos animante, varia conſulentibus & interrogantibus reſponſa dabant, felicitatémque eorum cultoribus in omnibus ſpondebant actionibus. Curioſitate itaque ac felicitatis participandæ deſiderio inſtigati Hebræi Abræ vernaculi, ſubitò ad hoſce Ægyptiorum cultus animum adjecerunt. Abrahamo verò in patriam redeunte, ſervi, comparatis idolis & imaginibus dictis, reduces in patriam ſuam facti, conceptos in Ægypto errores paulatim diſſeminantes*

nantes apud Chaldæos & Babylonios, mox ingentem execrabilium Deorum sobolem pepererunt. Hisce, paucis interpositis, hæc addit, pag. 260. *Cùm itaque Hebræo-Chaldæi in Ægypto Serapidis cultu imbuti, Serapis nomen frequenter ingeminari audirent; & ipsi idola ejus unà cum nomine in Chaldæam adducentes, id sibi proprium fecerunt; eas imagines, quas Ægyptii Serapes illi (ס aut ם in ת mutato) תרפים appellârunt; quæ vox postmodum penitus juris Hebraici facta, & ם finali ob similitudinem in ם mutato, pro Theraphis Theraphim dicta, tandem inter reliquas voces Hebræorum annumerata est. Ex his itaque manifestum est Serapis & Theraphim idem esse nomen. Secunda,* inquit, *ratio quâ Theraphim & Serapis idem esse credamus est rituum circa utraque similitudo.* Eos autem hoc in loco omittendos censui, quoniam eos, ante paginam unam aut alteram, ipsis Authoris verbis dedi, unde Lectoris animus (si ità visum) huc transferre poterit.

Huic operosæ *Kircheri* conjecturæ quò minùs dem manum, sequentia faciunt argumenta.

(1°.) Fidem omnem exuperat *Abrahami* domesticos, (quos Scriptura חניכים suos appellat, *Gen.* 14. 14. rebus divinis sub eo initiatos, & præceptis sacris quotidie imbutos) adeò omni vix auditâ antea nequitiâ coopertos fuisse, ut vel ipsâm *Chaldæam* malè facere docerent. Quisquámne credat cœlestes illas animas imam superstitionis Ægyptiacæ fæcem bibere voluisse, & (gehennam de cœlo) pessimæ idolomaniæ pestem è salutiferâ *Patris fidelium* domo, in *Chaldæam, Syriam* & gentes vicinas prodire potuisse? quin potiùs Ratio, (sed & [a] Scriptura) suadet, [a] *Gen.* 19. 18 ut *Abrahami* saltem domesticos ab impietatis Ægyptiacæ lue se puros & immunes conservâsse crederemus:

crederemus: cùm præsertim moram haud adeò longam in *Ægypto* fecerint.

(2°.) Non minùs fidei adversum est, tam paucos ex *Abrahami* familiâ viros, modò superstitioni huic propagandæ se totos tribuissent, *Chaldæam* & *Syriam*, intra paucorum annorum lustra, hâc peste Ægyptiacâ inficere potuisse. Nam scripta Θεοπνόυστα indubium faciunt, *Theraphim* magni apud *Syros* sub *Labanis* tempora, æstimata fuisse: quorum temporum certum est *Abrahamum* æqualem fuisse, vel saltem ea non multùm excessisse.

(3°.) A doctis vulgò asseritur, linguam *Hebræam*, (quamvis alibi vocabulis peregrinis & idiotismo barbaro vitiatam) in *Abrahami* familiâ puram & quasi virgineam permansisse, atque indè veluti gentile quiddam ad posteros transmissam. Longè itaque à verisimili distat, servorum suorum labia ità Chaldaismo corrupta fuisse, quòd *Serapis*, ob pronunciationem magis operosam & impeditam, in *Theraphim* commutârint.

(4°.) Chaldæam & Babylonem, [*Matrem abominationum*] Deos & cultus alienos primò peperisse, apud doctos penè omnes in exploratis ponitur. Si itaque *Theraphim* in idololatricâ & magicâ Gentium scenâ primas partes habuerint, rationi consentaneum est ut ea (& proinde nomina eorum) Chaldaicis potiùs quàm Ægyptiacis natalibus orta fuisse censeamus.

(5°.) Sudat plurimùm & laborat *Kircherus* in genealogiâ vocis utriusque, *Serapis* & *Theraphim*, à genere Ægyptiaco deducendâ. Nam primò, ab Ægyptiorum [a] *Sor* & *Apis* (si illum audiamus) fit *Sorapis*, deinde *Sarapis*, postea *Serapis*, demum *Therapis*, & tandem aliquando

[a] *Obelisc. Pamphil. l.* 4. *Hierog.* 1.

quando *Theraphim*. At maximam τῶν *Theraphim* cum *Seraphim* conjunctionem esse, eáque sono appositè convenire & quasi concinere, quivis auribus non captus facilè persentiscat.

Rationes allatæ satis affirmatè loquuntur *Theraphim* & *Seraphim* (quicquid in adversum dicat *Cl. Kircherus*) voces esse Hebraicas; probant etiam me veram nominis illius originem assecutum, in cujus etymologiâ eruendâ tantum sudoris & pulveris frustrà hactenus biberunt [a] *Grammatici*. Cùm itaque *Theraphim* & *Seraphim* specie magis quàm re differant; satis indè pateat *Theraphim* & *Urim* (quòd diximus) proximâ significationis similitudine sibi invicem accedere & consentire. Hæc autem nominum tam arcta affinitas & consensus, argumenti gravissimi (ni mea ponderibus parùm æquis æstimem) locum non immeritò habeat, quo *Urim* non minùs naturâ quàm nomine cum *Theraphim* convenire concludamus. Cùm enim *DEUS* novum nomen *Urim*, ejusdem cum vetere *Theraphim* valoris & potestatis, fatidico Pectoralis instrumento dederit; non est quòd credamus Eum, rem eo olim nomine signatam, (simulachrum nempe ad divinationem factum) penitus abdicare voluisse. Certè *DEUS* rei ipsi bellum ἀσπονδον indicere noluit, à cujus nomine (quasi charum habuisset) tam exiguo recessit intervallo.

[a] *Non inveni adhuc apud Grammaticos quid sibi velit hæc vox Theraphim.* R. Eliezer apud Kircher. Tom. 1. pag. 259.

Nè argumentationis hujusce operam, præjudicii alicujus gratiâ, perdam, tribus Objectionibus mihi necessariò occurrendum est. Nam ad sententiam meam de vocum earum [*Urim* & *Theraphim*] synonymiâ refellendam, dici possit; Primò. Quòd nulla ratio vel meditanti

meditanti veniat, cur imagines parvulæ, nomen illud vulgare *Seraphim*, id est, *Urentes* vel *Inflammantes*, ante Legem datam, sortirentur: ideoque minimè probabile est *Theraphim* & *Seraphim* esse idem vocabulum, & arcto adeò significationis similimæ vinculo conjungi.

Imò verò ratio obvia est, & vel oscitanti se ingerit: ità nempe dictæ sunt icunculæ illæ, cum respectu ad veros Dei *SERAPHIM*, Angelos dico, quorum signa & symbola, nonnunquam etiam habitacula & μαντεῖα, primitus fuisse videantur. Animo facilè præsentio (nec tamen prophetiæ gratiam mihi sumo) me Lectores vix ullos habiturum, qui fide obviâ, plurimos verò qui effusis cachinnis, sententiam tam inopinatam sint accepturi. Eos itaque per veritatis amorem oro obsecróque, ut linguis animisque faveant, quoad rationes quæ animum meum, tardum & invitum penè, huic opinioni conciliârunt, ex momentis suis judicaverint. Quò verò rationes illæ lumen & robur sibi addant & accipiant mutuò, eas in classes suas distribuam, dum per quatuor hosce gradus ad sententiæ hujusce probationem ascendat sermo.

Primò. *Verisimile admodum est*, Seraphim *nomen Angelorum fuisse, à primâ pene temporum memoriâ, crebris Orientalium sermonibus usurpatum.* Nam (1°.) Ab *Isaiâ*, tanquam ordinis angelici titulus, quem *Judæi* sibi συγχρονοι satis perspectum habuerint, familiariter usurpatur. cap. 6. com. 6. *Et volavit ad me unus è Seraphim.* Neque ulla dubitandi ratio subest, quin nomen hoc παροπαραδοτον fuerit, à vetustissimis illis, ad *Isaiæ* tempora, transmissum seculis, quibus Angeli, frequentes de cœlo nuncii, hominibus se conspiciendos & alloquendos præbuêre. (2°.) Sub ipsa

ipsa mundi primordia, *ignem flammantem*, Angelicæ præsentiæ symbolum, divinitus institutum legimus, *Gen.* 3. ult. *Collocavit ad hortum Eden, Cherubim* ואת להט *& flammam gladii versatilis.* In quem textum, sic *Rambam*, P. 1. Doct. Perplex. c. 49. *Locus ille intelligendus est juxta illud*; Ministros suos ignem *Lohet* flammantem, *h. e. per* Lahat *ibi intelligendus Angelus qui est instar flammæ:* gladii versatilis; *h. e. versatilis ille Angelus appellatur.* (3°.) Sat constat primos mundi nascentis Patres, eâ fide & religione historiæ sacræ lampada posteris suis continuâ serie tradidisse; quòd titulus ille Angelicus *CHERUBIM* (cujus in historiâ lapsûs Adami prima venit mentio) in sermonem & usum frequentem, *Mosis* seculo transiisse censeatur. Nam indè factum videtur quòd *Moses*, rei illius memoriam literis consignaturus, vocâbulum *Cherubim*, nullâ additâ vocis ratione, familiariter adeò usurpaverit. Non itaque vanâ & levi fide ducimur, si & *Seraphim* non minùs in ore populo seculis antiquissimis fuisse, & nominis illius usui lapsûs historiam ansam primam dedisse credamus: nam in eâ dicitur Deus *collocâsse Cherubim & flammeum gladium*, tanquam visibile signum invisibilis Angeli. *Gen.* 3. 24. (4°.) Si Scripturas, antiquissimas Angelorum apparitiones referentes, memoriâ repetamus, proclive fuerit observare eos formam & aspectum non igneum solùm sed flammeum præbuisse. Unde *Buxtorfius*, in voc. שרפים, *Est*, inquit, *Seraphim Angelorum nomen, qui à claritate & aspectûs splendore, quasi flammantes & igniei visi sunt.* (5°.) Nomen hoc, ante alia, Angelis cognatum est & apprime consonum: eò quòd optimè referat eorum naturam agilem, gloriæ & amoris divini zelo ardentem, figuræ corporeæ nescium, &

ab

ab omni fæce terrenâ remotissimam. (6°.) Apud *Platonem*, lib. ult. de Rep. Angeli describuntur Ἄνδρες ἀγρίοι διάπυροι ἰδεῖν, *Viri agrestes aspectum igneum præferentes*: (nam de Angelis tantùm, locum illum *Platonis* exponendum censuit [a] *Clem. Alex.*) Quibus verbis, recepta apud Orientales (è quorum fontibus sua penè omnia hausit *Plato*) de Angelis philosophandi ratio, eorúmq; nomina, ansam fecisse videantur. (7°.) In propatulo est utrumq; titulum, *Seraphim* & *Cherubim*, non minùs apud [b] Judæos quàm Christianos veteres, ex æquo venerabilem, & prima utriusque nominis initia ipsis *Nili* fontibus obscuriora. Quidni itaq; *Seraphim* cum titulo *Cherubim* antiquitate contendere, & utrumque *Mosis* seculo antiquâ consuetudine usitatum fuisse existimemus? Si quid itaque in remotissimæ antiquitatis recessu videre datum, ob rationes jam redditas nos facilè persuasos habeamus, Angelos titulo illo *Seraphim* ante Legem datam vulgò innotuisse, ejúsque usum, ante omnem historiæ profanæ memoriam, apud Orientales increbuisse.

[a] Οἱ μὲν ἄνδρες οἱ διάπυροι, Ἀγγέλους αὐτοὺς βούλονται. *Strom.* l. 5. p. 592.

[b] *Nam occurrit* Seraphim *in Targ. Jonath. in Ezech.* 1. 8. *& Targ. Hierosol. in Gen.* 30. 22. *& alibi.*

Secundó. *Probabile est homines statuas vel columellas*, [Theraphim *vel* Seraphim *vulgò dictas*] *tanquam symbola ad Angelorum memoriam celebrandam, vel eorum præsentiam significandam, in locis præsertim religioni inscriptis, more antiquissimo, posuisse.* In hanc sententiam an præceps ruerim, vel consultus descenderim, cùm rationes hasce meas conjunctim pensitaverit, Lectoris judicium fuerit. (1°.) Deus præsentiam suam, in locis ad rem divinam sacratis, per Angelos

gelos exhibere solitus est: quâ de re consulat Lector *Hammondum* nostrum, eruditè, ut solet, differentem, in Not. ad *Psal.* 68. *k.* 89. *b.* 104. *c.* & 138. *a.* & in 1 *Cor.* 11. 11. *e.* Jam verò imagines illæ, quibus nomen *Theraphim* factum, huic præsentiæ Angelorum significandæ, iis in locis, (prout simulachra, *Cherubim dicta*, in Templo) commodè satis inservire poterant. (2°.) Sola hujusce nominis & censûs simulachra semper pluraliter in Scripturis efferuntur; cùm idola pleraque alia semper aut sæpius in singulari usurpentur. v. gr. *Chemosh*, *Baal*, *Milcom*, *Adrammelech*, *Moloch*, *Nergal*, *Dagon*, *Nisroch*, & eorum cognata. Hujus autem discriminis ratio hinc solùm petenda videtur: imagines, *Theraphim* titulo celebratæ, non uni alicui Heroi aut Divo, prout Gentium idola; sed ordini cœlesti, τοῖς *Seraphim* nempe, nullo cum discrimine consecratæ fuerant. (3°.) Constat è *Judic.* 17. 4, 5. *Micham Ephod* & *Theraphim* comparâsse, diu antequam ad *sculptile* & *conflatile* effingendum animum appulisset. Quid verò, nisi quòd *Theraphim*, præ aliis, præsentiæ Angelicæ symbolum, adeóque notam & characterem domûs religioni sacræ peculiarem, habuissent? (4°.) Modò שנות עולמים (utì loquitur Psalmista, *Psal.* 77. 10.) annos antiquorum seculorum in memoriam revocemus, constabit Deum, per frequentem Angelorum apparitionem & oraculorum eorum ministerio traditionem, commercium & consuetudinem cum Sanctissimis mundi Patribus exercuisse. Quo favoris divini pignore in ea usque tempora gaudebant Judæi, quibus Propheta *Zacharias* rebus humanis exemptus erat; nam tum primùm οὐκ ἴσχυον οἱ ἱερεῖς ἰδεῖν οὐκ ἔτι ἐπιφανείας ἀγγέλων, *non potuerint Sacerdotes amplius visiones Angelorum cernere*: utì Author est

Epiphanius in vit. Zachariæ. Ideóque non abſimile eſt vero, Patres illos inſtrumenta quædam, decorâ (prout ſeculi ruditas ferebat) ſpecie ficta, quaſi parvula quædam ſacella & habitacula, hoſpitibus illis cœleſtibus dedicâſſe: vel ut eorum præſentiam indicarent, memoriam celebrarent, vel ut ex iis reſponſa ſua, honeſtâ quâdam ſolennitate, traderentur. Capit hæc opinio fidem aliquam ab exemplo *Jacobi*, qui Angeli ſibi apparentis memoriam, ſtatuæ (quæ proximè abeſt à *Theraphim*) erectione, conſecrâſſe dicitur. *Geneſ.* 28. 18. (5°.) Quamvis *Theraphim* imagines fuiſſe, & in frequentem apud idololatras aliósque uſum veniſſe, apud doctos omnes in confeſſo ſit; ea tamen ab omnibus cujuſcunque ordinis imaginibus, æquè ac *Cherubim*, nomine proprio & expreſſo diſtincta & ſeparata in Scripturis perpetuò reperiamus. Ex. gr. dicitur *Joſiah abſtuliſſe* את התרפים ואת הגלולים *Theraphim & ſimulachra.* 2 *Reg.* 23. 24. prædicit Propheta populum manſurum *ſine* מצבה *ſtatuâ — & ſine Theraphim.* Hoſ. 3. 4. *Michæ* etiam *Theraphim* ſemper ab illius *ſculptili* & *conflatili*, diſertis verbis diſtinguuntur. *Judic. cap.* 17. & c. 18. Textus hiſce, ni fallar, germanus occurrit, 1 *Sam.* 15. 23. כאון והתרפים הפצר, quem ſic transferendum cenſeo, *Et tranſgreſſio ſicut idolum & Theraphim.* Nam vocem און vim illam aliis in locis obtinere nôrunt omnes, qui vitæ aquas ex ipſo fonte haurire ſolent: & ſi eandem ei poteſtatem hoc in textu deferamus, loci ſenſus ſpiritu & emphaſi plenior, & conjunctio כ cum affini *Theraphim* magis concinna & rationi noſtræ conſona, futura eſt; quàm ſi verbum illud, cum interpretum vulgo, de *iniquitate* interpretemur. E quibus omnibus in proclivi eſt colligere

gere, *Theraphim* ſimulachra fuiſſe non minùs uſu quàm nomine à cæteris è mediâ idololatriâ petitis idolis diſtincta, eáque non ad cultum Numini alicui (prout ſimulachra alia) ſed honorem innocuum Angelis per ea deferendum, primitus inſtituta; atque indè nomen ſingulare retuliſſe, ac ſemper retinuiſſe. Atque eâ forſan ratione, ſeri Hebræorum veterum nepotes umbram aliquam hujuſce inter *Theraphim* & imagines alias diſcriminis retinuiſſent, etiam cùm ab honeſtis Patrum ſuorum moribus, Dei veri cultu & primævo *Theraphim* uſu & fine, plurimùm declinâſſent. (6°.) Sententiam *Cl. Grotii* de antiquis *Theraphim*, à noſtrâ haud multò diverſam abire, probant verbâ ſua in *Judic.* 17. *Theraphim eſt vox media, ad bonas malaſque imagines pertinens. Hanc interpretationem ſi ſequamur, dicemus hæc Michæ Theraphim vocari* אלהים i. *Angelos, quia Angelos ſignificabant. S. Hieronymo* etiam hâc in re, leni facilique utimur patre, utì liquet è verbis ſuis, quæ ſuo in loco Lectori reddimus.

Tertiò. *Probabile eſt Angelos præſentia ſuæ teſtimonia circa* Theraphim *præbuiſſe, atque indè veri Numinis cultores, ſeculis antiquiſſimis, quandoque allocutos fuiſſe.* Malè metuò nè Lectores nonnulli, primis ſuis cogitationibus plus æquo tribuentes, mihi talia aſſerenti vánitatis & temeritatis ſummæ labem imprimant, nec me mendácio vel ſpecioſo & probabili fidem accommodare cenſeant. Eos itaque, ut primos illos & (pace ſuâ dictum eſto) malè conſultos animi fervores atq; impetus temperare velim; quò fœliciùs rationes haſce, quibus animum ſic induxi meum, æſtimare valeant.

(1°.) Plurimos veri Numinis cultum profeſſos, ſimulachra, hoc titulo nota, ſummo in loco & honore

habuiſſe liquet; qui tamen idolis aliis omnibus inimicitias indixerint longè maximas. *Theraphim* enim *Labanum* maximi feciſſe conſtat, qui tamen Jehovæ nomen pronâ ſemper & ſubmiſsâ reverentiâ uſurpârit; Eíque ſe omni obſequio devotum ſemel atque iterum ſanctè teſtatus eſt. *Rachel* etiam (quam *duo vel nemo* hactenus inter idololatras poſuêre) tantâ *Theraphim* habendi cupiditate & zelo arſit, quòd ea, etſi furto & mendacio redempta, chara non duxerit. *Michah* inſuper effuſiſſimo in *Theraphim* ſtudio & affectu ferebatur, quod è dictis & factis ſuis in hiſtoriâ memoratis ſatis pateat; eum tamen à ſummâ illâ idololatriæ & perfidiæ in Deum infamiâ, quâ ſtetit hactenus, me ſatis vindicâſſe cenſeo. *Danitarum* etiam animi eâ *Theraphim* habendi cupidine igniti & accenſi fuerint, quòd ea manu factâ armísq; ſumptis eripere non dubitârint: quaſi imaginum earum religio furtum ſuum in virtutis nomen adoptare potuiſſet. A plurimis etiam conceditur, *Iſraelitas*, quamvis inter planè Ethnicos & Idololatras minimè reponendos, *Theraphim* habuiſſe. Imò *Theraphim* in ipsâ *Davidis* aut *Sauli*, & forſan *Abrahami* familiâ, locum & pretium habuiſſe videantur. 1 *Sam.* 19. 13. Quando itaque tot perſonæ, ab omni cultûs alieni ſpecie & odore abhorrentes, tanto ſtudio ſibi *Theraphim* comparârint, eáque affectu religioſo proſecutæ fuerint; haud adeò in facili eſt dicere, quâ mente ità fecerint, niſi quòd *Theraphim* præſentiæ Angelicæ pignora habuerint, atque indè reſponſa de arcanis & futuris (quorum deſiderio ad inſaniam uſq; flagravit mundi ruditas & infantia) quandoque acceperint.

(2°.) *DEUS* olim (ſaltem cùm temporum iniquitas omnem ad Pontificem aditum intercluderet) reſponſa per *Theraphim* dare conſueverat. Cùm enim

Danitæ

Danitæ de *Michæ Theraphim* famâ accepiſſent, ad ejus Sacerdotem (incerti an Deus cœptis ſuis affuturus eſſet) conſilii divini exquirendi gratiâ ſe ſtatim conferunt: *Rogantes eum, ut conſuleret Dominum, ut ſcire poſſent an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Judic. 18. 5. At proculdubio non eò ſtultitiæ deploratæ deſipuiſſent *Danitæ*, ut *Jehovæ* reſponſa è *Theraphim*, & quaſi uvas è ſpinis expectarent, niſi reſponſa eo medio quandoque tradita in ſpem aliquam eos adduxiſſent. Deum autem non niſi per Angelos, è *Theraphim* aut *Urim*, ſuo nomine & vice loquentes, reſponſa olim dediſſe, alibi probaturi ſumus.

(3°.) *Labanem* & *Micham Theraphim* auguſto *Elohim*, i. e. *Deorum* ſuorum titulo decorâſſe legimus, *Geneſ.* 31. 30. *Judic.* 18. 24. Cùm autem eorum animas à nigerrimâ πολυθείας maculâ puras & immunes aſſeruimus, ſuadet ratio ut eos titulum illum, Angelorum tantùm gratiâ, τοῖς *Theraphim* impertire voluiſſe crederemus. Nam *Elohim* antiquiſſimum fuiſſe apud Hebræos Angelorum titulum per varios Scripturæ locos edocti ſumus, viz. *Pſal.* 86. 8. 1 *Sam.* 28. 13. *Zech.* 12. 8. *Job.* 1. 6. *Pſal.* 82. 6. & 89. 6. Quibus in locis Hebræum אלהים, Chaldæus per אנגלי exprimit vel מלאכיא Angelos. Apud LXX etiam vocem eam vocabulum ἄγγελοι non ſemel interpretatur, ut *Pſal.* 97. 7. & alibi. Hi textus eorúmque affines, verbis illis *Origenis* anſam fecêre Εὐρίσκομεν ἀγγέλους διὰ τὸ θεῖος εἶναι & θεοὺς ὀνομαζομένους γραφαῖς. l. 5. *cont. Celſum.* Huc faciunt *Grotii* verba in Mat. 1. 20. *Hebræi ſpiritus iſtos qui inter Deum rerum opificem hominésque ſunt interpoſiti, modò* אלהים *modò* מלאכים *vocant: quorum illud Græcè* θεοὺς, *iſtud* ἀγγέλους *ſignificat. Atque indè eas appellatio-*

nes sumpsit Pythagoras, &c. Cùm autem nec *Laban* nec *Micha*, (quod diximus) neq; ulli [a] alii forsan *Theraphim* cultu divino affecerint; indè conjecturam capere fas est, eos nomen illud imposuisse gratiâ Angelorum, qui in istis *Theraphim* illustria quædam præsentiæ suæ documenta quandoque dederunt. Certè hanc tituli illius rationem Optimè *Grotio* arrisisse, probant verba ejus in Explicat. Decalog. *Ob communem opinionem inclusi Spiritûs divini, Labani, illa quæ modò nominavimus Theraphim, vocantur* אלהים, *Dii Labanis.*

[a] *Utrùm ut Dii colerentur Theraphim, utcunq; Dii dicti, an verò divinationis tantùm instrumenta haberentur, vetus est inter Magistros controversia.* Seld. de Dis Syr. Synt. 1. c. 2.

(4°.) Ex infallibili Scripturarum fide certum habemus, Deum consilia sua per Angelum aliquem, qui personam suam tenuit, sæpius ante Legem enunciâsse: cùm nempe rudiora mundi secula Numen in templis ullis Sibi dicatis, cultu elegante propitiare nondum didicissent. Ideóque verisimile est Angelos, cùm Interpretum divinorum partes agerent, è simulachris quibusdam (quæ Veteres Deo & Nunciis suo nomine agentibus sacra voverant) tanquam parvulis sacellis, respondere solitos: Forsan ut cùm simulachro aliquo tanquam velo obducti essent, infirmi hominum animi oculique ab excellenti præsentiæ Angelicæ majestate & splendore vehementi minùs læderentur. Cùm enim Angelos ex Arcâ parvulâ & angusto Pectoralis duplicati panno responsa quandoque dedisse compertissimum sit, nihil infra ordinis illius sanctissimi dignitatem positum meditor, si eos ex imagine parvulâ, sibi secundùm Deum sacratâ, voces propheticas quandoque edidisse sentiam. Neque est quòd quispiam infame simulachri nomen, opprobriis & maledictis onustum, mihi

mihi in mentem jam revocet: quicquid enim mali aut inhonesti hodie in imaginis sacræ nomine, hominum superstitioni eorúmque animis præjudicio aliquo puerili occupatis, in solidum tribuendum est.

(5°.) Satis è Scripturis, plurimísque Veterum testimoniis, in hoc opusculo ad Lectoris fortasse nauseam sparsim accumulatis, innotescit, Dæmonem per responsa ex imaginibus, specioso *Theraphim* vel *Seraphim* superbientibus nomine, data, populi fidem sæpius fefelliſſe. Suadet autem ratio, ut tutam & frequentem illam, sub amico τῷ *Theraphim* nomine, populum fallendi viam, ex hâc solâ occasione initium petiîſſe crederemus. Nempe *DEO OPT. MAX.* sub prima mundi secula, in more erat, ut, per verba è simulachris, *Theraphim* titulo distinctis, facta, populi animis Numinis præsentis sensum incuteret, eósque rebus in angustis cadentes aut sollicitos erigeret & illuminaret. Cùm itaque Diabolus populum propheticis hisce imagunculis facili fide & affectu adhærere senserat; ut nubem eò densiorem fraudibus suis objiceret, ipse tandem author extitit, ut mystæ sui statuas figuræ consimilis fabricarent; curavit etiam ut iisdem (quantùm simulare datum) divinitatis insitæ insignibus, & recepto Angelorum lucis nomine, inclarescerent. Nempe satis nôrat egregius ille fallendi artifex, rudiorem populum (quorum judicii acies ultra rerum superficiem & nomina vix penetrat) mendaci specie & auspicati nominis omine delusum, *Theraphim* pronâ semper fide & affectu amplexari velle; quanquam nihil ex priſtinâ dignitate præter nominis honesti speciem retinuiſſent. Nec certè verisimile est Diabolum ex imagunculis oracula sua fundere, aut eas ab ordine Angelico denominare voluiſſe; nisi quòd probè nôrat nomen

men *Seraphim*, & imagines eo titulo claras, primam apud populum gratiam tenere; & Se faciliùs populo imponere posse, si nomen illud Angelicum Oraculis suis mendacibus honestâ specie prætenderetur: prout nec adultera moneta *Cæsaris* titulum vultúmque, tam vivis expressum characteribus, ad populum fallendum gerere voluit; nisi quòd aurum & argentum sincerum, tam augustis signata typis, hominum studia & fidem demereri soleant. Huic etiam de primâ *Theraphim* origine conjecturæ succurrit, quòd vix credibile sit populum tantam insaniam insanire potuisse, ut simulachra parvula Angelorum titulo condecorarent, & eorum responsa animo tam securo indè expectarent; nisi quòd Angelos ità olim respondisse, indiciis haud obscuris compertum habuissent; adeóque Dei veritas (ut fieri amat) Diaboli mendaciis & populi erroribus colorem & occasionem aliquam præbuisset.

(6°.) In eandem mecum sententiam concurrunt viri aliqui, haud ultimum inter doctos locum tenentes. Nam *J. Gaffarellus* lib. *inauditarum curiositatum*, ut vocat, cap. 3. opinatur "*Theraphim* figuras fuisse à "*Mose* legislatore permissas, à *Labano* aliísque Ori- "entalibus ante Legem piè usurpatas: quibus medi- "antibus voluntatem suam Deus non rarò patefe- "cit: & *Cherubinorum* & *Seraphinorum* figuras fuisse "generis ejusdem. Sed hujusce dogmatis, tanquam impii & precarii maximè, gratiâ, eum verbis aceto tinctis perstrinxerit *Rivetus*, Exercit. 32. in Genes. Ei tamen sententiæ subscripsit Author quidam Persicus, cui *Hamahalzel* nomen, à *Gaffarello* laudatus, in hæc verba: "Proculdubio, Patriarcharum temporibus "erant imagines vel statuæ quædam mirabiles, per "quas *DEUS* voluntatem suam populo suo patefe- "cit,

"cit. Moris forſan hujuſce antiquiſſimi memoriam altam, ſed ſuperſtitione vitiatam, retinuerunt veteres *Arabes* qui *Angelos & idola, quæ vel à Deo vitâ inſpirari credebant, vel Angelorum ſacella eſſe, ac ab iis animari, Dei filias vocabant*: referente *Cl. Pocockio* in *Abul. Faraj. de Arab. morib.* p. 89. Sed hæc omnia logi proculdubio & ſomnia videbuntur iis, qui tempora antiquiſſima ex præſentis ſeculi moribus & conditione æſtimare ſolent.

Quartò. *In probabilium etiam claſſem referendum cenſeo quòd ſimulachra hæc in Angelorum, quorum ſymbola & quaſi tripodes erant, titulos tandem ſucceſſerint, & à Syris aliisque Chaldaiſmo tinctis Theraphim, loco Seraphim, vulgò appellata fuerint.* In quam quidem ſententiam pedibus eò liberioribus me venire fateor, quia rerum ſignificatarum nomina apud Hebræos antiquiores ipſis earum ſignis non rarò inderentur; & quia ſimulachra in Sancto Sanctorum poſita (Angelorum, ibi præſentium & oracula indè edentium, ſymbola) titulo angelico *Cherubim* inſigniantur. Nec deſunt mihi ſatis honeſta teſtimonia, quibus novitatis odium & invidiam à ſententiâ meâ de primævo *Theraphim* uſu & nominis ratione amoliri poſſim: nempe *Cornelii à Lapide* & *Ludovici de Dieu*, qui ſoli, quantùm ipſe novi, à nominis hujuſce, quod crucem hactenus Grammaticis fixit, origine & imponendi ratione, vix latum unguem aberrârunt; & aliis omnibus, in hoc Argumento laborantibus, lauream meritò præripuerunt. Eorum autem ſententias Lectori integras & verbis ſuis traditas exhibere, (cùm cauſæ meæ lucem & robur juxtà ferant) operæ pretium exiſtimavi. Sic itaque *Cornelium à Lapide* ſententiam ſuam proferentem habeamus, in Hoſ. 3. p. 95. *Suſpicari quis poteſt Theraphim*

phim ortum habere à Cherubim & Seraphim. Cùm enim gentes viderent Judæos tantâ veneratione prosequi Cherubim & Seraphim, tum post fabricam Arcæ & Cherubim per Mosem, tum ante eam; [Nam ante eam, Genes. 31. Rachel dicitur furata Theraphim id est, *idola patris sui: atque ab initio mundi, Cherubim positi erant ad custodiam Paradisi; denique ex traditione Adæ, Noæ & Abrahæ, filii & nepotes eorum ante Mosen cognoscebant & venerabantur angelos Seraphim & Cherubim] Indè Gentiles suspicati sunt hæc esse eorum Numina & Deos tutelares. Unde ipsi pariter suos Lares & Penates, nonnihil immutatâ & corruptâ voce (utì fieri solet, cùm voces è primævâ linguâ in aliam peregrinam transferuntur) pro Seraphim & Cherubim vocâsse videntur Theraphim; præsertim Chaldæi, qui literâ T. gaudent & S. in T. sæpe commutant.* Hisce *Cornelii*, modò adjungamus *Ludovici* verba (quem veritatem fugientem propiùs à tergo premere, facilè crediderim) quicquid de origine *Theraphim* & nominis ratione, fide integrâ & consultâ, dici aut teneri possit, forsan assequamur: sic autem Vir doctissimus sensum suum exprimit, in Genes. 31. 19. *Fortasse Theraphim Angelorum fuerunt imagines, aut Angelis dicatæ. Unde Spiritus Angelicus eas subibat, ac consulentibus oracula per ea edebat. Ex hâc conjecturâ,* תרפים Theraphim *mihi idem esset quod* שרפים Seraphim, *notissimum Angelorum nomen: mutato ex Syrorum more* ש *in* ת. *Constat autem ex hoc loco imagines* תרפים *è Syriâ ortum ducere. Videntur autem ex hoc loco, & 1 Sam. 19. 13. fuisse Dii Penates, qui ad tuendam amplificandámque rem domesticam colerentur.* De quibus Viri Literis plaudentibus nati verbis, illud silere non sustineo, quòd in iis *constantiam* & *modestiam* suam ex æquo requiram:

quiram: *Constantiam* quidem, quòd *Theraphim* in Oraculorum, è quibus Angeli voces fatidicas darent, ordinem assumenda primò senserit; & vix novo spiritu hausto, ea in vilem *Larium* tantùm & *Penatium* classem deturbârit: *Modestiam* verò, quòd *Theraphim* origini Syriacæ, (*Labani* Syri ea usurpantis gratiâ) eâ animi constantiâ & fiduciâ vindicaverit. Si à recentioribus hisce ad antiquiores attollam oculos, duos saltem (ni me oculi falsis ludant imaginibus) partium mearum studiosos videre possim: nempe primò, *D. Hieronymum:* qui locum illum *Hoseæ*, cap. 3. 4. explicans, hæc habet; *Theraphim propriè appellantur* μορφώματα, i. e. *simulachra, quæ nos possumus in præsenti loco, Cherubim & Seraphim — dicere. Cedrenus* etiam historiam *Michæ* referens, pro *Theraphim* scribit *Seraphim.*

Atque hæc ea sunt, quæ (si quid in me sit judicii) de primâ *Theraphim* origine, & nominis illius vexati simulachris ad divinationem factis imponendi ratione, maximâ cum veritatis specie, dicenda sunt. Quibus probandis, operam eò magis sedulam & impensam sumendam censui; non solùm, nè præsentis argumenti rationibus & postulatis deesse viderer; sed quòd plurimùm ad sententiam meam de naturâ & origine *URIM* confirmandam momenti habeant. Si enim *DEUS* ante Legem scriptam, Oracula è *Theraphim*, [simulachris Angelorum titulo & præsentiâ cohonestatis] dederit; nihil causæ est cur oraculum divinum ex imagine, cui *URIM* nomen, traditum, monstri aut figmenti loco habeat consultus quispiam. Utcunq; haud adeò gravatè & molestè (quasi causa conclamata foret) feram ipse, si quis hujusmodi imaginum usum & originem ad idololatras solummodo ablegandum senserit;

ſenſerit; & Dæmones tantùm in iis latitantes candidum Angelorum nomen (ut fucum impoſturis ſuis facerent) ſibi dolo malo arrogâſſe dixerit; atque indè imagines dictas nomen *Theraphim* aut *Seraphim* accepiſſe. Sive enim Dæmonum technis, ſive Angelorum præſentiæ, ℞ *Theraphim* titulum & originem tribuamus, hæc tamen immota & extra litis vias manebunt; Antiquos titulum *Theraphim* vel *Seraphim*, cum reſpectu ad aliquos Angelos, hujuſce generis imaginibus impoſuiſſe, harúmque imaginum loquentium vocem & famam in terram penè omnem, *Chaldæam*, *Syriam*, *Ægyptum*, brevi exiviſſe. Hæc ad primæ objectionis aciem retundendam dixiſſe ſufficiat.

Secundó. Ad rationum mearum vires frangendas objici poſſit, quòd modò *Seraphim* & *Theraphim* vocabula ſint eâ originis & ſignificationis communione ſociata; tantum proculdubio linguæ ſanctæ & nominis primævi [*Seraphim*] ratio & religio apud antiquiſſimos mundi patres valuiſſent, ut id nominis potiùs quàm *Theraphim*, in Chaldaiſmi confiniis ſitum, ſymbolis ſuis Angelicis impertirent. Si enim vis una eadémque utriſque fuerit, cauſam expedire quis poſſit, cur vocabulum, gentiliſmi vitio notatum, voci *Seraphim*, quam puritas & antiquitas ſua plurimùm commendârunt, præferendum ſenſerint?

Reſpondeo. Cùm homines, nomina rebus facturi, vocum ſenſum & uſum inprimis ſpectare ſoleant; modò *Theraphim* eundē cum *Seraphim* ſenſum funderet, & in ſermonem usúmque ſub *Abrahami* aut *Labani* tempora frequens veniret; titulus ille ſtatuis divinationi ſacratis ſat commodè inſcribi poſſet, quamvis iiſdem quibus vox *Seraphim* phaleris [antiquitate, ſanctitate & puritate] non exornatus. Atque hoc ſolo reſponſo

me

me cauſam meam nodo illo impeditam ſatis explicâſſe exiſtimo. Nè tamen eum ſecuiſſe potiùs quàm ſolviſſe videar, occultas nominis hujuſce in locum purioris *Seraphim* aſſumpti rationes ſermone paulo liberiore aperire conabor.

Hoc itaque primò dicendum arbitror: Orientalibus pleriſque omnibus, *Chaldæis*, *Arabibus*, *Syris*, ſolenne erat, in vocibus ab Hebræo deductis, ש & ס in ת vel ט mutare. Hinc pro שב *rediit*, Chaldæi habent תב; pro שלוש *tres* illi תלת ſcribunt; quod Hebræis שד *mamma*, *Chaldæis* תר; ex קשר *ligavit*, *illi* קתר faciunt. Exemplis aliis haud opus eſt, nam *quis neſcit Hebræorum* Schin, *tam apud Chaldæos quàm Arabas in* Thau *permutari frequentiſſimè?* inquit Magiſter inter utroſque, *Schikardus* in *Tarich*, pag. 101. Eundem & apud *Syros* olim literas illas permutandi morem inceſſiſſe, eò credibilius eſt, quòd illi Hebræorum ש cum puncto ſiniſtro non agnoſcant. Gentes etiam alias, Græcos, Latinos, Germanos, literæ hujuſce ſibilantis aurâ minùs delectatas, in illius locum T quandoque ſuffeciſſe, exemplorum meſſe (ſi tanti eſſet) probare poſſem. Ea, ſi palato faciant, Lectori plenâ manu dabit *Voſſius* in *Idololat.* lib. 1. cap. 37. & Tractat. *de literarum permutatione*. Cùm itaque (ut calamum inſtituto reddam operi) litera ש Chaldæorum præcipuè linguis minùs ad guſtum fuerit, eámque in ת uſu frequente permutârint; ſi conjecturæ meæ aleam jacere licuerit, dixerim *Abrahamum*, aut pios quoſdam viros ei neceſſitate aliquâ conjunctos (qui moram diuturnam in *Chaldæâ* traxerant, & leviores aliquas Chaldaiſmi tincturas imbiberant) nomen illud *Theraphim* figuris quibuſdam angelicis tribuiſſe, &, ipſo quaſi uſu ſuo conſecratum, poſteris retinendum tradidiſſe. Nam

nomen

nomen illud cum ipsâ Hebræorum in *Chaldaâ* degentium conditione conspirare, ejúsque imaginem & historiolam quandam exhibere censeatur. Prout enim ii (quibus plurimùm commercii cum Chaldæis à longo tempore interceſſerat) labia ſua dialecto Chaldaicâ nonnihil infeciſſe facilè credantur; dum cultum, linguam, titulum, indolem Hebræorum illæſa retinuerint & intemerata: ità & vox *Theraphim* ſub tenui Chaldaiſmi ſpecie & larvâ, legem, ſenſum & formam vocum Hebraïcarum ſervat, exprimit & imitatur: Hiſce in ſubſidium veniat, quòd *Theraphim* apud nullos locum & honorem reperiîſſe legimus, præter Chaldæos (apud quos *Abrahamus* ſummâ virtutis & ſcientiæ laude diu floruit) & *Labanem*, *Rachelem*, *Michan*, *Danitas & Iſraëlitas*, qui *Abrahamum* affinitate proximâ attigerunt. Utcunque ſi quiſpiam *Theraphim* primos inter Chaldæos natales accepiſſe, & Diabolum (verſutum illum & emunctæ malitiæ ſpiritum) ea Angelorum nomine ad populum fallendum affeciſſe ſentiat; eum *ſenſu ſuo*, modò non regnet, libens *abundare* jubeo.

Secundó. Ii qui nomen *Theraphim* Angelorum ſymbolis primò addidêre, illud larvatum & tenebris quibuſdam circumfuſum certo forſan conſilio propoſuêre: nam imagines omnes quibus cum reſpectu ad Angelos appellatio facta eſt, nominibus auguſtâ quâdam caligine velatis, in ſacro codice innoteſcunt. Nempe imagines quædam in Templi adytis & Pectoralis duplo poſitæ fuerunt, quæ ab Angelis (quod occaſione natâ probabimus) nomina *Chetubim* & *Urim* mutuatæ ſunt: quorum nominum rationes tam craſſis & perplexis tenebris involutæ ſunt, quòd plurimorum perſpicacium virorum oculos hactenus fefellerint, nec quicquam

quam de iis ſupra ingenii ſui luſus & conjecturas precarias proferre valuerint.

Unica jam ſupereſt Objectio, quæ cauſam meam minaci vultu intuetur; ſic autem ſe habet. Neutiquam credibile eſt *URIM* & *THERAPHIM* poteſtatis & ſignificationis conſimilis vocabula eſſe, cùm ratio nulla occurrat cur *DEUS* vocabulum *Theraphim*, cui longa dies honorem & gratiam apud populum dederat, abdicârit; & novum *Urim*, vocem (ni mea fallant) planè ſynonymam ſurrogârit.

Imò verò rationes hujuſce mutationis nec paucæ erant nec contemnendæ: eas autem Capite quinto, utpote loco aptiore, redditurí ſumus.

Sect. 10.

Probatur hypotheſis rationum decade.

CUm ſententiam tot Scripturæ locis & teſtimoniis firmatam, cum ſeculi Moſaici ingenio & aliarum inſtitutionum ceremonialium origine, tanto cum lepore conſpirantem amplecter; à nigrâ creduli nimis & rerum novarum ſtudioſi notâ mihi non magnopere metuendum arbitror. Quoniam tamen facilé dici poſſit me Scripturas, *Philonem*, aliósque in ſenſum partésque meas torquere, & alia quæ dixi omnia, tanquam luſus imaginationis meæ in re ſacrâ & ſeriâ laſcivientis, rejici; fidens aſſero eam eſſe hypotheſin meam, quòd ſi Ratio, nullis præjudiciis vitiata, illam abſolutè & nullo penè reſpectu ad Scripturas in medium allatas vel ſtatûs Iſraëlitici poſtulata habito intueatur; eam fide dignam, eíque, ante alias omnes de hoc Oraculo opiniones, palmam deferendam eſſe judicabit. Nam,

Primó.

Primó. Hypotheſis hæc vim nullam Scripturis affert, ſed mentibus noſtris rationes faciles, expeditas miniméque coactas ſuggerit locorum omnium quibus tenuiſſima Oraculi hujuſce occurrit mentio. Nam liceat mihi hypotheſin meam tanquam datam & conceſſam ponere, & rationes ſtatim in digitis habebo duplicati pectoralis, phraſeωs illius *reſpondere per Urim*, conſensûs *Urim* cum *Theraphim*, Usûs verborum illorum, pluralium tantùm, *Urim* & *Thummim*. Lectori etiam ſpondeo & recipio me nominum eorum, juxta veram & germanam eorum ſignificationem, rationes obſcuras hactenus facilè redditurum. Et certè, vel hoc ſolo nomine punctum omne ferre digna eſt: nam ſi nos, inter crypticas Naturæ methodos & rerum cauſas, dubii hærentes; illi hypotheſi philoſophicæ, ut maximè probabili, accedere conſultius ducimus, quæ faciliorem colit cum Naturæ phænomenis conſenſum, & effectorum naturalium cauſas fœliciùs explicat; quidni & traditam de hoc Oraculo hypotheſin ante alias habeamus, quæ cum Scripturis omnibus de eo loquentibus, meliùs conſentit, earúmque interpretationes ingerit, molliter & ſine ſalebris fluentes?

Secundó. Hypotheſis nulla eſt cui Gentium monumenta tam luculentum perhibent teſtimonium, & parem veritatis ſpeciem inducunt. Neque hæc levioris momenti ratio: *haud* enim *imprudens fuerit*, inquit [a] Vir doctiſſimus, *cùm de vetere Judæorum conſuetudine oboritur quæſtio, & ipſorum hiſtoriæ lucem idoneam afferre nequeant; tum Gentium conſulere monumenta, & ex eorum ritibus conjectari de Hebræorum moribus.* Quæ ſanè verba non rudes ſunt & ſine mente ſoni:

[a] *Sherlog. Antiloq. in Cantic. 11. Sect. 5.*

soni: maximus enim ab ultimâ annalium memoriâ consensus, quoad præcipuos religionis ritus & usus inter Hraëlitas & Ethnicos orientales intercessit. Si itaque seculorum historias, varia divinationum genera posteris referentes, evolvamus, nusquam evanida Oraculi nostri vestigia reperire possimus, nisi Hebræorum *Urim* in propheticis Chaldæorum & Syrorum *Theraphim* expressum, mutatis tantùm mutandis, inveniamus. Unde Hebraïcus ille futura cognoscendi modus, usus planè anomalus evadet, cujus solius imaginem & umbram gentes exteræ in sacris suis nullam retinuêre.

Tertió. Ratum certúmque habeamus, responsa per *Urim* reddita, non per splendorem solito jucundiorem, vel nutus & signa quædam arte & mysterio plena; sed vocem formatam & captu facilem, prout responsa de *Cherubim* data, Pontifici innotuisse. Nullam hac de re dubitandi locum superesse sinunt Scripturæ supra laudatæ verba: nec certè ulla dubitandi ratio, si Scriptura tacuisset, subesse potuerit. Cùm enim *Urim* eo fine institutum fuerit, ut *Israëlitæ*, cùm res obscuræ & ancipitis aleæ eos anxios detinerent, indè Dei consilium & lumen securi peterent; quis credat Deum servos suos, suspenso & sollicito animo rerum eventus scire desiderantes, iterum torquere voluisse per ciphras & signa tam obscura & flexuosa, quòd Oraculo novo ad ea interpretanda postularent? Deinde, cùm verba communia, quæ sensum suum quasi in fronte ferunt, magis fidi & certi sint mentis indices & rerum notæ; suadet ratio, suadet religio ut credamus *DEUM* non nisi optimis mentis suæ nunciis uti voluisse. Præterea, legimus 1 *Sam.* 14. 36, 37, 38. Sacerdotem *Saüli* jussu *DEUM* medio *Ephode* consuluisse, & *Saulum*, Dei silentium insolitum iniquè ferentem, pri-

marios populi in hæc verba allocutum fuisse: *Accedite huc omnes, & scitote & videte in quo sit peccatum hoc hodie.* Quæ *Sauli* verba *Josephus* in hunc modum παραφράζει, lib. 6. Antiq. Jud. cap. 7. Οὐ δίχα αἰτίας πυνθανομένοις ἡμῖν φωνὴν οὐ δίδωσιν ὁ Θεὸς, ὃς πρότερον αὐτοῖς προεμένουσε πάντα, καὶ μηδ' ἐπερωτῶσιν ἐφθέγγε λέγων· Ἀλλ' ἔστι τι λανθάνον ἐξ ἡμῶν ἁμάρτημα πρὸς αὐτὸν αἴτιον τῆς σιωπῆς. i. e. *Non sine causâ, interrogantibus nobis VOCEM non ediderit DEUS; qui antea nobis omnia significare solitus est, & nihil sciscitantes celare LOQUENS; est autem latens aliquod in nobis peccatum in Illum, hujusce silentii causa.* Quibus verbis non semel apertè asserit *Josephus*, responsum, non per signum aliquod involucris plenum, sed vocem vivam & quæ faciles explicatus haberet, Sacerdoti traditum. Non parùm etiam nervorum ad nostra firmanda habeat textus ille *Zachariæ*, cap. 10. 2. *Nam Theraphim locuta sunt vanitatem.* Cui textui commentarii loco esse possunt verba *R. Salomon.* in 2 Reg. 23. 24. תרפים צלמים שמדברים על ידי כשפים i. e. *Theraphim fuerunt imagines quæ loquebantur per artes magicas.* Cùm autem sortes è *Theraphim*, vocibus, non signis, elatæ fuerint; nisi & *DEUS* effata sua verbis simplicibus effudisset, Gentium *Theraphim*, Majestate & perspicuitate *DEI Urim* superâssent. Cùm itaque Numini visum esset voce articulatâ è Pectorali datâ Oraculum suum scitatum venientibus respondere; à difficillimo profectò qui mihi contingere possit Lectore quærere non dubitem, quodnam instrumentum ad vocem illam formandam magìs aptum & decorum, quàm simulachrum parvulum paululùm excavatum, & formam humanam referens, excogitari possit?

Hîc

Hîc à me quæret fortaſſe non nemo plus æquo importunus & curioſus, an *DEUS* voce elatâ vel ſubmiſsâ Pontificem oraculum expectantem allocutus fuerit? At illi quæſito, niſi timidè & obnoxiè, reſpondere, parùm conſiderati eſſe arbitror: quid enim certi in re tantæ vetuſtatis percipere quis valeat, penè omni literarum quà ſacrarum quà profanarum luce deſtitutus? Veriſimile autem habeo, *DEUM* voce paulò ſubmiſſiore & quæ Regem decet, mentem ſuam interpretari ſolitum. Nam Pontifici dignitatem ſummam adderet, cùm *DEUS* eum unum interiore familiaritate dignari, & quaſi in aurem dicere videretur. Deinde, Deum olim oracula ſua, tanquam tot myſteria & ſacramenta, voce tenui vel, quod parùm abeſt, remotis arbitris, admiſſionis proximæ famulis ſæpius tradidiſſe, è Scripturis colligamus. Nam *Jobus*, cùm Oraculi divini auditor factus eſſet, קול דממה *vocem ſilentii*, i. e. tenuem & ſilentio affinem, uſe accepiſſe aſſerit. Cap. 4. 16. In quem locum ſic annotavit Mercerus, *Ità olim oracula edebat Dominus, (quod & Gentes in ſuo Apolline celebrant) voce tacitâ.* Simili medio, nempe קול דממה דקה voce quietâ vel auræ lenioris ſibilo, *Elijah DEI* voluntatem & præſentiam cognoviſſe dicitur. 1. *Reg.* 19. 12. Huic ſententiæ ſuppetias ferat ipſe Pectoralis titulus חשן, quod nonnulli à חשה *ſilere* nomen habuiſſe ſentiunt; quaſi ſedes eſſet Oraculi quod per קול דממה *vocem ſilentii* frequentiùs reſponderet. Sed obliquandi ſinus.

Quartò. *DEUM* oracula ſua per vocem de cœlo, miſſionem Angeli, per ſomnia & viſiones, viris pietate egregiis ante Legem datam conceſſiſſe, omnes extra dubium ponunt: cùm tamen de reſponſis per *Urim* datis, prout & de operoſis Legis ceremoniis, ante

Moſis ſeculum, altum in Scripturis ſilentium ſit. Non immeritò itaque ſuſpicari quis poſſit, aliquos ſeculi ejuſdem mores, cùm ceremoniis tum reſponſis illis anſam & initium feciſſe.

Quintò. Sat liquet Deum vanitati *Iſraëlitarum* invincibili dediſſe ſomnia, vates, [a] omina, ſortes, viſiones, monita per Genium vel Angelum, [b] oracula ex adytis, inſtinctum divinum, voces in aëre formatas, & penè omnes occulta cognoſcendi modos, qui apud Ethnicos invaluêre; ſi demas inhoneſtas illas & impoſturâ plenas, augurium, ῥαβδομαντείαν, necromantiam, aliásque conſimilis farinæ divinationis ſpecies. Cùm itaque alia penè omnia revelationum genera Iſraëlitis & Gentilibus communia fuerint, inter mira maximè non immeritò reponi poſſet, ſi ſolis Gentium *Theraphim*, (quæ nominis ſui celebritate implêrant omnia) nihil in toto divinationum Judaicarum catalogo ſimile daretur & parallelum. Quid enim in causâ eſſet, quòd *DEUS* curioſitatis Judaicæ pruritum tam variis divinationum generibus ſcalperet, cùm præſertim vox ex adytis vel prophetia ſola aut ſomnium, ſatis cæterorum omnium vices implere poterat; niſi quòd Diabolus olim per varia illa arcana cognoſcendi media vulgi animos novitatis avidos demulcere ſoleret & ineſcare? ideóque *DEUS* ea omnia Judæis ſupra fidem moroſis dederit, nè ſub imperio ſuo quicquam, quod in felicitatis parte numerabant, deſiderare viderentur. Quidni itaque ſentiamus Deum, ratione ſimili permotum, *Urim* loco *Theraphim* (quorum ingens amor & deſiderium imis eorum ſenſibus infixum hæſerat) *Iſraëlitis* conceſſiſſe?

[a] *Vid. Diſſert. de prodig. c. 3. Sect. 1. Edit. 2.*

[b] *— Cortinâq; reddidit imo Hanc adyto vocem — Ovid. Met. l. 15.*

Sextò.

Sextó. Cùm *Iſraëlitæ* incredibili futura cognoſcendi, pro temporum [a] antiquorum genio, tenerentur, iis Oracula de proprio deeſſe noluit benignum Numen: nè ὅτι τὰ τῶν ἐθνῶν μαντεῖα καὶ χρησήρια *ad Gentium Oracula & vaticinia* confugeret curioſum genus: utì rationem reddit *Origines*, *l.* 1. *Cont. Celſ. p.* 28. Cùm itaque gentes, mediis imagunculis Deorum præſentiâ animatis, oracula non rarò acceperint; nobis facilè perſuadeamus *DEUM* populo ſuo (*Iſraëlitis* nomine ſed re barbaris) oracula ſimul & uſitatum ea accipiendi modum pari facilitate indulſiſſe. Quid enim rem ipſam gentis iſtius pervicaciæ & infantiæ concedens, rei modum perpetuò denegârit? præſertim cùm *Iſraëlitæ* ſummâ olim admiratione defixi & voluptate perfuſi proculdubio hærerent, cùm Numinis alloquio ex imaginis parvulæ anguſtiis accepto fruerentur: adeóque ad oracula recepta & recipiendi modum pari affectûs & deſiderii calore moviſſe cenſeantur.

[a] *Vid. Lucian. Περὶ ἀσρολογ.*

Septimó. Veriſimile eſt rituum Moſaicorum partem multo maximam ex hoc triplici fonte dimanâſſe. (1°.) E moribus quibuſdam religioſis, quibus Patriarcharum exempla & antiquitatis ſupremæ canities reverentiam conciliârunt. Nam ritus primitias *DEO* conſecrandi, altaria [a] titulóſque in Illius honorem erigendi, ea [b] unguenti effuſione dedicandi, & forſan mos ille [c] epulas ſacras ex immolati reliquiis inſtruendi, & conſimiles alii, è Patrum antiquorum moribus in Filiorum leges tranſiiſſe videntur. (2°.) Quidam ritus & leges Moſaicæ è malis ſeculi moribus, prout bonæ leges ſolent, naſcebantur. Cùm

[a] *Gen.* 28. 18.
[b] *Num.* 7. 88.
[c] *Exod.* 5. 1. 3. *Deut.* 27. 7.

enim *Israëlitarum* mores, post curvitatem diuturnam & perversam adeò, ad rectum duci, nisi in extremum contrarium flectendo, non potuerint; leges ritúsque sancivit Deus cum moribus olim receptis è diametro pugnantes. (3°.) Alii originem petiêre è consuetudine aliquâ quæ apud *Ægyptios* aliósque è vicino populos inveteravit: quam DEUS penè integram *Israëlitis* reservavit, ut eorum animos sibi conciliaret, qui Ethnicorum moribus ingenia sua penitus immiscuissent.

Cùm itaque aliqui seculi præsentis mores, vel honesti vel pravi vel medii, legum Mosaicarum parti potiori ortum & initium dederint; quidni & insignem illum Deum per *Urim* sciscitandi ritum, à more aliquo seculi Mosaici ansam accepisse crederemus? nam rationi minimè conveniens est, ut ritum hunc cæteris omnibus divisum penitus, & nullâ originis similitudine iis devinctum esse statuamus. Ideóque animum sæpius mirari subiit, quî factum sit, quòd tot Scriptores eximiè docti, institutorum ritualium rationes dicturi, ad consuetudinem aliquam seculi vetustissimi, ceu primam eorum occasionem, animum oculósque prudentes referant; & latentes legum ritumque aliorum causas certâ quâdam scientiæ clave reserandas doceant: interea verò eos in cognitionem אורים *Urim* & *Thummim*, eâdem communi cynosurâ deducendos esse, nè per somnium quidem cogitâsse videantur. Nam de eorum origine & naturâ sermonem adornantes, conjecturas tantùm vagas, debiles, & è cæco quodam imaginationum fortuitarum concursu oriundas, proferunt. Nil autem firmi video ipse, cur *Urim* & *Thummim* non ab eâdem, quâ & cætera instituta Mosaica, stirpe pullulâsse, eáq; (ad instar *Ismaëlis*) tabernacula sua seorsum, & quasi è regione fratrum suorum, fixisse censeamus:

ſeamus: adeóque *DEUM* uſus quidem alios certâ quâdam ratione, *Urim* autem & *Thummim* pro arbitrio inſtituiſſe.

Non opus eſt ut in hoc Argumento pluribus Lectorem teneam: nam parùm dubito, quin ſi cauſam meam ad illius rationem & arbitrium referam, *URIM*, prout pleraque alia Legis inſtituta, è temporum, quibus olim utebantur *Iſraëlitæ*, more aliquo honeſto vel medio effluxiſſe judicaverit. Cùm itaque *Theraphim* Patriarchæ, vel Chaldæi, vel Ægyptii, vel Syri, (nam primam eorum originem aſſignare, hariolari eſt) ad fata & occulta ſcienda ſæpius uſurparent; & illi Judæis aut naturâ & ſanguine conjuncti eſſent, aut loca illis vicina colerent; ſuadet ratio ut Judæorum *URIM*, mutatis nomine & quibuſdam inter conſulendum ceremoniis, à Veterum *Theraphim* uſu ortum habuiſſe aſſeramus. Si enim ſacra omnia (quorum memoria nondùm penitus deleta eſt) quæ Gentium olim religionem impleverant, excutiamus; nullum præter *Theraphim* invenire licet, quod *Urim* eâ nominis, muneris, & figuræ conformitate exprimit & imitatur. Neque ad argumenti hujuſce nervos elidendos dici queat, *DEUM* per *Urim* peſſimum aliquem ſeculi morem ſuſtuliſſe potiùs quàm veterem paulò caſtigatiorem tolerâſſe; nam ut morem illum fingat, ingenium maximè pœticum plurimùm laborabit.

Octavó. Iis quæ proximè dixi, & proinde toti Argumento aliqualem veri colorem dabit legis de *URIM* latæ mira brevitas & vix ulla cum contextu cohærentia. Cùm enim verba plurima & curioſa (ſi fas dicere) de ſacris aliis ritè procurandis feciſſet *DEUS*, Exod. 28. *Urim* curſim & leviter pertranſit, dicens, *Et in Pectorali Judicii pones Urim & Thummim.* Quòd

autem *DEUS* preſsè & obſcurè adeò locutus ſit, huic imprimis cauſæ tribuendum videtur: De re illâ dicturus erat, cujus uſum & formam *Moſes* & *Iſraëlitæ* tam probè tenuêre, quòd ſupra locum quem illi dari voluit, quicquam monere, minùs ex uſu futurum nôrat. Nam ſummum Legiſlatorem, quaſi in hæc verba locutum, intelligendum exiſtimo. "Novi vobis in more eſſe "ſimulachra quædam, quibus *Theraphim* & *Serapis* "nomen, in ædibus religioni datis collocare, & ab iis "oracula in dubiis expectare; & hujuſmodi imagini- "bus fruendi deſiderium intimis populi medullis fixum "inſidere. Neque Ego nova omnia, populi moribus "& ſtudiis adverſa, jam meditor: vetera omnia eo- "rum ruditati præter mores vitio aliquo infames facilè "daturus ſum: neque per me ſtabit quo minùs oracu- "lis (quibus æquo animo carere non poſſunt) iiſque "per imaginem fatidicam, pro ſeculi more, traditis, "etiamnum gaudeant. Hæc tantùm cures velim, ut "novo *URIM* nomine de cætero innoteſcat, & in "Pectoralis duplo ponatur; nè cuivis è mediâ plebe "eam aſpicere liceat, aut illius ſanctitatem ineptis "quæſtiunculis imminuere & violare.

Nonó. Nôrunt omnes, niſi quibus Scriptura funditus ignota, *DEUM* imagines quaſdam, *Cherubim* titulum ferentes, in Tabernaculo & Templo poſuiſſe: atque indè ſententiam ſuam, ſi quid fortè in controverſiam veniſſet, medio Angelorum miniſterio protuliſse. Quidni itaque *DEUM* imaginem unam ſaltem, *Seraphim* vel *Theraphim* dictam, in Pectorali collocâſse, atque indè etiam reſponſa, per vicariam Angeli manum, in regni arduis dediſſe ſentiamus? Cùm enim hæc duo nomina, *Cherubim* & *Seraphim*, vel *Theraphim* (ſunt enim idem vocabulum) Angelis, ad

ordines

ordines (utì plurimis viſum) diſtinctos innuendos, ante [a] multa ſecula imponerentur; Rationi congruum eſt ut exiſtimemus *DEUM*, per oracula de ſimulachris tum hoc tum illo titulo angelico decoratis edita, honorem Angelis utriuſque ordinis & nominis deferre voluiſſe. Nec argumentum hoc inter ingenii mei (quod ſentio quàm ſit exiguum) luſus & inconſultos impetus numerari debeat; cùm id egiſſe videatur *DEUS OPT. MAX.* ut quicquid ornatûs & elegantiæ Tabernaculo aut Templo dederat, *Iſraëlitæ* in pontificis ſui cultu, tanquam in ſpeculo vel imagine parvulâ, reflexum denuò contemplarentur. *Notandum enim* (ut *Grotii* verbis utar in Exod. 28. 4.) *Pontificis Summi ornamenta fuiſſe σύσοιχα templi ornamentis: colores quatuor iidem; ſeptem veſtimenta, ſi laminam annumeres, pro ſeptem lychnis; duodecim gemmæ pro duodecim panibus; Interula Ephodis pro velo & ſex cortinis.* Pontificem etiam Oraculo ornatum voluit *DEUS*, quod Oraculo Tabernaculi ex adverſo reſponderet. Suadet itaque diſpenſationis hujuſce ratio, ut ſentiamus *DEUM* curâſſe, ut Oraculi Sacerdotalis reſponſa per imaginem, cui olim *Seraphim* nomen, in Pectoralis duplo reconditam, traderentur: quò Pontificis Oraculum eò concinnius Oraculi in Tabernaculo & Templo ſimilitudinem exhiberet; ubi *DEI* reſponſa de medio imaginum grandiorum, quæ velo tegebantur & quibus *Cherubim* titulus, prodiêre.

[a] *Ezech.* 10. 19. *Iſ.* 6. 2.

Ultimò. Hypotheſis mea (ut multa paucis compingam) nihil continet notionibus mentis liberæ & idolis vitæ communis non obſeſsæ diſſonum. Nullis ad placitum fictis miraculis, nè ruinam ſæpius faciat, tanquam tot fulcris precariis indiget. Nihil à *DEI* ſanctitate

ctitate & ſapientiâ, Oraculi divini dignitate, vel populi Iſraëlitici conditione alienum continet. Non *DEUM* aut Angelos rebus exiguis adfuiſſe dicit, pluſquam hypotheſes aliæ, aut Oraculi à *DEO* inſtituti ratio & neceſſitas poſtulârunt. Reſponſi reddendi rationem infert explicatam, ſimplicem & compendii plenam. Dicam verbo: aſſerit tantùm, *DEUM* è Pectorali voce formatâ reſpondiſſe, mediante ſimulachro præſentiâ Angelicâ animato, & in hominis forſan ſpeciem efficto: utpote organo, quo nullum, ad vocem formandam vel præſentiam illam indicandam, magis aptum & decorum fingi poteſt.

Sect. II.

Objectiones variæ ſolvuntur.

CUm ſententiam meam nemo hactenus è doctorum Senatu, quod ſciam, vel oppugnatione vel defenſione juſtâ dignam duxerit; neceſſe habeo ut ipſe Actoris ſimul & Rei perſonam capiam, atque ea argumenta in me ſuſcipiam diluenda, quæ mihi ſaltem cauſam meam maximè premere videntur.

Argumenta verò contra partes noſtras militantia in aciem duplicem digeramus. Nam ex iis quædam ima ſententiæ noſtræ fundamenta petunt, & quaſi cuniculos agunt; alia in illam ipſam viribus infeſtis ruunt, eíque ruinam magis aperto Marte minitantur.

Prioris aciei principia non immeritò ducat hoc argumentum: ſæpius à me dictum eſt *Urim* in vicem veniſſe τῶν *Theraphim*, id eſt imaginum, è quibus reſponſa, oraculorum fidem & ſanctitatem præferentia, veteres ſubinde habuêre. At è gentium monumentis non adeò conſtat, iſtiuſmodi imagines garrulas, de quibus

quibus mihi tam frequens ſermo, uſquam gentium extitiſſe. Idolorum quidem vates reſponſa, illis qui Deorum limina ſolliciti adiêre, ſæpius dediſſe; & iis, ad ludendum populum, oraculorum ab idolis receptorum ſpeciem titulúmque feciſſe, minimè diffitendum: ſed idola ipſa, quamvis ora iis non defuerint, interrogantibus unquam locuta fuiſſe, fidem haud adeò certam faciunt antiquorum paginæ. Conſuluêre Ethnici *Apollinem* Delphicum, *Apollo* verò oraculum edidit non per os idoli ſed vatem *Pythiam*. *Alexander M.* Jovem Ammonem conſultum ivit, cujus ſtatua plurimis ceremoniis, oraculi impetrandi gratiâ, honorata eſt: oraculum autem accepit non à ſtatuâ ſed à vate. Neque ſententia adverſa fidem apud conſultos habitura eſt, ob textum illum *Zachariæ*, Cap. 10. 2. *Theraphim* vel imagines *locuta ſunt vanitatem:* nam locum eum Judæi omnes & Chriſtiani non pauci, figuratè tantùm [de idolorum ſcilicet prophetis, Ariolis, Aſtrologis, ſomniorum Interpretibus, aliísque ejuſdem familiæ nugivendulis] intelligendum arbitrantur.

Ut huic objectioni reſponſum adaptemus, minimè neceſſe eſt ut vivos ungues rodamus. Nam Diabolus, cùm idololatria jam altas radices egiſſet, haud frequentiùs forſan per ejus *Theraphim* locutus fuerit, quàm DEUS per ejus *Urim*, cùm radicitus penè evulſa eſſet è Judæorum animis. Dæmonem verò, ſub idololatriæ præſertim primordia, λόγια ψεύδους per idola effudiſſe, ut mundi juventutem nondum conſilio & ratione firmatam in eorum cultum pelliceret; iis teſtimoniis probari poteſt, quibus qui nolit credere, non rationem fidei ſuæ menſuram ſtatuit, ſed ſenſum. Profectò, vox tonitrûs vix ſuperat hiſtoriæ, hâc de re quovis ſæculo teſtantis, vocem. Nam de imaginibus

hiſce

hiſce Dæmonum intus latitantium voces referentibus, præter eos quos Sect. 2. & alibi paſſim, laudamus, teſtimonium afferunt *Tertullianus in Apolog. c. 21. Euſebius l. 5. de Præparat. Evang. c. 2. Athanaſ. in Orat. contra idola. Athenagoras in legat. pro Chriſtianis p. 30. edit. Pariſ. S. Auguſt. l. 8. de Civit. Dei. cap. 23. Juſt. Mart. in Quæſt. & Reſp. n. 24.* [a] *Macrob. in Satur. l. 1. c. 3. Maimonid. in Mor. Nevoc. P. 3. c. 29. Chriſtoph. Caſtrus lib. 2. de vaticin. c. 11, 12. Iſaac Maronit. apud Kircher. in Oedip. Tom. 1. p. 257. D. Pocock. in Abul. Faraj. de Arab. Morib. p. 89. 95. & 142. Grot. in not. ad Apocalyp. c. 13. 15. & in Explicat. Decal. p. 32. fol. Medus noſter pag. 779. edit. noviſ. D. Hammondus & Authores ab eo citati in Pſal. 115. n. b. Theoph. Spizel. de re literar. Sinenſium, Sect. 10.* Teſtes alios taceo, nè plura nomina Lectori tædium afferant. Hiſce omnibus fidem demere, hominis ſolius eſt, qui contradictionis ſtudio penè inſanit; vel qui vanitatis ſuæ ſibi conſcius, cæteros pede ſuo metitur, nec ullos inveniri ſobrios, cordatos & fide dignos arbitratur.

[a] *Videmus apud Antium promoveri ſimulachra ad danda reſponſa.*

Nè verò teſtimoniis tantùm humanis niti videar, teſtium meorum albo *Zachariam* deleri non patiar: cùm in illius textu, *imagines vanitatem loquentes* ab omnibus vanitatum doctoribus & idolorum vatibus, verbis expreſſis diſtinguantur. Nam ſic ſe habet textus integer; *Theraphim locuta ſunt vanitatem, Divini viderunt mendacium, & ſomniantes rem vanam narraverunt.* Quibus verbis ut hoc obiter moneam, tres præcipuos divinandi modos, [*per Theraphim, per Divinos, per ſomnia,*] qui apud gentes olim in uſu & pretio erant, tribus aliis apud Hebræos ex adverſo reſpondentes

ſpondentes obſervare liceat: eos autem verba illa de *Saulo* dicta enumerant, 1 *Sam.* 28. 6. *DEUS non reſpondit ei vel per Urim, vel per Prophetas, vel per ſomnia.*

Interea loci haud invitus concedo, eos qui hujuſmodi idola conſulendi animo adirent, reſponſa ab eorum vatibus proximò & immediatè plurimùm tuliſſe: quò forſan honori vatis ſimul & idoli, profanum vulgus procul arcentis, proſpectum eſſet. Neque hæc conceſſio rebus meis quicquam apportat mali: nam & apud Hebræos, cùm populus conſilium à Deo per *URIM* quæreret, certum eſt interrogandi facultatem Pontifici non plebi datam fuiſſe; & populum oracula à Pontificis (prout & reve'ationes alias à Prophetarum) fide ſæpius probatâ, fraudis omnis ſecurum, accepiſſe: prout Scriptura haud obſcurè indicat, *Num.* 27. 21. *Judic.* 18. 5, 6. 1 *Sam.* 23. 9. E quâ quidem convenientiâ תרפים *Theraphim* & *Urim* in tam inſignis notæ circumſtantiâ, de eorum naturis ſimillimis conjecturam ſpecioſam capiamus.

Secundó. In adverſum etiam dici poſſit, quòd ſacra monumenta nos certos faciant, uſum תרפים *Theraphim* vel ipſo *Labani* ſeculo, cùm ſuperſtitio in cunis adhuc vagiret, increbuiſſe; eáque plurimos ingenii & nominis non mali viros, tanquam Angelorum ſymbola & primi ordinis ſacra, æſtimâſſe. Ideóque vero prorſus diſſimile eſt, *Iſraëlitas* in *Ægypto* agentes imaginum earum propheticarum uſum & amorem primò imbibiſſe, iiſque tam tenaci conſtantiâ adhæſiſſe; quòd neceſſe habuerit *DEUS* earum loco *Urim*, rem veterem ſub nominis novi larvâ, populi ruditati indulgere. Rationi & Hebraïcæ vocis *Theraphim* origini magis conſentaneum eſt, ut ea cum *Iſraëlitis* ipſis in

Ægyptum

Ægyptum deſcendiſſe, & inter alia, à primis uſque gentis patribus longo uſu recepta, in ſacrorum Moſaicorum locum & dignitatem aſſumpta ſtatuamus.

Reſpondeo. Difficile eſt nobis in tantâ vetuſtatis caligine poſitis, & à Patriarcharum ſeculo tam longè diſſitis, eorum mores religioſos tam clarè & diſtinctè percipere, ut de primâ τῶν *Theraphim* origine, vel aliorum rituum Moſaicorum occaſione, quicquam audacter & quaſi ex cathedrâ determinare valeamus. Id unum tamen in certorum numero habere non dubitem, quòd ſcilicet Objectio allata cauſam meam non multùm premat. Si enim *Jacobi* filii τῶν *Theraphim* uſum (cùm nondum à Diaboli præſtigiis labem & infamiam hauſerant) à Patribus ſuis traditum acceperint, eúmque unà cum poſteris ſuis in *Ægypto* propagârint; animum eò faciliùs inducat quiſpiam ut credat *DEUM* hujuſmodi imaginum propheticarum uſum craſſo illi & obfirmato populo conceſſiſſe; utpote quibus non tantùm annorum plurimorum uſus, ſacra futurum cognoſcendi fames, ſed & Majorum ſuorum pietas & exemplum affectus ſuos devinctos tenuiſſent. Si verò *Ægyptii* imaginum vaticinarum uſum & cultum ab antiquiſſimis illis ſuperſtitionis & idololatriæ magiſtris, *Chaldæis* & *Syris*, mutato paululùm nomine, acceperint; facilè fieri potuit ut *Iſraëlitæ*, qui *Ægypti* cœlum & mores ex æquo hauſerant, iſtiuſmodi imagines fide cæcâ conſulerent & affectu impotente complecterentur. Ideóque *Biblicarum Antiquit. Author* ſatis ad veri ſpeciem ornavit fabulam, cùm *Iſraëlitas Ægypto* nuper egreſſos, peccata ſua hiſce verbis confitentes introduxit; *Nos voluimus interrogare per dæmones idolorum, ſi manifeſtè annunciarent*, &c.

Tertiò.

Tertió. Ad dictorum fidem labefactandam objici etiam possit, quòd non constet *Ægyptios* illos quibus cum *Israëlitis* tot annorum usus intercesserat, *Chaldæorum* & *Syrorum* more, Numinis alloquia è parvulis idolis expectâsse aut accepisse. Quod enim ad *Serapes* attinet, icunculas illis quibus virtutem vaticinam vulgi fides tribuebat; sat liquet *Ægyptios*, tum primùm, cùm ad ultimam superstitionis lineam pervenissent, eos loco aliquo habuisse. Nam *Serapis*, unde nomen traxêre, Deus erat novus & post multa à *Mose* secula in Numinum suorum album relatus. Ità nos docet, primus ille inter Reip. literariæ proceres, *Jos. Scaliger*, Animadv. in Euseb. Chronolog. p. 131. *Sarapis*, inquit ibi, *non est Deus origine Ægyptius sed Sinopensis*, χθὲς καὶ πρώην *in Alexandriam civitatem tanquam inquilinus receptus*. Et post pauca, *Sarapis non erat* Αἰγυπτίων Θεὸς πάτριος sed ὀπίσθετος: atque huic sententiæ non parùm firmitatis conciliavit, additis *Epiphanii* & *Theophili ad Autolycum* testimoniis. Unde pateat me sententiæ meæ fundamentum in arenâ posuisse, cùm dixerim Isrëalitarum *Urim* imaginum propheticarum usui in *Ægypto* frequenti principia debuisse.

Sed non opus est ense ut nosmet hoc nodo impeditos expediamus. Nam (1°.) nulla satìs gravis dubitandi ratio subest, quin *Ægyptiis*, vel *Mosis* seculo, sua fuerint idola, quæ ob Numinis præsentiam & oracula edendi facultatem, nullo non honore digna habuerint. Nam Israëlitæ, *Ægypto* haud ità pridem liberati, nihil animo votisque prius habuêre quàm ut *Aaron Deum sibi præiturum faceret*, הוא כבוד חונה בצורת גויה *hoc est*, Ab. Ezram audis, *corpoream aliquam imaginem in quâ Deus resideret*. *Eam* autem eò

impensiùs

impensiùs desiderârunt (inquit Simeon de Muis in Var. Sac.) *quòd Ægyptiorum, quibuscum diu vitam egerant, scientiis ac superstitionibus imbuerentur: qui Ægyptii arte quâdam imagines seu figuras, תלסמות Talismanas vocabant, ità effingebant, mira agendi vis iis ut inesset, ex influxâ scilicet è corporibus superioribus virtute,* &c. Quæ quidem eò minùs à vero & fide abesse existimo, quoniam *Ægyptii*, Israëlitarum seculo, Numina quæ infra vilem brutorum sortem cadebant, cultu religioso observarent, & pessima quæque superstitionis Chaldaicæ exempla, novâ & affectatâ quâdam insaniâ superarent. Neque cum verbis meis pugnant *Scaligeri* aliorúmque testimonia: nam facilis agnosco *Plutonem* quidem, à *Sinopensibus* priùs adoratum, ab *Ægyptiis* in Deorum suorum societatem sub *Ptolemæi* tertii tempora vocatum fuisse; eósque diu antea recepti apud suos tituli *Serapis* honore & dignitate Numen illud novum honestâsse. Idem *Plutarchi* fide contestatum habeat Lector, *Lib. de Isid. & Osir.* p.m. 362. (2°.) Res nostræ flumine non minùs secundo uterentur, modò nullas hujusce numeri aut nominis imagines, *Mosis* seculo, apud *Ægyptios* in usu & honore fuisse concederemus. Eas enim apud *Syros*, *Chaldæos*, nè dicam Patriarchas aliquos, locum & pretium inveniisse, extra dubium ponunt Codicis sacri testimonia. Cùm itaque leges aliquas tulerit Deus, non minùs *Chaldæorum* aliarúmque in vicino gentium quàm *Ægyptiorum* pravis moribus adversas; quidni & Eum mores aliquos innocuos non minùs apud *Chaldæos* & *Syros* quàm *Ægyptios* invalescentes, in rituum suorum sanctitatem evexisse crederemus? Sed ut primos horum *Theraphim* authores, aut fautores omnes ostendamus nihil est quòd multùm laboremus: cùm præsertim

edax

edax tempus monumenta ſeculorum vetuſtiſſimorum res geſtas & mores referentia, penè tota deglutierit: molem meam ſat ſtabili & firmo fundamento ſurgere credam, quoad *Theraphim* apud *Syros* aliósque diu ante Legis datæ tempora obtinuiſſe, & Iſraëlitas ea plurimi ſemper habuiſſe è Scripturis conſtet.

Cùm ſententiæ noſtræ fundamenta ſatìs firma eſſe & adverſarii impetus immota ferre poſſe, jam dicta probent; proximum eſt ut ſententiam illis innixam æquis viribus pollere, &, ſuâ ſe veritate involventem, non minùs illæſam & invictam inter medios hoſtium arietes atque impetus ſtare poſſe comprobemus.

Primò itaque, hoc forſan telo pugnabunt adverſarii: ſatìs opinionem de oraculo *Urim* traditam vanitatis ſuſpectam reddat, quòd in Judæorum ſcriptis pleriſq; omnibus, illius nec volam nec veſtigium reperire liceat. Si enim quid ſani haberet, ſi tot Scripturæ loca & rationum momenta illius veritatem pluſquam ſpecie aſſerant; mirum & portenti ſimile eſt Judæorum doctores rerum ſacrarum tam ignaros atque inſolentes fuiſſe hactenus & quaſi domi hoſpites, quòd ex iis nemo quiſquam, extra *Philonem* & *Aben-Ezram*, Oraculi hujuſce naturam perceperit, aut quicquam titulo ſuo dignum de illo ſcripſerit.

Repono. Nemo eſt qui craſſam apud Judæos Oraculi hujuſce ignorantiam mirari poteſt, qui non & propriam prodituru eſt. Gens enim nulla eſt tam incerti laris, & quam ceu pilam adeò huc illuc jactari fecerit *rebus in humanis ludens* divina providentia: nulla eſt quæ in famæ aucupium vetera omnia tam ſplendidis mendaciis obſcuravit: gens nulla eſt quæ tam flebilem veterum hiſtoriarum jacturam fecit: nulla quæ juſto

Dei judicio in omnibus penè ad Legem illis datam ſpectantibus tam malè, tam nihil videt: adeò ut *Scaliger l. 6. de Emendat. Tem. p. 568.* hanc ſententiam de iis ſeveram ferat; *manifeſta eſt Judæorum inſcitia, qui cum uſu veterum rituum, etiam eorum cognitionem amiſerunt; ut multa quæ ad eorum ſacra & hiſtoriam pertinent, longè melius nos teneamus quàm ipſi.* Cujus ſententiæ veritatem, nimis, proh dolor! aſtruunt eorum ſcripta quamplurima; in quibus eſuriens Lector פסולת תוחת הסולת *furfures pro farinâ*, (quod proverbii loco dicunt illi) ſæpius reperturus eſt. Sed ut rem acu tangam; Gens nulla eſt quæ ab imaginis ullius in ſacris uſu, quaſi à ſpectro quodam, adeò tota refugiat & abhorreat: quâ de re ſusè & eruditè diſſeruit *Grotius* in *Mat. 24. 15.* atque indè præcipuè factum crediderim, quòd quamvis Judæorum Magiſtri in ſenſus partésque plurimas circa naturam τῶν *Urim* & *Thummim* ſciſſi fuerint; vix tamen veſtigium ſimulachri alicujus in omnibus ſuis de hoc Oraculo ſententiis in unum comportatis reperiamus.

Secundó. Ad hypotheſin meam loco movendam dicet forſan non nemo, quòd ſatis pateat eam non eſſe *verè* affinem, cùm nullâ cognatione *bono* conjungatur. Nam injuriarum in Majeſtatem divinam & Religionem meritò agenda eſt, cùm tremenda cœli reſponſa, per idola, exoſa illa *DEO* & bonis omnibus nomina, non tam data quàm polluta fingat. Ideoque eam piaculi loco habet *Rivetus* qui nos & ſententiam noſtram per latera *Chriſtophori Caſtri* ſic, ſtylo nimis acuto, confodit: *In Exod. 28. com. 40. Quòd idolula à Deo fuiſſe inſtituta & in Rationali Sacerdotis conſervata comminiſcitur, & quòd per ea Deus vel Angelus voce formatâ oracula fuderit, &c. ea ſanè ferri non poſſunt, maximam*

ximam partem impia & profana, vana & falſa in totum.

Bona verba quæſo: neque enim per imagines quas colendi animo quiſpiam fabricârat aut cultu divino affecerat; ſed eas quæ huic ſacro muneri dicatæ fuerant, & forſan à *DEI* formantis manu religionem traxerant, oracula divina edita contendimus. Nihil autem de profano trahit, nec cœli Majeſtatem violat, aſſerere hujuſmodi ſacratas imagines, voces conſilii divini interpretes, Angelo animante quandoque protuliſſe: niſi aurum aut argentum aliquid profani contrahere, ſimulac formam humanam induerint, ridiculè ſomniemus. Deinde, certum eſt *DEUM* habitantem inter *Cherubim* (imagines formam præcipuè vitulinam præferentes) *Moſi* in dubiis ſciſcitanti reſpondiſſe: at ſi quid infamiæ aut piaculi imaginis nomini adhæreſcat, Majeſtas divina & Religio non minùs per imaginem in Tabernaculo quàm Pectorali læderentur. Non eſt itaque quòd quiſpiam ab hâc ſententiâ, eo ſolùm nomine, quaſi ſacra pollueret & impietatem ſaperet, religiosè caveat: præſertim cùm Numen cœleſte per *Theraphim* ſe conſulentibus ſemel ſaltem reſponſa tuliſſe conſtet. Nam *Danitæ* à *Michæ* Sacerdote *Theraphim DEO* vero ſacratis inſtructo reſponſum accepêre, quod Levitæ religio, & lætus rerum eventus qui reſponſi fidem liberavit, divinitus datum fuiſſe comprobârunt.

Tertiò. Hoc etiam telo nos petit eruditus *Rivetus: Non credibile eſt*, inquit, *Deum qui imaginum ſacrarum quas vocant uſum tam ſeverè prohibuerat, inſtituiſſe idola, quæ loquerentur. Nihil enim fuiſſet efficacius ad populum ad idololatriam propenſiſſimum, ad eam rurſus inclinandum & confirmandum.*

At ab hoc telo, utpote non adeò acuto, mihi haud multùm metuendum cenſeo. Neque enim magìs timendum nè Pectoralis *Theraphim* idololatriæ anſam præberent, quàm nè *Cherubim* in ſacrario poſita: è quorum tamen medio *DEUM* oracula fudiſſe nôrunt ex infimâ claſſe Prophetarum filii. Imò verò longè minùs: *DEUS* enim Pectoralis idolulum conſulendi & fortaſſe videndi copiam non niſi Sacerdoti Summo fecerat: reſponſa etiam ab eo, non niſi poſtquam *DEUM* verum precibus humillimis religiosè coluiſſent, expectanda fuerant: prout nos doceat exemplum *Davidis*, *DEUM* medio *Ephode* interrogantis, 1 *Sam.* 23. 9, 10, 11. & *Phineazi:* niſi *Author* ille *Biblic. Antiquit.* cujus antea memini, fide parvâ ſcriptor ſit; qui illius, cùm *Urim* conſultum iret, precationem bene longam literis conſignavit. p. m. 328. Neque facilè credi poſſit *Iſraëlitas* tam infœlici fato & ingenio natos fictósque, quòd pulchrioris cujuſvis imaginis aſpectus eos ad fornicationem ſpiritualem allicere potuerit: ſi enim eâ indole animíque habitu fuiſſent, *Salomon* ipſum *DEI* templum in cultûs divini damnum & præjudicium ſtruxit, cujus oſtia & parietes frequentibus *Cheruborum* imaginibus exornavit. Sed ſi modò *Iſraëlitas* aliquos animi habitu tam pravo & in morbos ſuos veteres præcipiti fuiſſe daremus, quòd ex ipſo ſuperſtitionis remedio (Pectoralis *Urim*) vitia ſua vires & incrementum ſumerent; ſententia noſtra talo non minùs firmo ſtabilíque ſtaret: nam ità curatum eſt, ut ſi quid fortè mali ex imagine loquente *Urim* ſibi conſciſceret imprudens quiſpiam; per imaginem ſilentem *Thummim*, tanquam antidotum veneno valentius, tolli ſtatim poſſet & ſuperari. Nam indè quiſpiam, cui ſalis aliquid, facilè colligere poterat, imaginem

ginem *Urim*, non cœli influxu, aut Dæmonis alicujus virtute, ſed *DEI* ſolius eam liberè eligentis inſtituto, propheticam evaſiſſe; & *DEUM* per *URIM*, non quòd imaginem tanti haberet, ſed quòd ità viſum eſſet, oracula ſua enunciâſſe.

Quartó. Et hoc forſan nomine apud aliquos malè audiet ſententia mea, quòd nova atque inſolens ſit, & ab omnibus intellectûs noſtri de rebus divinis judicandi normis penitus aliena. *DEUM* quidem è cœleſti gloriâ, vel Tabernaculi adytis auri fulgore micantibus, aliquando locutum fuiſſe, Eúmque conſilia ſua per manum Angeli, aut Prophetæ ab omnibus ſeculi viis ſeparati, humano generi tradidiſſe, cœli Majeſtati & mentis noſtræ ἀσθενείᾳ congruum eſt. At Numen cœleſte per imagunculam in panno parvulo reconditam reſpondiſſe, nemo unquam vel febri laborans ſomniavit, nec quiſquam niſi fidei planè prodigus rei tam inopinatæ fidem unquam daturus eſt. Suam ſecum refutationem affert ſententia monſtroſa adeò, & extra omnes noſtras ſentiendi vias tam longè poſita.

Huic præjudicio potiùs quàm argumento, reſpondeo, Primó. Sententiam hanc me vel hâc ſolâ ratione doctorum calculis digniorem exiſtimare fateor, quòd hominem minimè ſapiat, nullos figmenti humani characteres geſtet, & quòd præ omnibus aliis opinionibus, quæ mundi fidem hactenus tenuêre, tam tenuem primo intuitu veri ſpeciem præferat. Indè enim probabile fiat me illam non ex vano hauſiſſe & proprio finxiſſe ingenio: nam quæ ad fabulæ vel figmenti exemplum, populo ut placeant, concinnata ſunt, hominum moribus & ingeniis adblandiri ſoleant, non adverſari. Deinde, ſi oculos mittamus ad plurimos alios ritus ſub

Veteri fœdere inſtitutos, eos non minùs inſolentes & ab hominum ingenio, ut nunc habent res humanæ, diſſitas & abhorrentes reperiamus. Res enim non minùs mira eſt, & ab uſu ſenſúque hodierno declinans, quòd Summo Numini perpetuò habitare viſum fuerit inter *Cherubim*, imagines quaſdam figurâ tam abſurdâ, anomalâ & monſtrosâ fictas, quòd *Joſephus earum ſimiles nemini unquam viſas* aſſerat: Antiq. l. 3. cap. 6. Et quis, niſi quòd Scriptura referat, credere poſſit *Arcam*, ciſtam parvulam, tanti à *DEO* populóque ſuo æſtimatam fuiſſe, quòd tam præclaris elogiis & titulis ſuperbis illam decorârint? (Eam enim *roboris divini Arcam*, *Gloriam Iſraëlis*, *Arcam fœderis*, [a] *Laudes Iſraëlis* appellârunt) quòd Iſraëlitæ de eâ, tanquam primâ gratiæ divinæ arrhâ gloriati ſint: quòd [b] loci omnes ab illius præſentiâ ſanctitatem hauſerint: quòd preces, ſacrificia, & ſacra alia, facie ad Arcæ ſitum versâ, populus peregerit: quòd deniq; crimen Arcæ violatæ, per tactum, locum aut aſpectum minùs religioſum, non niſi peccantiũ ſanguine expiatum fuerit? Nobis etiam hodie admirationem movere ſolet, quòd *DEUS* populum Judaicum, ſignum fœderis cum Seipſo percuſſi, in corporis partibus vix honeſtè nominandis geſtare juſſerit: cujus rei gratiâ jocus & fabula apud gentes facti ſunt, & convitiorum plauſtris conſpurcati. Et, ut alia taceam, non minùs novum & mirandum videri poſſit, quòd cùm *DEUS* tam auguſta conſilia ſua cognoſcendi media Judæis dederit, ſe tamen (quod nemo diffiteri queat) per Pectorale, latitudine palmari panniculum, conſulendum præbuerit. Ideóque mentis propriæ idolis &

[a] *Dicitur Deus inhabitare laudes Iſraëlis*, i. e. *Cherubinos & Arcam quæ vocantur gloria Iſraëlis*. De Dieu in Pſal. 22. 3.

[b] 2 Chron. 8. 11.

ſeculi

ſeculi ſui moribus cultum & honorem ſupra modum tribuunt, qui eâ ſolâ ratione freti noſtram de *Urim* hypotheſin vanitatis arceſſunt, quòd iis forſan monſtroſa, & nihil cum temporum præſentium uſu commune habere videatur. Ea proculdubio ratio eſt, cur de Oraculi hujuſce naturâ parùm ſinceri hactenus tot perſpicaces Viri perceperint; quòd ſcilicet mentis ſuæ oculos præjudiciis, quæ à ſeculi moribus vel Judæorum ſcriptis acceperint, vitiatos, ad Scripturas legendas attulerint. Quid enim in causâ eſſe poſſit, quòd quamvis literis uncialibus ſcriptum extet, *Deum per Urim reſpondiſſe, ſecundùm judicium Urim conſultum fuiſſe, & Aaronem judicium filiorum Iſraël,* i. e. per metonymiam, *judicii ſui indicem,* [a] *URIM, portâſſe*; alii tamen per ſonum vocalem è propitiatorio, alii per Spiritûs afflatum, alii per ſplendorem adamantis, alii per literas in Pectorali ſculptas, Deum reſpondiſſe aſſerant: niſi quòd mentis propriæ idolis & aliorum placitis precariis ſe totos tradant, & in hoc Argumento divinare malint quàm diſcere? Sed me de viâ pauliſper declinâſſe ſentio.

[a] Exod. 28. 30.

Secundó. Si Rationem liberam nec partibus obnoxiam de ſingulis aliis in Argumento præſenti opinionibus judicem conſtituamus; proculdubio pro hypotheſi noſtrâ, tanquam minùs inſolente & humani generis ſenſui adversâ, ſententiam feret. Annon enim rationi magìs conſentaneum eſt credere, *Deum* per voces, optimas rerum teſſeras, è Pectoralis ſimulachro datas, placita ſua indicâſſe; quàm per miraculoſam & operoſam, nè dicam ludicram, illam eminentiam & ſubſidentiam literarum, quam Talmudici fingunt, nonniſi novo Oraculo interprete, fatentibus ipſis, intelli-

gendam? aut per Spiritûs afflatum, ſigno nullo ab impoſturæ ſuſpicione vindicatum, animum Sacerdotis (viri non rarò nequam) è veſtigio occupantem, cùm Pectoralis gemmas contemplaretur? Certè modus ille revelationis medio Pectorali factæ, cui ipſe tam impensè faveo, magis expeditus fuerit, captu facilis, & nullum de reſponſi origine divinâ dubitationi locum dederit. Atque hinc natum videtur, quòd quamvis Prophetæ non pauci ſupplicio extremo affecti fuerint, quaſi cerebri ſui ſomnia prophetiarum titulo ſignata in vulgus ſparſerint; & *Ahimelechus* capitis cauſam coram *Saulo* dicere coactus fuerit, quòd, eo invito, *Urim* ſuum ad conſilium divinum, *Davidis* gratiâ, eliciendum uſurpârit; nullum tamen è Pontificum ordine in jus vocatum aut infami impoſtoris labe notatum legimus; cùm ſe monitum cœleſte ex Oraculo ſuo acceptum habuiſſe conſtanter affirmârit.

Cùm jam cauſa mea omnes, quos ipſe novi, obices eluctata ſit; nil cauſæ video cur naturam τῆ̃ *URIM* è tenebris illis quibus plurimùm involuta jacuit, in lucem aliquando prolatam nobis non liceat gratulari.

SECT. 12.

Explicatur natura τῆ̃ *THUMMIM, & oſtenditur illud ab Ægypti moribus deſumptum fuiſſe.*

MAnum ſupremam diſquiſitioni noſtræ de naturâ *Urim* jam impoſuimus: Supereſt itaque ut ad comitis ſui individui *Thummim* naturam explicandum, quo fieri poſſit compendio, noſmet accingamus.

Hâc

Hâc autem provinciâ quo fœliciùs defungamur, varias doctorum, qui in hoc dicendi campo ſeſe exercuêre, ſententias in medium promere, è re noſtrâ futurum arbitramur: eò quòd ἀλήθειαν aliquam, aut ſaltem δήλωσιν *perſpicuitatem*, ſequentibus afferre poſſint.

Sententia itaque prima eſt, *Thummim* quiddam numero quidẽ, non autem munere & uſu ab *Urim* diſcretum & ſeparatum. Ei mentem & manum dedit *Chriſtophorus Caſtrus*, qui cum primis de hoc Argumento meruit. Nam *Urim & Thummim*, inquit ille, *erant duo parvula ſimulachra — per quæ Deus, aut Angelus Dei nomine, clarè & diſtinctè reſpondebat.* l. 3. de Vaticin. c. 3. E quibus colligere fas eſt, Eum *Urim* & *Thummim* numero quidem ac nomine diſtincta credidiſſe, Deum verò per utraque, alternis forſan vicibus, voces futurorum nuncias emiſſiſſe, eáque muneris & usûs ſimilitudine & affinitate ſe mutuò attigiſſe.

Secunda ſententia eſt, quòd *Thummim* munere quidem, vix autem numero ab *Urim* diſtingueretur: cùm idem Oraculum (prout idem oceanus ob varias illas quas alluit oras) munerum diverſorum gratiâ, nomina diverſa ſortiri potuerit. Ità judicavit (ni mentem ſuam malè capiam) Vir ſummus, *Joſephus Medus*. Nam poſtquam varias Magiſtrorum ſententias de Oraculi hujuſce naturâ & tradendi modo enumerâſſet; quid ſibi viſum eſſet, ſic paucis effert, quæ Latinè è verbo reddidi. "Si quid ipſe ſentiam effari licuerit, dixerim "*Urim* & *Thummim* duplicis generis Oraculum fuiſſe "& muneri planè duplici inſerviſſe; & quòd *Urim* "Oraculum illud fuerit, vel Oraculi pars, quâ Deus "reſponſa dederit iis, qui Illum in arduis & dubiis "vitæ communis caſibus conſulerent: *Thummim* ve-

"rò

"rò Oraculum illud vel medium fuerat quo Summus "Sacerdos certior factus erat, an *Deus* oblatam hoſtiam "æqui bonique conſuleret, necne. Quibus ad examen revocandis diutius immorari, nobis in præſentiâ nec opus nec otium.

Tertió. Alii ſe perſuaſos habent, nihil omnino diſcriminis, vel quoad numerum vel quoad uſum, τοῖς *Urim* & *Thummim* interceſſiſſe; ſed quòd res una eadémque fuerint, quæ ratione proprietatum & effectorum diverſorum titulos diſſimiles obtinuêre. Atque hæc opinio eorum animos habet, qui *Urim* & *Thummim* cum Pectoralis gemmis confundunt; & mutos illos lapides, unicos Oraculi divini interpretes fuiſſe aſſerunt.

Quarta ſententia, cui me totum dedi, ea eſt; quòd *Thummim* res fuerit, non minùs numero & officio, quàm nomine, ab *Urim* diviſa & ſeparata. Sententiam hanc nihil quæſtionis apud Lectorem habituram mihi facilè perſuadeo, modò in rationum earum, quas *Sect.* 1. ad illius veritatem aſſerendam attuli, memoriam redeat. Nè tamen ulla reſideat de hâc re dubitandi ratio, argumenta pauca alia, quæ paulò majorem opinioni meæ certitudinem dabunt, addidiſſe viſum eſt. (1°.) Lege divinâ cautum erat ut quævis duplicati Pectoralis latera ſpithamæ menſuram æquarent: quid autem menſuras tam amplas & accuratas Pectorali datas voluit Deus, niſi ut imaginibus ſaltem duabus, figurâ & mole paribus & quaſi gemellis, in illius utero ferendis eò fœliciùs inſerviret? neque enim unica icuncula tam amplo dupli illius ſpatio complendo par eſſe poterat, niſi artifices ſacri opera ſua alia arte & ingenio verè divino perfeciſſent, imaginem autem *Urim* penè monſtroſam & parùm ad concinnas proportionis

proportionis leges exactam de manibus projecissent. (2°.) Cùm de *Urim* & *Thummim* in genere tantùm, nullo habito ad usum aliquem peculiarem respectu, in Scripturis fiat sermo; ea, tanquam comites sacramento sibi mutuò astricti, perpetuò conjuncta veniunt: cùm verò de *DEO* Pectorali mediante consulendo, adeóq; de *Urim* quasi in actuali muneris sui exercitio, sermo instituatur; ea non minore constantiâ ab invicem in Sacris separata reperiamus. Ver. gr. *Num.* 27. 21. *Eleazar consilium pro eo* [Joshua] *petet juxta judicium Urim coram Domino:* & 1 *Sam.* 28. 6. *Dominus non respondit ei* [Saulo] *per somnia vel per Urim:* quibus in locis Spiritum S. pede silente *Thummim* præteriîsse observemus. Similis ἀκριβείας exemplum, de hoc Oraculo interrogando dicturus, dedit *Sirachides*, Cap. 33. com. 3. Ἄνθρωπος συνετὸς ἐμπιστεύσει νόμῳ, καὶ ὁ νόμος αὐτῷ πιστὸς ὡς ἐρώτημα δήλων. Ubi voce illâ δήλων usus est, quâ LXX *Urim* transferunt; mentione nullâ factâ vocis cognatæ ἀληθείας, quâ *Thummim* exprimunt. Non immeritò itaque *Urim* solummodo, in negotio interrogandi Deum, locum usúmq; obtinuisse; *Thummim* verò fini alicui dissimili destinatum fuisse existimemus. (3°.) Satìs è supra dictis pateat, Syrorum aut Patriarcharum *Theraphim* τῷ *Urim* Hebræorum ortum dedisse, & rerum earum naturas, munera & nomina, summâ inter se concordiâ conspirâsse. Quò itaque *Urim* exemplar suum (quatenus fas esset) similitudine proximâ retulisse & quasi exscripsisse censeatur, ratio exigit, ut ei formam & munus, æquè ac nomen, sibi uni proprium vindicemus: nam *Theraphim*, quanquam nomine plurali gaudeat, res una & simplex fuit; titulo, munere, & (ni me veri specie ludam) formâ, adeò ab omnibus aliis gentium simulachris

lachris distincta & separata, quòd communi imaginum aliarum nomine & censu nunquam in Scripturis veniat. (4°.) Cùm *Urim* & *Thummim* res verè discretas & numero (ut cum Logicis loquar) differentes, satìs quæ jam dixi arguant; indè ea munere dissidisse, & partibus naturæ dissimilis functa fuisse, firmiter concludamus: nam proculdubio *Deus* non magìs duo diversa organa ad voces suas divinas, quàm homo ora duo ad voces suas naturales, formandas postulavit.

Hæc omnia quæ de usu τῶ *Thummim* proprio, ejúsque naturâ peculiari dixi hactenus, fide eò firmiore tenebit Lector, si à generalibus hisce ad magìs distinctam & pressam naturæ & originis suæ explicationem descendat sermo. Huic autem operi quo fœlicioribus auspiciis admoveam manum, hoc unum mihi necessariò præmittendum arbitror; quòd argumenta in hoc & sequente capite adducta (ni cerebri proprii fœtus affectu cæco prosequar) speciosè probent, nè dicam luculenter ostendant, antiquissimam *Ægyptiorum* aut aliarum ex oriente gentium consuetudinem, primam τῶ *Urim* originem & occasionem præbuisse; & sensum vocabuli *Theraphim* sub vocis illius *Urim* velamine mysticè latuisse. Mentem itaque facilè induxerim credere, nos per hujusce arcani jam revelati filum, in rei & nominis alterius *Thummim* recessus abditos, vestigio non errante, perducendos; & *Thummim* etiam à seculi ejusdem consuetudine aliquâ ortum petere, & vocabuli alicujus Ægyptiaci, olim in usu, sensum & potestatem dissimulare.

Si itaque consuetudines omnes purè Ægyptiacas, cum ipsis, uti verisimile est, regni primordiis natas, quantum per semesas historiæ veteris reliquias scire

concessum,

conceſſum, recolamus; una cogitantibus nobis ſe obviam præbet, quæ nobis multâ nocte circumfuſis facem præferet, & forſan ad latentes adhuc rei & nominis hujuſce rationes nos rectà ducet. Eam verò ſic nobis deſcriptam dedit *Ælianus*, lib. 14. hiſt. Var. c. 34. Δικασαὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν· ὧν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας· Ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέστατον. Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια. i. e. *Apud Ægyptios, à primâ antiquitate, qui judicabant Sacerdotes erant. Eorum autem princeps fuit qui cæteros ætate anteibat. Ille in omnes jus dicebat; Eum autem eſſe oportebat omnium & juſtiſſimum & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex ſapphiro, eáque imago* Veritas *dicebatur.* Quo minùs autem quiſpiam *Æliano* ſoli hæc poſteris referenti fidem abnuat, in partes ſuas, *Diodorum Siculum*, qui ab eo non multùm abit, vocare viſum eſt. Ille verò, lib. 1. in rebus *Ægyptiorum*, deſcribit Ἀρχιδικαστὴν ἔχοντα πρὸ ἀληθειαν ἐξηρτημένον ἐκ τοῦ τραχήλου, *Summum Judicem qui haberet de collo pendentem Veritatem.* Atque iterum poſtea, Σωζόμενος δὲ πρὸς ἀναγκαίων πρὸς τοῦ βασιλέως τοῖς μὲν δικασταῖς ἱκανὰ πρὸς δαπάνην ἐχρημάτιζετο· τῷ δ' ἀρχιδικαστῇ πρὸς πλήσιοι. Ἔφορει δ' ἕτερον ὁπὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσοῦ ἀλύσεως ἠρτημένον ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν· τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν πρὸ τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ Ἀρχιδικαστὴς προσθῆται· i. e. *Salaria præbebantur, ampliſſima verò Summo Judici. Geſtabat autem ille in collo ex aureâ catenâ pendens è lapillis pretioſis ſimulachrum, cui Veritas nomen: hoc autem Veritatis ſimulachrum Judiciorum principi aptatum*

aptatum, cauſas cognoſcendi auſpicium fuerat.

Horum hiſtoricorum verba ſatis indicant, Hebræos & Ægyptios, quoad mores aliquos ſingularem inter ſe animorum ſenſuúmque concordiam coluiſſe. Nam Ægyptiis in more erat Pontificem ſuum litibus plurimis diſceptandis præficere: Hebræi etiam more & lege conſimili tenebantur. Loci & perſonæ ſuæ dignitatem in conſpectu populi, ornatu ſplendido & eleganti aſſerebant Ægyptii: nec Hebræi pietati & prudentiæ ſimili defuêre. Bullam, ſplendore & titulo myſtico Ἀλήθεια celebrem, ei in muneris ſui teſſeram decreverunt Ægyptii: Hebræorum etiam Pontifex, bullam, myſtico *Thummim* titulo & formæ decore inſignem, in ornamentis habuit. Gemmæ plurimæ Pontificis Ægyptii veſtes pectúsque illuminabant: Pontificis etiam Hebraïci veſtes & pectus tota auro lucebant & lapillis pretioſis. Antiſtes Ægyptius muneris ſui teſseram aureâ catenâ de cervice pendentem geſtare ſolitus eſt: & ut Hebræorum Pontifex bullam ſuam è catenâ aureâ ſolenniter ſuſpenſam gereret, Legis præſcriptum poſtulavit. *Exod.* 28. 22. *Facies in rationali*, [cui Thummim inerat] *catenas ſibi invicem cohærentes ex auro puriſſimo, & duos annulos aureos ſibi invicem cohærentes, quos pones in utrâque rationalis ſummitate, catenásque aureas junges annulis qui ſunt in marginibus ejus*, &c.

Quòd Ægyptii & Hebræi tot morum conſpiratione conſentirent, nemo facilè caſui aut fortuito ſyderum ſimilium influxui tribuendum ſenſerit. Ideóque Scriptores plerique omnes Ægyptios ſimiarum partes egiſſe, & Hebræorum mores, ea gratiâ & venuſtate conſpicuos, obviis ulnis & propenſis ſtudiis accepiſſe, ſecuri hactenus aſſeruêre. In eam ſententiam loquitur *Cl. Grotius*

Grotius. Not. in lib. de Verit. Rel. Christ. Num. 111. §. 16. Ubi postquam Ægypti Pontificem simulachrum, cui *Veritas* nomen, ex adverso cordis appensum, ferre solitum, *Diodori* & *Æliani* verbis enarrâsset; addit, *Imitati sunt Ægyptii Pectorale Sacerdotis Summi, sed ut pueri virorum res imitantur.* Eandem sententiam *Joh. Schefferi* animum occupâsse, verbis ipse suis testatur, Syntag. de Torquibus, Sect. 5. *Ornamentum illud* [Sapphirus Ægyptiacus] *sumptum fuit ab Hebræis: idem enim fuit quod apud illos Sacerdos Summus gestabat. Et arguit primùm, quòd ex gemmis fuit, deinde quòd* Veritas *nominatum est. Ità namque interpretantur Septuaginta id quoque quod in rationali Sacerdotis Urim & Thummim est.* δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν *appellant.* Sententiæ huic tot doctorum calculis onustæ animum & ipse lubens adjicerem, nisi quòd eum tot rationum evidentia partem in adversam rapiat, & illum morum consensum è fonte dissimili manâsse mihi penitus persuadeat: è sapientissimâ nimirum *DEI* indulgentiâ, cui summo apud suos rerum divinarum procuratori ἄγαλμα, è catenâ aureâ pendens & synonymo *Thummim* titulo insignitum, concedere visum est; nè Israëlitæ quicquam ornatûs & elegantiæ in Sacerdote suo requirerent, cujus ingens admiratio teneros eorum animos in *Ægypto* fascinârat. Rationes autem quæ mentem meam huic sententiæ devinctam tenent, sunt hujusmodi.

Primò. Δῆλα vel Δήλωσις & Ἀλήθεια vocabula sunt, per quæ Septuaginta interpretes *Urim* & *Thummim* frequentiùs exprimunt. viz. *Exod.* 28. 26. *Num.* 27. 21. 1 *Sam.* 28. 6. *Levit.* 8. 8. Ex iis autem vocibus, prior potestatem vocis Hebrææ *URIM* [*lumina*] ex parte refert, eique haud admodum impro-

priè

priè reſpondere credatur: nam luminis eſt in tenebris poſita, δῆλα manifeſta facere. Sed unde natum ut ex interpretibus tam citò judices Scripturarum facti ſint, & à vocis alterius ſenſu genuino tam longè receſſerint, quòd vocabulum Ἀλήθεια ad *Thummim* denotandum toties uſurpârint; cùm πλειότης propiùs à vero vocis illius ſenſu abſit, eámque minùs coactè interpretetur? Certè ipſe cauſam vel probabilem quòd ità verterint afferre nequeam, niſi quia probè nôrint ἄγαλμα, cui *Thummim* nomen, de Pontificis Judaïci cervice pendens, à Pontificis Ægyptiaci ſimulachro, Græcis ἀλήθεια per interpretationem dicto, originem accepiſſe; ideóque rationi conſonum duxerint, ut imaginis illius Ægyptiaci, ceu primi ſui exemplaris & quaſi parentis, nomen titulúmque, inter Ægyptios ſaltem, retineret. Nam proculdubio rem divinitus inſtitutam & quæ nomen ſuum jure divino tenuit, imaginis Ethnicæ titulo dehoneſtare, inſtar piaculi habuiſſent; niſi quòd rem ſimul & nomen initiis Ethnicis orta eſſe, pro certo credidiſſent.

Secundó. Nullum veri colorem præfert, Ægyptios veteres Pontificis ſui ἄγαλμα, cui ἀλήθεια nomen dixêre, ab Hebræorum moribus mutuari voluiſſe. Nam (1°.) Ægyptii eâ antiquitatis, ſapientiæ, & religionis ſuæ opinione intumuêre, quòd gentes alias, quaſi mera hominum nomina & umbras, ingenti cum faſtidio præterirent. Imò verò abſurdum aliorum omnium faſtidium gentem illam ità tandem tranſverſam egerat, quòd exterum aliquem communi ſecum menſâ accipere, aut ullâ morum rituúmque ſocietate generi humano conjungi, nomine & natalibus ſuis indignum duxerint. Fanaticum illud Ægyptiorum ingenium notavit olim *Pompon. Mela* l. 1. de Situ Orb. c. 9.

c. 9. *Suis*, inquit, *literis perversè utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus subigunt. Forum ac negotia fœmina, viri pensa ac domos curant, &c.* Hujusce vanitatis gratiâ sale comico aspernguntur ab *Anaxandride* apud *Athenæum*, p. m. 299. (2°.) Ægyptii omnes in Israëlitas, præ aliis mundi incolis, odio capitali & hæreditario exarserunt. Ità testatur *Josephus*, l. 1 *cont. Apion.* φαινονται γὰρ καὶ δὴ μάλιστα πρὸς ἡμᾶς δυσμενῶς διατιθέντες κοινῇ μὲν ἅπαντες Αἰγύπτιοι. Ideóque verisimile est Ægyptios non minùs à moribus quàm personis Hebræorum abhorruisse: ità enim nati sumus humanum genus, quòd ab eorum omnium moribus longè recedamus, quos vel contemptim habemus vel quibuscum inimicitias graviores exercemus. (3°.) Israëlitæ, quamvis *DEI* peculium, gentium sordes & rejectamenta facti fuêre: eorum personas & sacra adeò nihili habuêre, quòd laboret plurimùm annalium ethnicorum fides ut Israëlitas vel fuisse credamus. Judæorum personæ & mores anomali, jocis & cachinnis solummodo apud gentes ansam præbuêre: quasi populum illum pro cote tantùm ingenii publici habuissent. Vero itaque prorsus dissimile est, Ægyptios, illa gloriæ animalia, sese ad Judæorum mores componere voluisse; quos, simiarum ad instar, ad risum tantùm movendum natos gentes credidêre. (4°.) Modò Ægyptii, cùm imaginem Ἀλήθεια nominatam Pontifici suo in ornamentum dederint, ad Sacerdotis Summi *Thummim* imitandum animos appulissent, quasi Hebræorum usum sacrorum omnium normam & mensuram existimâssent; proculdubio & aliis Judæorum legibus se conformes præstitissent, & animi morum Judaicorum æmuli & studiosi plurima alia exempla edidissent. Nec minùs dubitandum quin nomen numeri pluralis (cujus

est & *Thummim*) & quod magis aptè sensum vocis illius exprimeret, ἀγαλμάτων suo impertire voluerint. Sed nec minore proculdubio religione curâssent *Ægypti* incolæ, ut titulus ille δήλωσις τῶν *Urim* respondens, simulachro suo, vel alteri illi quasi in comitem ascito, inderetur. Nam æquum est credere, Ægyptios, modò Judæorum simiæ fuerint, quasvis aut saltem præcipuas exemplaris sui circumstantias imitando exprimere voluisse. Dicendum itaque supereſt, imaginem cui Ἀλήθεια titulum fecerunt Ægyptii, primam τῶν *Thummim* Hebræorum dedisse ansam: *Deum* verò, cùm loci & nominis consimilis imaginem in Sacerdotis sui ornamentum consecrârit, paululùm à more apud Ægyptios recepto, ob rationes occasione aptâ vocante adducendas, abiisse.

Tertiò. Constat *Deum* (ut eâ facilitate rudes populi Israëlitici animos invitaret) veteta penè omnia, quorum summâ admiratione & desiderio, in *Ægypto* viventes, ducebantur, iis concessisse: imò novam exemplóque carentem pompam & venustatem ritibus ab *Ægypti* seculíque usu mutuatis addidisse: ut cultûs divini decus & gloria, cultûs vel regiminis Ægyptiaci splendorem, quem in animis oculísque ferebant Israëlitæ, penitus extingueret & obscuraret. Nam templum Judæis concessit Deus, *quod materiæ magnificentiâ, artis elegantiâ & structuræ formâ, cætera omnia per orbem terrarum facilè superavit*; ὥστε αὐτὸς μηδέποτε εἰς ὁμοιότητα τῶν Αἰγυπτίων, ἢ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις ἐλθεῖν, *ne unquam postea Ægyptiorum, aut eorum quæ apud Ægyptios experti fuerant, cupiditate tangerentur*: prout rationem optimè reddit *S. Chrysostomus*, Tom. 5. Serm. 31. p. 471. Edit. Paris. Præterea, Deus Sacerdotibus Israëliticis *Ephod* (id est, στολὴν ἔνδυμα εἰς ἱερέας,

ἱερίας, exponente *Hesychio*) cùm sacris muniis vacarent, gestandum dedit: nè quid forsan dignitatis vel splendoris quem in Sacerdotibus Ægyptiacis admirari solebant Judæi, in propriis desiderarent: nam Sacerdotes Ægyptii sacra sua, *linteæ vestis candore puro luminosi* (ut *Apulei* verbis utar) de more antiquissimo celebrabant; eò quòd vestis color (puritatis omen) & *Ægyptus* ipsa, lectissimi lini laude per orbem celebris, populi animos vestis hujusce usui facilè conciliarent. Atque indè *linigeri* tanquam proprius character Sacerdotum Ægyptiacorum à poëtis sæpius usurpetur. Ægyptios autem in hujusce vestis usu chorum duxisse, ut credam suadent *Tertulliani* verba in libro suo *de coronâ militis* [ubi *linteum* appellat *propriam Osiridis vestem*] & rationes multæ gravésque, quas apud me premo nè extra præsentis argumenti limites nimis evagarer. Credibile est etiam Sacerdotis Summi campanulas à receptâ cultûs Ægyptiaci pompâ, tanquam primo exemplari, principia petiisse: nam apud Ægyptios [a] aliósq; ità instituto vetustissimo comparatum erat, ut omnia sistris & crepitaculis, dum sacra fierent, latè personarent: & Israëlitarum infantia proculdubio ab hujusmodi crepundiis & crotalis non potuit extemplo ablactari. Cùm itaque *Ægypti* Pontifex simulachrum, ἀληθείας titulo ornatum, è catenâ aureâ de collo pendens, dignitatis suæ indicem gestare solitus sit; verisimile est *Deum* simile ἄγαλμα, *Thummim* nomine decoratum, sacrarum ceremoniarum apud Israëlitas Antistiti concessisse: ut quælibet decoris & magnificentiæ exempla, quibus sacra Ægyptiaca vel eorum ministri superbire solebant, Pontifici suo adjicerentur; eúmque unum, veluti מכלל יפי *con-*

[a] *Vide Alex. ab Alexand. l. 2. cap. 2.*

ſummationem pulchritudinis, ſuſpicere diſcerent & venerari.

Quartò. Si varios Gentium mores (quantum in hiſtoriæ antiquiſſimæ crepuſculo videre datum) oculis intentis perluſtremus; gentem nullam præter Ægyptios ſolos inveniamus, quæ Sacerdotum ſuorum principem ſymbolo aliquo, quod conſenſum vel minimum cum Hebræorum *Thummim* haberet, inſignivit. Chaldæi quidem, Syri, aliæque gentes, unum aliquod Pontificis Judaici ornamentum, [tunicam lineam, cidarim, tiaram, & forſan *Urim*] æmulati videantur: at illius *Thummim* in totâ Sacerdotum ethnicorum pompâ ſcenicâ, niſi in ſimulachro quod diximus Ægyptiaco, vix rudioribus quidem umbellis expreſſum deprehendere poſſimus. Quòd autem Ægyptii ſoli (qui tamen Judæis אויבי נפש[a] *inimici ex totâ animâ ſemper* fuerint) in ornamenti hujuſce ſacerdotalis uſu cum *DEI* populo amicè adeò convenirent, huic tantùm cauſæ tribuendum videtur: Ægyptii, moribus & ingenio eleganti populus, perſonam, qui in foro & templo primas habuit, myſtico aliquo muneris ſui ſymbolo ornari voluêre, cujus ſplendor eíque conjunctus titulus religionem & reverentiam dignitati ſuæ debitam intuentibus extorquerent. Cùm autem Hebræorum Pontifex duplicem illam, *Judicis* & *Sacerdotis*, perſonam apud ſuos ſuſtineret, & Iſraëlitæ proculdubio non minùs ornatûs quàm cultûs Ægyptiaci ſtudio ducerentur; veriſimile eſt *Deum* & ſuo Pontifici ἄγαλμα in ornamentum conceſſiſſe, quod fulgore & titulo imaginem illam Ægyptiacam, (cujus ſimilitudinem aliquam geſſit) plurimùm excederet & ſuperaret. Et certè niſi conſenſum Ægyptiorum ſolummodo cum Hebræis

[a] Pſal. 17. 9.

Hebræis in hujuſmodi ornamenti uſu tenaciſſimo, illi quo moribus Ægypti adhæſerunt affectui deberi aſſeram; cauſam ipſe nullam aſſignare potis ſum, cur non & inter gentium aliarum ſacrificulos, nominis & formæ conſimilis ornamentum ſacerdotale reperire liceat: & labiis illius oſculum figam, qui me, ratione vel ſpeciosâ redditâ, jam impeditum explicare queat.

Quintò. Sacerdos magnus ornamenta omnia, quæ diviſa gentium aliarum ſacerdotes venerabiles reddidêre, collecta tenuit. *Quis* enim *non legerit* (inquit *Prideauxius noſter* Orat. 2. de veſt. Aaron.) *apud Herodotum, Plinium, Plutarchum, alios, Ægyptios ſuas tunicas lineas & hyacinthinas, ſua Pectoralia, ſua etiam ſiſtra argutum tinnitu conſtrepentia, in ſacris ſolennioribus adhibuiſſe? lapidibus duobus onychinis ſuper humeros Aaronis conſpicuis, corollia quædam inter Sacerdotes Indicos analoga fuiſſe memorat Alexand. ab Alex. l. 2. c. 8. Infulæ, mitræ & tiaræ, quàm obvia ſunt apud Apuleium & alios profanos authores vocabula? femoralia à nullis fuiſſe neglecta exiſtimat Guilielmus Stuckius in ſacrorum Gentilium deſcriptione.* E ſacris autem monumentis non minùs pateat *DEUM* ornamenta ea omnia, novo decore & cultu aucta, Pontifici ſuo conceſſiſſe; eíque σωτηλειαν καυχησεως (utì loquitur *Sirachides*, cap. 45. 9.) *conſummationem gloriationis* induiſſe. Ex ornatu illo numeris omnibus abſoluto promptum eſt conjicere, ornamenta penè omnia, quæ Sacerdoti Summo gratiam & majeſtatem addidêre, genere ethnico nata eſſe & à *DEO* ad deliniendos populi animos in Sacrorum ſuorum ordinem aſcripta. Nam dici nequeat quare *Deus* Pontificem maximum tam ſplendido, penè dixerim theatrico, veſtium apparatu onerari, eúmque cultu ſupra principum & Sacer-

dorum ethnicorum gloriam eleganti fulgere voluerit; nisi quòd curârit nè cultûs Ægyptiaci splendor, qui Israëlitarum animos inani & futili voluptate titillavit, divinum superaret; & nè Israëlitæ, religionem simplicem & venustate tantùm naturali allicientem fastidientes, ad meretriciam *Ægypti* pompam & fucum ducerentur. Deinde, si gentium monumenta vigilantes evolvamus, unum aut alterũ è jam dictis ornamentis sacerdotalibus apud Ægyptios aliósve in usum venisse facilè percipiamus; dum unus Judæorum Pontifex ornatus omnes, quibus gentes aliæ Sacerdotibus reverentiam & mysteriis suis religionem conciliârunt, complecteretur. Ideóq; rationi magis congruum est existimare Deum omnibus Sacerdotii insignibus quæ usquam gentium, apud Ægyptios imprimis, in usu erant, eum decorâsse; quàm Ægyptios aliósve unum aliquod ornamentum à Sacerdote Judaico mutuatos fuisse, ut rudem & imperfectam illius imaginem in Pontifice suo contemplarentur. Si enim Sacerdotis Israëlitici ornatus cæteris ex ethnicismi fæce Pontificibus ornandi norma & mensura extitisset; Ethnici proculdubio non unum aliquod ornamentum Pontificale, sed ad unum omnia apud Hebræos usurpata, pari cum religione retinuissent.

Sextò. Ut fidem jam dictis eò magis firmemus, observare juvat, Ægyptios aliquam τῆ *Thummim* similitudinem, in simulachro suo ἀληθείας nomine donato, expressisse; eos autem nullam τῆ *Urim*, in Pontificis sui ornatu, rationem aut umbellam habuisse legimus. E contra verò, *Laban*, *Micha*, *Gideon*, & Israëlitæ, impensam quidem τῆ *Urim* curam habebant, & illud affectu sollicito & pertinaci prosequebantur; (nam illius loco, *Theraphim*, nominis synonymi & muneris consimilis

consimilis imaginem, *Ephodi* suo conjunxêre) sed nè evanida vestigia τῶν *Thummim*, vel rei cujuspiam titulo analogo notatæ, in eorum sacris inveniamus. Hujus autem studii tam dissimilis, ratio hæc unica assignanda videtur: Ægyptii simulachrum Ἀληθείας appellatum, unà cum aliis patrum suorum moribus, ad seros usque nepotes tenuêre: at *Urim*, quod rem novam forsan & ex Hebræorum ingenio, rerum novarum in religione avido, natam habebant, penitus repudiârunt. Sed *Micha* & Israëlitæ *Urim* vel (quod eodem recidit) *Theraphim* tam prono cultu atque animo accepêre; quòd iis Patriarcharum aut saltem seculorum veterum usus, & responsorum indè acceptorum probata veritas, fidem & affectus suos addictos & mancipatos tenuerint: *Thummim* verò, ceu rem patribus antiquissimis ignotam penitus, ex *Ægypti* moribus & populi ruditate nuper oriundam, nec tantæ utilitatis nomine commendatam, minoris (nè dicam insuper) videntur habuisse.

Septimó. Israëlitæ in mores splendidiores, & cultum omnem sive corporis sive animi, apud gentes exteras, Ægyptios præsertim, invalescentes, impetu bruto & fræni impatiente semper ferebantur. Nam ideo effrænatum Regis desiderium eos tenuit, non quòd eo opus haberent; sed ut gentium vicinarum more, viris glorioso Regis nomine illustribus gauderent, qui ante eos egrederentur. Neque eos regem solummodo, sed principes & consiliarios à latere sub rege constitutos, postulâsse refert *Hoseah.* cap. 13. 10. *nè scilicet gentibus vicinis splendore & regis authoritate cederent, quibus alioquin se minores futuros putabant*: prout voti illius rationem non insciè reddit *Jo. Frischmuth. in Discurs. de Reg. Elig.* Salomonem forsan hæc gentis

propriæ vanitas occupavit, qui uxores sibi septingentas & concubinas trecentas, ut regum vicinorum pompam & mores imitaretur simul & excederet, comparâsse videatur. 1 *Reg.* 11. 3. Nam regibus orientalibus non mediocre gynæceum alere solenne fuisse, è verbis illis *Ciceronis*, Orat. 5. *in Verrem*, edocti sumus; *Anno tertio Verres consuetudine usus est regiâ. Solere aiunt barbaros reges Persarum ac Syrorum plures uxores habere &c.* Ex eâ peregrina omnia æmulandi prurigine natum arbitror, quòd vestes [a] peregrinæ, id est ad luxûs morisque ethnici formam & ingenium concinnatæ, Judæis adeò in pretio & deliciis essent: & quòd mulieres peregrinas tam perditè semper & insanè deperirent, ut præ iis alias omnes ex animo delerent formas. Neque impetu languidiore in sacra peregrina, Ægyptiaca præsertim, ruebant Hebræorum animi: nam eorum idola penè omnia & ritus vetitos in Scripturâ memoratos, ab *Ægypto*, tanquam perenni superstitionis fonte, primùm profluxisse, fusè probavit *Kircherus Oedip. Ægyptiac. Tom.* 1. *Syntag.* 4. & *Tom.* 4. *Synt.* 1. c. 2.

[a] *Vid. Zeph.* 1. 8.

Cùm itaque Israëlitæ eodem fastidio mores tantùm patrios, quo Ægyptii peregrinos repudiârint; & rituum Ægyptiacorum pompâ perstricti, prout aviculæ vitri fulgore in perniciem suam tam facilè allicerentur; credibile est Deum cultûs suum elegantiâ & nitore omnifario exornare voluisse, ut Israëlitæ sponsâ tam pulchrâ expleti & satiati meretricium ethnicismi fucum & lethalem venustatem negligerent, despuerent, & conculcarent. Cùm etiam Sacerdos Ægyptiacus tam illustrem dignitatis suæ tesseram à collo aureâ catenâ suspensam gestare soleret, facilè credamus Israëlitas & illam gemmâ ab Ægyptiis mutuatos fuisse; Deúmq; symbolum,

ſymbolum, *Thummim* appellatum, Pontifici Iſraëlitico in ornamentum conceſſiſſe, quod gemmæ illius Ægyptiacæ, quæ Ἀλήθεια nomen habuit, titulum, ſplendorem & figuram æmulari & vincere crederetur.

Octavó. Ex ipſis imaginis hujuſce notis & circumſtantiis, titulo, materiâ, annexâ catenâ, & geſtandi modo, eam ingenii purè Ægyptiaci figmentum fuiſſe non temere colligamus. Nam (1°.) titulus ipſe quem præfert, indolem geniúmque ſapit Ægyptiacum: nempe Ægyptios, à primâ gentis origine, genius quidam ſubtilior tenuit; quo factum eſt ut doctrinæ ſuæ, ethicæ, phyſicæ & politicæ, ſymbolis, figuris, hieroglyphicis, literis ſacris, titulis myſticis, & id genus Sacramentis, ſæpius traderentur. Gentis itaque indoli moribúsque antiquiſſimis apprime conſonum eſt, ut imaginem hanc, quæ unico verbo geſtantis dignitatem & virtutem loquebatur, Ægyptiis tanquam primis authoribus referamus. (2°.) Ex ipsâ imaginis hujuſce materiâ Sapphiro gemmâ, de illius origine Ægyptiacâ conjecturam ducamus: nam Sapphirum ſummo inter gemmas dignitatis gradu collocavit veterum ſuperſtitio; quaſi pravis affectibus reſiſteret, quibus judicem vacuum eſſe oportet: ità enim myſtarum antiquorum ſenſum refert *Fr. Rueus*, l. 12. de gemmis; *Devotionem, pietatem, conſtantiam, pacis ambitionem, Deorum munera, opimáque, quod ad hanc vitam ſpectat, beneficia invitare conciliaréque fertur Sapphirus. Addunt & contra iracundiam, invidiam, fraudes & triſtitiam valere. Adeò contra effrænes animi mores efficax eſt credita.* Modò ſuperſtitiosâ illâ de Sapphiro ſententiâ Ægyptiorum veterum mentes afflatæ fuerint, nobis facilè perſuadeamus eos Sapphirum illam, ad judicis

dicis æqui, partibus & affectibus nullis mancipati, ingenium, tanquam in ſymbolo exprimendum, ſacerdoti judicanti geſtandam ſtatuiſſe. Sed nonnulli forſan tam corruptam de Sapphiri viribus opinionem è temporum multo recentiorum fæcibus ortum habuiſſe ſenſerint; quibus ipſe litem intendo nullam: nam Sapphirum *Moſis* ſeculo plurimi ſaltem æſtimatam fuiſſe, ſatis è verbis illis *S. Epiphanii* intelligamus (modò fidem tutam iis adjungamus) γέγραπται ὃ καὶ ἐν τῷ τόμῳ, &c. *Scriptum eſt in lege, viſionem quæ Moſi apparuit in monte, & legem datam, in gemmâ Sapphiro fuiſſe expreſſam.* Lib. de 12 gemmis. (3°.) Conjecturæ noſtræ vires affert catena vel torques ille aureus è quo pendebat ſimulachrum illud Ægyptiacum. Hujuſmodi autem inſigni collum ornandi morem, apud Ægyptios, primis illis quibus res ſuæ maximè florebant ſeculis, obtinuiſſe, illúdque dignitatis penè regiæ indicem habitum fuiſſe, teſtatur *Moſes* de *Pharaone* loquens: Geneſ. 41. 42. *tulítque annulum de manu ſuâ, & dedit in manum ejus*, Joſephi, — *& collo torquem aureum circumpoſuit.* Horum etiam torquium antiquiſſimum apud Ægyptios uſum aſſerit *Pignorii* menſa, haud ità pridem edita, deſumpta à vetuſtiſſimâ quâdam tabulâ repoſitâ olim in templo *Iſidis*; quæ *Iſidis* & *Oſiridis* imagines circulis vel torquibus bene latis, in quibuſdam ad humeros pertinentibus, bullísque diſtinctis, ornatas exhibet. Indè etiam adducor ut ſentiam Ægyptios & Babylonios, nominis pervetuſti gentes, aliis omnibus ad ornamenti hujuſce uſum exemplo ſuo præiviſſe; quòd *Tertullianus* eas omnes Ægyptiorum & Babyloniorum nomine complexus ſit, *lib. de Idololat.* quando ait: *Purpura illa, & aurum, cervicis ornamentum, eodem modo apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo*

modo

modo nunc prætexta — & coronæ aureæ. (4°.) Ad ſententiam meam de imaginis hujuſce origine Ægyptiacâ firmandam, momenti nonnihil habeat ipſe geſtandi modus: eam enim Judex de collo in pectore, cordis regione, prout & gentes aliæ ſua ſapientiæ hieroglyphica, appenſam geſtare ſolebat. Hunc autem morem ex *Ægypti* philoſophiâ, quæ [a] cor hominis animæ & ſapientiæ domicilium ſtatuit, anſam primitus accepiſſe, nemo facilè denegaverit.

[a] Ἡ καρδία καθ' Αἰγυπτίους, ψυχῆς καὶ σοφίας οἰκητήριον. Horus. Ægypt. Hierogl. 7.

Satis quæ dixi probant, imaginem quæ Ἀλήθεια nomen tenuit, populi Ægyptiaci genium atque indolem vividis characteribus ſibi impreſſum exhibere. Si itaque filiorum ora & oculos parentum ſimillimos, non vanos natalium nuncios habeamus; ex ipſis naturæ Ægyptiacæ quas præfert notis, imaginem illam ex ingeniis purè Ægyptiacis natam facilè convincamus.

Sect. 13.

Occurritur Objectionibus cum ſententiâ noſtrâ de naturâ THUMMIM pugnantibus.

RAtiones quas in medium protuli, Lectorem, niſi hypotheſi alicui ſerviat, facilè perſuaſum faciant, me à genuinâ τῶ *Thummim* naturâ & primâ nominis illius imponendi ratione non multùm aberrâſſe. Nè tamen ullæ ſuperſint de ſententiæ meæ veritate dubitandi cauſæ leviores, quæ Lectoris animo moleſtias ferant, objectionibus nonnullis mihi neceſſariò occurrendum eſt.

Primò. Ad fidem hîc & forſan alibi dictis derogandum objici poſſit, quòd fallacibus *Diodori Siculi*, *Æliani*,

liani, aliorúmve Scriptorum teſtimoniis imprudens nitar; cùm de antiquiſſimis Ægyptiorum moribus, aut rebus, diu ante hiſtoricorum eorum tempora, imò libros fortaſſe ſcriptos, geſtis, judicium ferendum ſit: cùm præſertim veriſimile non ſit Ægyptios, ſub primorum regum ſuorum tempora, moribus tam cultis & elegantibus fuiſſe, quòd imaginem excogitarent eo ſplendore titulóque conſpicuam, ut populo Pontificis & Pontifici ſuiipſius reverentiam incuteret.

Reſpondeo. Horum Hiſtoricorum meritis & communi hominum fidei hoc ſaltem debemus, ut credamus eos de rebus eorum tempora plurimùm ſuperantibus nihil poſteris referre voluiſſe, quod à conſtante apud Ægyptios traditione, vel antiquiſſimis quibuſdam monumentis, (quæ Tempus, maximus librorum helluo, jam devoravit) non accepiſſent. Utcunque ipſe forſan *Diodori* & *Æliani*, de primis illis *Ægypti* moribus teſtantium, authoritatem fide tam pronâ revereri nollem; niſi quòd morum eorum obſcura quædam & fugientia veſtigia in Scripturis ipſis percipiam, & Ratio, Ægyptiorum ingenia ritè æſtimans, facilè judicet eos eandem penè cum ipſo regno Ægyptiaco æram habuiſſe. Nam è ſacro Inſtrumento manifeſtum eſt, Ægyptiis ſuos fuiſſe Sacerdotes diu ante Legem datam, iisque Regem quandoq; ſumptus ad vitam neceſſarios ex publico præbuiſſe, eorum aliquos principum titulum & dignitatem in Ægypto tenuiſſe, adeóque Judicum munera nonnunquam exercuiſſe. *Gen* 47.22.& *cap*.41. 50. Sed & Scriptura Ægyptios moribus tam concinnis & limatis, vel *Joſephi* ſeculo, fuiſſe refert; quòd catenam auream tanquam loci & dignitatis ſummæ indicium clarioris notæ viris geſtandam dederint. Suadet etiam ratio, ut credamus ſummos in regno viros, ſplendido

dido aliquo muneris & virtutis ſuæ ſymbolo conſpicuos, in populum prodiiſſe. Mos enim apud gentes penè omnes non planè barbarus antiquitus inolevit, ut viros qui dignitate ſupra cæteros eminebant, quibuſdam honoris inſignibus (quæ moderni *bullas* vocant) ex adverſo cordis ſuſpenſis, & torquibus aureis donarent, & à fæce Romuli diſtinguerent. De quo Veterum uſu fusè & eruditè diſſeruit jam laudatus *Schefferus Syntagmate ſuo de Torquibus.* Nec minùs *Ægypti* aliarúmque antiquiſſimæ memoriæ gentium moribus genióque conſonum eſt, quòd hiſtorici jam dicti de Pontificis Ægyptiaci bullâ, ἀληθείας titulo inſcriptâ, referunt: nam iis in morem abiit doctrinas ſuas non orationis flumine, ſed verbi aut ſymboli alicujus guttâ tradere.

Primo hoc ictu in irritum cadente, hoc ſecundo forſan me petent adverſarii: Fides non niſi timida & languida *Diodoro Siculo* & *Æliano* tribuenda eſt, eò quòd malè ſecum conſtent & verbis commiſſis veteres *Ægypti* mores referant. Nam *Diodorus Siculus* Pontificis Ægyptiaci ornamentum ζώδιον ἐκ πολυτελῶν λίθων, *ſimulachrum è lapidibus pretioſis*, *Ælianus* verò, ἄγαλμα ἐκ σαπφείρου λίθου, *ſimulachrum è Sapphiro gemmâ* factum aſſerit. Hiſce itaque teſtimoniis minimè innitendum, quæ eâdem operâ quiſpiam collidere poſſit & frangere.

Reſpondeo. Fateor equidem *Diodoro* & *Æliano* diſſidii aliquid intercedere, quum hic Pontificis Ægyptii ornamentum è gemmâ unicâ, ille verò ex pluribus conflatum dixerit. At profectò hiſtorias penè omnes uno difflemus ſpiritu, & in fabularum ordinem abire jubeamus, ſi Hiſtoricis, leviculâ facti alicujus circumſtantiâ ab invicem diſcrepantibus, fidem ſtatim omnem

omnem detrahendam putemus. Neque tamen neceſſe ut Hiſtoricos noſtros pluſquam ſpecie pugnare fateamur: nam amicas ſtatim jungent dextras, ſi *Ælianum* pectoris tantùm ornamentum reſpexiſſe, *Diodorum* verò & gemmas quibus Pontifex Ægyptius fulgebat alias, in ejuſdem cenſûs & tituli communionem vocatas, intellexiſſe aſſeramus.

Tertiò. Objiciet forſan non nemo quòd vox Hebræa *Thummim* & ſenſu & numero ab antiquo illo nomine, quo Pontificis Ægyptiaci ſimulachrum vulgò vocabatur, plurimùm diſſideat: nam *Thummim* perfectiones ſonat, Ἀλήθεια verò *Veritatem*: Vox illa numeri ſecundi eſt, hæc autem ſingularis. Quando itaque voces illæ vix ullâ ſenſûs aut numeri conformitate conjungantur, Hebræorum *Thummim* imagini quam diximus Ægyptiacæ, ceu primo exemplari, originem debere, reclamante ratione aſſerere videamur.

Reſpondeo. Hæc duo vocabula, quanquam diſſidii alicujus ſpeciem præferant, proximâ ſignificationis ſimilitudine conſentiunt: nam Ἀλήθεια, nomen bullæ Ægyptiacæ datum, proculdubio non tam logicè quàm ethicè, de cordis nimirum veritate, id eſt, integritate & ab omni dolo immunitate, (eſſentiali judicis & Sacerdotis ornamento) *Ægypti* doctores myſtici intelligendam propoſuêre. Atque hoc ſenſu vox ea ſæpius in Sacris Literis, juxta loquendi conſuetudinem quæ ſeculis vetuſtiſſimis tenuit, interpretanda venit: ut *Exod.* 18. 21. Ubi *Jethro Moſi* author fuit, ut אנשי אמת *viros veritatis*, id eſt, integros animi ſceleriſque puros, populi judices poneret. Ità ſumitur *Pſal.* 51. 7. *Ecce*, אמת *veritatem voluiſti in renibus.* & *Pſal.* 145. 18. *Propinquus eſt Dominus omnibus invocantibus eum* באמת *in veritate*, id eſt, expo-

nente

nente *Paraphr. Chald.* בקשוט in integritate. Hinc אמת à *DEO* cum cordis rectitudine, 1 *Reg.* 3. 6. & Ἀλήθεια ab Apoſtolo cum εἰλικρινείᾳ *ſinceritate*, tanquam vocabulo ſynonymo, ſociatur. 1 *Cor.* 5. 8. Non ſine causâ itaque LXX vocem illam per δικαιοσύνην exprimunt, *Geneſ.* 24. 49. *Feſ.* 38. 19. & *Heſychius* ἀλήθης per δίκαιος explicat, & S. *Lucas* ei voci ἄδικος opponit. cap. 16. 11. E contrà, more non minùs frequente, vocabulum שקר *mendacium* pro *iniquitate* in Scripturis uſurpatur. Unde obſervavit *R. D. Kimchi* in *Pſal.* 7. 14. hæc tria שקר, עול & און, *idem in ſacris ſignificare, & eſſe* תמורת שנות *dictionum permutatas.* Ideóque שקר, quod *mendacium* denotat, LXX ſæpius ἀδικίαν vertunt. *Jer.* 5. 31. *Lev.* 5. 22. *Job.* 27. 4. *Deuteron.* 19. 18.

Jam verò vocabulum *Thummim* hujuſce rationis mendacio frontem adverſam gerere, & ejuſdem generis veritatem, quam & אמת, id eſt, integritatem, & ab omni injuſtitiâ partiúmve ſtudio immunitatem ſignificare, nullum fugit cui ullus Scripturæ uſus; aut cui vel tenuis literaturæ Hebraicæ afflavit aura. Nam ideo cum *veritate*, tanquam ejuſdem valoris nomine conjunctum occurrit. *Joſh.* 24. 14. *Servite DOMINO* בתמים ובאמת *in integritate & veritate.* Indè etiam vox illa τέλειοι in Novo Teſt. quæ reſpondet Hebræorum תמים, de hominibus intelligitur bonitate verâ & ſincerâ præditis, eâ quæ fit ὀν τῇ ἕξει, non ὀν τῇ δοκεῖν. Non diffitendum tamen Hebræorum *THUMMIM* Ἀληθείας Ægyptiacæ vim & poteſtatem non adeò accuratè & adamuſſim exprimere: nam *DEUS* non minore libertate & (ſi Latini ferent) latitudine uſus eſt, cùm nomen Ægyptiacum (quod multa dies jam delevit) in *Thummim*, quàm

quàm cùm vocem Chaldaicam *Theraphim* in *Urim* permutârit. Cur autem Deus paululùm à nominis Ægyptiaci ſenſu germano, prout & vocis numero, deflexerit; nil hîc attinet dicere: capite ſequente, ubi aptior occaſio ſe offert, dicturi ſumus.

Quartó. Nonnulli forſan ſententiæ noſtræ repugnabunt, quòd nefas habeant exiſtimare *DEUM* ullos *Ægypti* mores, vix ſine piaculo ob ſuperſtitionem peſſimam nominandos, ſacro rituum ſuorum titulo & dignitate augere, & quaſi porcos in templum ſuum admittere voluiſſe. Eos itaque *Jove* æquiore judicare, & veritatem piorúmque aures minùs lædere arbitrantur; qui Ægyptios Pontificis ſui ornamentum & mores plurimos (prout *Prometheus* ignem de cœlo) ab Hebræorum cultu ad luteam religionis ſuæ imaginem animandum furto accepiſſe aſſerunt.

Nullus dubito quin longè plurimi ex cæcâ & ſuperſtitioſâ in ritus à *DEO* inſtitutos reverentiâ, & fide illâ ſupinâ, quâ dogmata vulgò recepta imbibere ſolent, opinioni huic mentes ſuas penitus conſecrârint; Ipſe tamen à me impetrare nunquam potero, ut eorum numerum augeam: nam Ægyptios ſuas habuiſſe formas & ceremonias, quâ ſacras quâ civiles, & ſapientiæ & religionis famâ inclaruiſſe conſtat, diu antequam Lex Moſaica tabulis lapideis mandaretur: nemo autem mihi, nec forſan ſibi, facilè perſuadeat, illum animo tam ingenti populum, vano tantùm & inutili imitandi ſtudio ductum, inſtituta patria à Majoribus accepta, & eorum animis tam altis defixa radicibus, extemplo rejicere voluiſſe, ut ad gentis novæ, fanaticæ (uti viſa eſt) & inter lateres alliúmque natæ mores ſe conformarent; eósque ſibi ſacrorum Magiſtros aſciſcerent, *quorum patres inter gregis ſui canes ponere* haud

ità

ità pridem non dignarentur. Sed si Ægyptii, cæco rerum novarum amore capti, moribus suis tam diu desponsatis libellum repudii mittere in animo unquam habuissent; timidi procul dubio regum suorum animi, (quibus res novæ, circa sacra præsertim, semper suspectæ) impedimento fuissent, quò minùs ad peregrinos Hebræorum ritus se recipere potuissent. Deinde, si levato antiquitatis obscurioris velo, gentium omnium ritus oculis vigilantibus intueamur; Ægyptios & Hebræos, præ omnibus aliis, moribus simillimos fuisse reperiamus. Neque hoc *Kircherum* fefellit; prout è verbis illis in *Prodr. Agonist.* cap. 2. satis pateat: *Hebræi tantam habent ad ritus, sacrificia, cæremonias, sacras disciplinas Ægyptiorum affinitatem, ut vel Ægyptios Hebraïzantes, vel Hebræos Ægyptizantes fuisse mihi planè persuadeam.* Affinitas autem illa in causâ forsan erat, quòd apud Romanos *simul actum de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis*; referente *Tacito*, Annal. l. 2. At nova religio unde Ægyptios isthæc inceſſit, cedò, ut illi, pluſquam cæteri in confiniis populi, Hebræorum mores tam sanctè colerent & studiosè exprimerent? Unde factum quòd Ægyptii & Hebræi, animis, legibus, linguis, toto cœlo, ab invicem separati, in morum tam similium usum conspirarent? Ad nodum tam perplexum expediendum, ipse id unum dicendum arbitror; quòd *DEUS* mores plurimos, pompâ præsertim aliquâ allicientes, Israëlitis suis, profanis *Ægypti* orgiis ante multos annos initiatis, conservârit: nè cultûs divini tædium animis suis obreperet, si speciosam illam elegantiæ & ornatûs splendidissimi scenam, quæ oculos suos in *Ægypto* perculsit, in religione patriâ vel ex parte desiderarent.

Quintò. Ad ſententiam meam à fundamento everſi tendam, dici poſſit, quòd illa morum & ornamentorum ſacerdotalium communio, quâ Ægyptii olim & Iſraëlitæ, pluſquam cæteræ gentes, conciliati videbantur; non divinæ συγκαταβάσεως ſed Diaboli ſolertiæ tribuenda ſit. Nempe Diabolus *DEI* ſimia nullo non ævo habitus eſt, qui furto ſurripuit & ad ſua tranſtulit, quicquid in *DEI* inſtitutis prior obſervavit: ut, prout ipſe *DEI*, ità & cultus ſuus *Divini*, titulum & fidem obtineret. Ideóque minimè neceſſe eſt, ut ritus aliquos è mediâ hauſtos idololatriâ, & in ſacrorum divinorum catalogum relatos, ad conſenſûs hujuſce rationem reddendam, ſomniemus.

Probè novi, illud è tonſtrinâ dictum, *Diabolus eſt Dei ſimia*, multò plurimos non aliter quàm ut Oraculo miſſum accipere ſolere; at quàm vanum & à vero alienum ſit, facilè percipiat quiſpiam, qui plurima illa Legis inſtituta recolat, quorum nè rudiores lineas & umbellas in totâ rituum ethnicorum farragine reperiamus: quæ tamen omnia eâdem operâ, quâ ulla alia, templis ſuis donare potuit Diabolus; & voluit ſanè, ſi cultum ex divino per omnia ornatum tanti habuiſſet. Præterea, ſi Diabolus *DEI* inſtituta tanquam cultûs ſui exemplar & ſpeculum ante oculos ſemper habuiſſet; ipſe proculdubio ritus ſuos veteres è veſtigio permutâſſet, cùm Deus leges aliquas iis è regione pugnantes tradidiſſet. Deinde, quas nuces, quid commodi captare poterat Diabolus (qui cuncta ex uſu agit) modò ſimia fuiſſet, & ſeſe ad cultûs divini imitationem tam ſedulò compoſuiſſet? Si quid ipſe video, illius magìs intererat, planè diverſas cultûs ſui ceremonias inſtituere; ut per eas, tanquam proprios characteres, greges ſui ab ovibus *Paſtoris Iſraëlis* diſtinguerentur.

guerentur. Neque credibile est Diabolum cultum divino simílem, ut vanitati & fastui inutili litaret, ambire voluisse: proculdubio non adeò delirat vetus serpens.

Sextò. Et hæc forsan Objectio sententiam nostram vexabit, eámque vanitatis suspicione alligabit: Hebræorum *Thummim* & adjunctum *Urim* arcano Pectoralis duplo recondita jacuêre, & ab illius gemmis, ignes suos latè projicientibus, novam sibi dignitatem & reverentiam accepêre: dùm Sapphirus illa, quam dixi, Ægyptiaca vulgi oculis pateret, nec novâ à gemmarum sociarum radiis mutuatâ luce & pompâ effulgeret. Cùm itaque Hebræorum *Thummim* & Ægyptiorum ἄγαλμα formas tam diversas præferant, ea nullâ affinitate conjuncta, sed genere prorsus dissimili oriunda esse, facilè conjiciamus.

At non opus est ut discriminis tantilli causâ de sententiâ tot argumentis firmatâ decedamus: cùm præsertim operis haud adeò molesti fuerit discriminis hujusce rationes speciosas afferre. Nam (1°.) Gemmæ illæ non tam *Thummim* quàm *Urim* gratiâ, Pectorali, (Oraculi divini sedi) accessisse censeantur: cùm enim vaniloquæ gentium imagines iis quandoque gemmis radiarent, quibus intuentium oculos religioso quodam horrore perfunderent; commodum & consentaneum erat ut gemmæ plurimæ, oculos jubare masculo ferientes, Pectorale illuminarent, ut Oraculum divinum non minùs splendore quàm veritate fatidica *Ægypti* simulachra superaret. Veritatis hujusce gemmam, quamvis radio subobscuro emicantem, in *Philonis* jam sæpius memorati fabularum sterquilinio forsan offendere possimus. Nam ille, *Antiquit. Biblic. libro*, vitos de Tribu *Asser*, peccata in *Ægypto* admissa, hâc

humili confeſſione expiâſſe refert. *Nos invenimus ſimulachra illa aurea, quæ vocabant Amorrhæi ſanctas Nymphas, & auferentes eas cum precioſiſſimis lapidibus, qui ſuperpoſiti erant eis, abſcondimus illa*, &c. Et poſt pauca, Deum in hæc verba *Kenaz* alloquentem introducit: *Angelo meo præcipiam & accipiet mihi duodecim lapides ex eo loco unde ablati ſunt iſti ſeptem, quos tu accipiens, pones eos ſuper Epomiden — in logio ſanctificabis eos:* quibus verbis innuit gemmas illas quæ prophetiças gentium imagines illuſtrârunt, primam Pectoralis gemmis occaſionem præbuiſſe. Sed fortaſſe *Philonem* illum, ut nugacem, Judaïcum, & nullius fidei ſcriptorem, non pauci repudiabunt. Addo itaque (2°.) E *Diodori Siculi* & *Æliani* teſtimoniis ſimul collatis colligere licet, non Sapphirum tantùm ſed & gemmas alias Pontifici Ægyptio decus & nitorem addidiſſe: ideoque & *DEO* forſan viſum eſt, Pontificis ſui Pectus, non tantùm inſigni illo, *Thummim* appellato, ſed & gemmis tam auguſtam ſpeciem offerentibus diſtinguere & decorare; nè aliter Pontifici Ægyptio in ornatûs ſui elegantiâ & ſplendore cedere crederetur. Sed malè metuo nè harum conjecturarum ſatietas Lectorem jam teneat.

Septimó. Dici poſſit, Scripturam ipſam ſententiæ meæ fundamenta convellere: nam legimus *Nehem.* 7. 65. Sacerdotes quoſdam ſacrorum communione interdictos, *quoad ſtaret Sacerdos cum Urim & Thummim:* qui ſcilicet oraculo ex utriſque miſſo dubium de eorum natalibus ortum determinaret. At Argumentum illud aërem, non me ferit: nam textus ille probet forſan Pontificis Oraculum lites omnes circa res ſacras olim compoſuiſſe, & populum ſub Templo ſecundo Sacerdotem qui *Urim* & *Thummim*

mim in ornamentis haberet expectâſſe: at malè conſtat indè *DEUM* Oraculo ſuo utentibus non minùs per *Thummim* quàm *Urim* reſpondiſſe.

CAP. V.

De ratione nominum, Urim & Thummim

NAturam & Originem אורים *Urim* & *Thummim*, quatenus per creperam & dubiam Scripturæ, hiſtoriæ, & rationis lucem percipere conceſſum, dilucidè jam expedivi. Monet jam promiſſi quo teneor fides, & provinciæ durioris ratio, ut nominum eorum rationibus eruendis operam ſeriam & religioſam impendam.

Cùm autem genuina nominum ipſorum ſignificatio, ſit certiſſima illa (poſt rerum naturam jam perſpectam) ſcientiæ clavis, quâ reconditas adhuc appellationum earum rationes referare poſſimus; par eſt ut per eorum explicationem breviuſculam aditum nobis ad ſequentia facilem & inoffenſum faciamus.

Ut itaque ab *Urim* auſpicemur, certum eſt vocem illam, modò ad primam illius intentionem attendamus, non tam *lumina* quàm *ignes* denotare: eo enim ſenſu, vox ſingularis אור, unde ortum habet, uſurpatur, *Iſa.* 44. 16. & *cap.* 50. 11. ſenſum etiam germanum vox hæc pluralis fundit, *Iſa.* 24. 15. *Laudate Dominum* באורים *in ignibus*; ità enim verbum exponit *Buxtorfius*, Lexic. parv. p. 12. & cum eo concordiam colit verſio noſtra Anglicana, Glorifie ye the Lord in the fires. Eundem huic voci ſenſum vindicant verſionis Perſicæ & Arabicæ Authores: qui locum illum 1 *Sam.* 28. 6. ubi *Urim* occurrit, in hunc modum, linguâ mutatâ,

transferunt; *Deus non respondit ei vel per somnia vel per ignes.* Hanc vocabuli illius potestatem notavit & *Vatablus* in *Exod.* 28. 30. ubi ait *Urim significare illuminationes seu ignes.* Interea minimè tacendum vocem hanc sensus quasi gemellos ferre: nam *ignes* quidem propriè, impropriè verò & per metonymiam effecti, *lumina* denotat; eò quòd ignes sint lucis ὀχήματα sive δοχεῖα· unde & vox *Urim* נהורין lumen redditur à *Chald. Paraphr.* Jes. 24. 15. Circa verum vocis alterius sensum litem haud adeò gravem moveri video: quamvis enim Interpretes à genuinâ vocis *Urim* potestate deflectant sæpiùs, pauci tamen sunt qui à vocabuli *Thummim* scopo & sensu aberrant, & illud per *perfectiones* vel *integritates* exprimendum non sentiant. Si quis me vim nominum eorum veritate parùm integrâ retulisse putet, provoco ad omnia Lexica Ebræorum, Christianorum, Protestantium & Pontificiorum, quæ fidem meam satis liberabunt. Quibus omnibus, sigilli loco, accedat *Buxtorfii* testimonium, Hist. Urim. cap. 2. *Ad nomina quod attinet,* אורים *Urim significat ignes vel luces, nec de eo vel dubitatio vel disceptatio:* תמים *Thummim, perfectiones, integritates, à singulari* תום & radice תמם *integrum, perfectum esse.*

Nugis hisce grammaticis tam diu immorari, non tanti esset, nisi quòd ad seria ducant; & quòd voces hasce equuleum sæpius pati videam, eásque interpretes in sensum alienum imprudentes torquere. Inter eos verò vulgatum interpretem, & quos sibi devinxit asseclas, Pontificios, vocabula illa non immeritò vis illatæ postulare possint; dum ea *Veritatem* & *Doctrinam*, sibilantibus penè Magistrorum pueris, interpretantur. Utcunque interpretationis illius studio usque eò flagravit *Bellarminus* quòd asserere non dubitaverit *plus tribuendum*

dum esse Hieronymo, qui doctrinam *vertit &* veritatem, *&* τοῖς *LXX, qui verterunt* δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *quàm Judæis & Judaïzantibus.* Sed instituti recordatio aurem vellit.

Cùm jam nominum eorum significationes veras & ex ipso fonte haustas habeamus; nodus ille non indignus vindice occurrit, cur *DEO* Pectoralis icunculas titulis illis, *Urim* & *Thummim*, insignire visum fuerit?

Sect. I.

Quorundam sententiæ de nominum ratione ad examen vocantur.

CUm de oraculis vivâ voce traditis sola Ecclesia Judaïca gloriari potuerit; Judæos de Oraculo nostro, utpote primâ gentis suæ gloriâ, attentiùs cogitâsse, & intimiorem illius scientiam, vel traditione fideli vel altiore Scripturarum indagine, adeptos fuisse, facilè sentiamus. Cùm itaque dubium tam perplexum & involutum animos nostros jam exerceat & suspensos habeat, par est ut responsum à Judæorum tripode expectemus, & ad eorum de harum appellationum ratione sensum mentes primò attendamus. Sentiunt autem eorum doctores Talmudici, & cum iis nec pauca nec obscura capita, sacra illa Pectoralis organa (qualiacunque fuerint) vel divinas indicationes eorum interventu factas, ideo אוּרִים id est *Lumina* dicta fuisse, שהן מאירין לישראל *quia illuminarent Israëlem*; hoc est Israëlitæ in rebus obscuris & humana consilia superantibus, responsum divinum veluti doctorem dubitantium indè acciperent: תֻּמִּים verò vel *perfectiones* שהן מתימין לפניהם את הדרך *quia coram illis perficerent viam suam*: hoc est (ni me ludant

dant voces subobscuræ) Israëlitis, quasi in bivio sæpius hærentibus, viam illam rectam & tutam, quâ incedere debebant, indicârunt. Opinione, huic non multùm dissimili, *Jonathanem* Chaldæum Paraphrastam ductum fuisse, pateat è *Cap.* 28. *Exod. com.* 30. ab eo in hunc modum explicato; ותתן בחשן דינא ית אוריא &c. *Et indes Pectorali judicii* Urim *quæ illuminant verba ipsorum, & revelant occulta domûs filiorum Israëlis: &* Thummim *quæ perficiunt operibus suis sacerdotem magnum, qui per ea quærit doctrinam à Domino.*

At certè fides illis Judæorum magistris, fumum non rarò vendentibus, non nisi lentè admodum & fidejussore aliquo astante, tribuenda est. Nempe eorum penè omnia anilibus fabulis & figmentis audacibus scatere, ante multa secula prudens sciénsque pronunciavit [a] *Origenes.* In eorum classem horum nominum rationes à Talmudistis redditas referre non dubitemus: nam (1°.) Minimè affine est vero, *DEUM* tam operosè nihil agere voluisse, (adsit verbis reverentia) ut tam speciosa & significationis tam amplæ nomina Pectoralis organis aut responsis impertiret, quò rem vulgarem adeo & cuivis è postremâ plebe perspectam indicaret; quòd scilicet Oraculum suum consulentes illuminaret & recta facere doceret: quasi legis divinæ typi & figuræ, ad instar hieroglyphicorum *Ægypti*, multâ cum pompâ & negotio, & per speciem mysterii alicujus sacratioris, rem aliquam lippis notam & tonsoribus traderent. (2°) Constet è Scripturis *DEUM* inclyta illa Pectoralis ornamenta nominibus illis *Urim* & *Thummim* affecisse, cùm ea in Pectorali nondum posuisset *Moses*, vel lumen

[a] Ἔστιν ἀληθῶς ἰδεῖν πάντα μὲν τὰ Ἰουδαίων τῶν νῦν μυθοῦς καὶ λήρους. l. 2. cont. Cels. p. 60.

men mentis & viæ ſuæ perficiendæ rationes indè accepiſſet populus. *Exod.* 28. 30. (3°) Nomen illud *Thummim* planè redundans foret & otioſum, ſi rationi nominum Talmudicæ quid ſani ineſſet: quid enim opus eſſet monere, Iſraëlitas viam ſuam juxta Oraculi reſponſa perficere ſolitos; cùm Deum eo tantùm fine lumen indè præbuiſſe & populum eo tantùm animo illud petiîſſe, ut viam rectam & tutam inirent, neceſſariò ſupponendum ſit? (4°.) Hypotheſis Talmudica (ut cum ſeculo loquar) nec nominum eorum formam nec ſenſum explicat. Si enim eo tantùm conſilio nomina illa inderentur, quòd Iſraëlitæ mentis lumen & viæ perfectionem ab Oraculo Pectoralis petierint; ratio nulla apparet cur *DEUS* vocibus pluralibus, quarum una abſtracta eſt, altera *ignes* ſignificat, ad rem tam tritam & vocum earum ſenſui & formæ grammaticali parùm conſentaneam indicandum uteretur. (5°) Sententiæ Talmudicæ forma ſatis illius materiam vanitatis arguere cenſeatur: cujus enim aures, modò paululùm molles & delicatas, non lædunt duriores iſtæ & ſoni malè grati voces, *quia coram ipſis perficiebant viam ſuam?* cui non videntur ultima & miſera hominum effugia ab ignorantiæ opprobrio ſeſe vindicare laborantium? quid eſt quòd ſententiam verbis tam incerti ſenſûs & captum penè fugientibus involvunt, niſi ut ipſi, more ſepiarum colore fuſco aquas tingentium, non irretiti elabantur; & homines non mali credant, ſe myſterii cujuſdam divini *Junonem* in craſſiore illâ verborum nube amplexari? Hanc itaque Talmudicorum ſententiam, in quâ nec δήλωσιν nec ἀλήθειαν reperire poſſimus, non immeritò rejiciamus.

Proximum eſt ut opinionem illam de nominum eorum ratione, quæ tot ſeculorum fidem ſecura tenuit, bene

bene libratâ rationis ſtaterâ expendamus. Quamplurimi ſcilicet exiſtimârunt nomina illa *Urim* & *Thummim* Pectoralis icunculis adhæſiſſe, eò quòd reſponſa indè data, *lucida* vel *perſpicua*, & *perfecta* id eſt vera & certa fuerint: unde *DEI* oracula à Diaboli reſponſis, obſcuritatis aut falſitatis vitio ſemper notatis, clarè diſtinguerentur. Hanc autem de nominum eorum ratione ſententiam veterum quorundam animis penitùs inſitam fuiſſe, ſatis teſtantur eorum monumenta. Nam Author *Eccleſiaſtici*, cap. 45. 17. ubi ornamentorum Sacerdotis Summi numerum init, pectoris ſui nitorem, verbis hanc nominum rationem ratam facientibus, depingit; dicens, *induiſti eum* λογείῳ κρίσεως, δήλοις ἀληθείας, i. e. *Pectorali judicii & manifeſtationibus veritatis*. Samaritanus etiam, voces illas, *Elucidationes* & *Perfectiones* reddit; Arabs, *Dilucidationes* & *certitudines*; Syrus, *Lucidum & Perfectum*; LXX etiam *Urim* & *Thummim* Δήλωσιν & Ἀλήθειαν vocant. Quòd autem Interpretes illi aliíque à veritate Hebraïcâ tot paſſibus receſſerint, & voces eas in ſenſũ non ſuũ torſerint: hoc præcipuè in causâ fuiſſe videtur: illi utraſque Pectoralis icunculas, ex ordinatione divinâ, virtute δηλώσεως & docendæ ἀληθείας præditas fuiſſe, atque indè tantùm nomina traxiſſe, pro certo habuêre.

Ut opinionis hujuſce famam & fidem minuam, minimè neceſſe eſt ut ſummâ ope multísque rationibus contendam: non tantùm quòd teſtimoniis quibuſdam innitatur, argumentis autem nullis; ſed quoniam tituli illi *Urim* & *Thummim* (modò eorum interpretationem ad genuinam vocum ſignificationem exigamus) nec oraculis editis, nec edendi inſtrumentis convenire poſſint. Quicunque enim literaturam Hebraïcam à primo

primo, quod aiunt, limine ſalutavit, ſat novit *Urim* non tam *lumina* quàm *ignes* ſonare, & *Thummim* non *veritatem*, illam quam opinionis hujuſce patroni intelligunt, ſed *perfectiones* denotare. Unde patet voces illas nec de lapidibus Pectoralis, nec reſponſis divinis, nec rebus aliis, præter eas quas ſtatim dicemus, intelligi poſſe; niſi quiſpiam eas à ſenſu ſuo nativo atque obvio, ut hominum placitis inſerviant, vel invitas trahat.

Non immeritò itaque Cl. noſter *Medus* aliâ ſibi vaccâ arandum duxit, ut horum nominum ænigmata, rationes obſcuriores, ſolveret & expediret. Nam ille, poſtquam plurimas doctorum ſententias de Oraculi hujuſce naturâ & tradendi ratione enumerâſſet, quid ſibi viſum eſſet paucis refert, quæ è linguâ patriâ in Latinam tranſtuli. "Si quid ipſe ſentiam effari licuerit, "dixerim *Urim* & *Thummim* duplicis generis Oraculum fuiſſe, & uſui duplici inſerviſſe: & quòd *Urim* "Oraculum illud fuerit vel Oraculi pars, quâ Deus "reſponſa dedit in arduis & dubiis vitæ caſibus Illum "conſulentibus. *Urim* autem vel *Lumina* ideo dicebatur, quoniam ſicut ignorantia quædam quaſi mentis tenebræ, ità quælibet ſcientia quædam illuſtrationis vel illuminationis ſpecies ſit: unde & quod "ſcientiam illam affert, lumen meritò appelletur, "quòd mentis tenebras pellat. *Thummim* verò Oraculum illud vel medium fuerat, quo Sacerdos Summus certior factus erat an *Deus* immolatam hoſtiam "æqui boníq; conſuleret necne. Ideo autem *Thummim* "nomen habuit, id eſt, *integritates* vel *perfectiones*; "quoniam illi quorum ſacrificia Deo grata acceſsêre, "*Thummim*, id eſt, *Juſti* & *Perfecti* in conſpectu "*DEI* habiti ſint. — Sine dubio enim Patriarchis

"&

"& Eccleſiæ ſub Lege, medium aliquod ordinarium "fuit quo cognoſcerent, quando *DEUS* eorum ſa-"crificia grata & accepta haberet, &c.

Modò hiſce omnibus ad examen vocandis impenſiùs incumberem, malè metuo nè læſæ nimis patientiæ actionem mihi intendat Lector: cùm opinio illa de origine nominis *Thummim* (quod ſalvâ tanti nominis reverentiâ dictum velim) conjecturâ debili nitatur, nec minimâ Scripturæ aut rationis umbrâ protegatur. Nam Deum quandoque per ἔμπυρισμὸν, nunquam per Oraculum favoris ſui teſtimonium ſacrificiis præbuiſſe legimus: nec certè opus erat oraculo cœlitus emiſſo, quod perſonam ſacrificantem ſingularem apud Deum gratiam iniîſſe, aut ſacrificium Ei gratum fuiſſe teſtaretur; cum præſtò ſemper eſſent perſonæ & ſacrificii apud *Deum* accepti characteres in Lege traditi, non minùs fidi, ubi aderant, favoris divini indices. Deinde, ſi Oraculum aliquod, lætus arcani hujuſce nuncius, ævis vetuſtiſſimis extiterit; illud potiùs clariore *Urim* nomine inſcribi meruit, cùm homines gratiæ divinæ indicia & teſtimonia, in lucro maximo ponenda, illi accepta debuerint. Neque ad ſententiam Viri optimi ſuffulciendum ſat virium habet obſervatio illa, quòd cùm de *DEO* per *Ephod* conſulendo in Scripturis agatur, de *Urim* ſolummodo occurrat mentio: illius enim rei rationes, ab ipsâ τῇ *Thummim* naturâ deſumptas, jam dedi antea; me verò earum denuò memoriam repetere, Lectorum quorundam faſtidientium deliciæ minimè patientur.

Plurimis aliis argumentis hanc aliásque de nominum ratione ſententias, non minùs à veritate quàm ſemetipſis diſtare, probare poſſum: ea tamen miſſa facio, non ſolùm quoniam ea ſit victrix veritatis evidentia, quòd

quòd vel nudâ ſuâ præſentiâ, ad morem lucis, errorum tenebras fugare ſoleat; ſed quia hoc ſit earum omnium πρῶτον ψεῦδος, quòd nomina hæc claris illis Pectoralis inſtrumentis, cùm reſpectu tantùm ad oracula indè data, tribuerentur. Quò itaque ſententias omnes de nominum horum ratione ſcriptis mandatas, quas mihi hactenus vidiſſe contigit, uno conatu ab imis fundamentis ſubruam; palàm & apertè probaturus ſum, eorum rationes non adeò è trivio petendas eſſe; Deúmque majora longè ante oculos habuiſſe, quàm vulgus hominum ſentit, cùm, miſſo antiquo vocabulo *Theraphim*, *Urim* in illius locum ſuppoſuerit.

Sect. 2.

Primariæ nominum rationes proponuntur & probantur.

NAturam אורים *Urim* & *Thummim* rem cumprimis obſcuram, &, mundi ad inſtar, hominum tantùm diſputationibus & conjecturis cæcis traditam, Scriptores plerique omnes hactenus credidêre: ſed nominum rationem, ſcirpum ſine nodo, rem obviam & minimo cum negotio expediendam eſſe, ſe facilè perſuaſos habuêre. Ideoque circa rerum earum naturas ſudore multo perfuſi laborârunt; at in Argumento quod nos occupatos jam habet, nimis ſecurè ſe geſsêre, & illud vix in primas ſuas cogitationes admiſſum, quaſi materiam ingeniis ſuis minorem præterière. At profectò rem aliter ſe habere atque illi ſenſerint, ſatis ipſi docuêre; quos longiùs à genuinis nominum rationibus, quàm rerum ipſarum naturis aberrâſſe conſtabit, ſi eorum cauſis, quas multâ caligine longa obſepſit vetuſtas, lucem aliquando afferamus.

Nè

Nè verò plura de Argumenti noſtri obſcuritate, & erroribus in quibus alii verſati ſunt, verba faciens, honori tantùm proprio velificari, & acuminis alicujus egregii famam, quam reſpuo, aucupari videar, aut Lectori rationes meas avidè forſan expetenti, verborum ambagibus nauſeam aut bilem moveam; ſententiam, cui animum adjeci meum, paucis dabo.

DEUS, ob duplicis generis rationes, (ni Veritas mihi parùm propitia fuerit) *primarias* nempe & *ſecundarias*, Pectoralis inſtrumenta titulis illis, *Urim* & *Thummim*, deſignari voluit.

Rationes illas quò diſtinctiùs exequar, à nomine *Urim*, cui Scriptura locum primum reſervare ſolet, initium capiam. Hujus autem appellationis Pectoralis Oraculo inditæ rationes, quas *primarias* voco, duas ſtatuendas cenſui. Earum prima ſic habet; *Urim nomen erat quod Angelis, & proinde Pectoralis inſtrumento unde DEI nomine & vice reſponſa præbuêre, aptiſſimè convenire potuit.* Nè Lectori meo verba tantùm jam dediſſe videar, tribus hiſce *theſibus*, è quibus ratio illa conflata eſt, fidem conciliare conabor.

(1°.) Nomen *Urim*, quocunque ſenſu accipiamus, Angelis apprime conveniens erat & accommodatum.

(2°.) Angeli, Dei nomine agentes, è Pectoralis inſtrumento, Illius conſilia annunciârunt.

(3°.) Rei hujuſce gratiâ, ipſum Pectoralis Oraculum appellationem illam Angelicam *Urim* ſortitum fuit.

Nil opus eſt, ut *Theſis* illa prima multum nobis negotii afferat, cùm ſatis innoteſcat nomen *Urim*, ſive pro *luminibus*, ſive pro *ignibus* accipiamus, Angelorum naturam feliciter interpretari, eíque concinnè convenire. Sunt enim Angeli (modò *Urim* lumina reddamus)

reddamus) primogeniti lucis filii, ἄγγελοι φωτὸς, Primarii secundùm Deum lucis inaccessæ incolæ, stellæ matutinæ, quarum societati *Lucifer* olim ascriptus fuit. Sunt etiam Apostoli Dei, quorum ministerio mundus scientiæ divinæ & [a] humanæ lumen acceptum habet. Si verò per *ignes* vocem illam *Urim* interpretemur, titulus ille cœlesti hierarchiæ non minùs aptè congruat & affigatur. Nam

[a] Οὐκὰν ὁ λόγος scil. Christus, ὁ φῶς ὢν τοῖς Ἕλλησι καὶ φωτοφόρος ἄγγελος ἐκεῖ· καὶ πεδίον ἔφησεν, Ἀγγέλων. *Clem. Al.* x.

Primò. Titulus ille aliquid conjunctum habet & consentiens cum aliis epithetis & symbolis quibus Angeli passim in sacris descripti veniunt: Eos enim Deus *ignem flammantem* fecisse dicitur, *Psal.* 104. 8. quæ verba mentem & sensum vocis *Urim* adamussim exprimunt. Appellantur etiam שרפים עירים *Jes.* 6. 2. *Urentes illi qui stant coram Deo*; & אבני אש *lapides ignei*, Ezech. 28. 14. nisi veterum quorundam errore mihi errare contigerit. Sæpius etiam in sacris oraculis, *ignis* Angelorum symbolum & figura statuitur: nempe *Apoc.* 4. 5. *Vidi septem lampades coram throno, quæ sunt septem spiritus Dei:* ubi per *septem* utpote numerum propheticum, vel omnes Angeli, vel saltem שרים המלאכים *principes primarii*, qui dicuntur, *Dan.* 10. intelligendi sunt. Deinde, cùm opus illud arduum Judæis peragendum incumberet, ut Dei templum integritati pristinæ restituerent; per *septem aurei candelabri lampades*, Angelos, operis sacri præsides, repræsentatos habemus, *Zach.* 4. 2, 10. Sed & *fluvium* illum *ignem* apud *Danielem*, cap. 7. com. 10. Ordinis Angelici figuram esse contendit *Jachiades*; sic textum explicans והוא עילם המלאכים נגר *Iste*, fluvius scilicet igneus, *est mundus Angelorum, qui thronum portant & ministrant DEO.*

Secundò.

Secundò. Angeli, sub prima mundi secula, specie igneâ se conspiciendos & alloquendos hominibus frequenter dedêre. Nam animalia illa in *Ezechielis* visione, quæ communis Interpretum fides ut prophetica Angelorum imagines recipit, aspectum præbuisse dicuntur, *veluti prunarum ignis ardentium:* Cap. 1. 13. & *abiisse & rediisse secundùm aspectum fulguris*, cap. 14. De Angelo etiam qui *Danieli* apparuit, dicitur, quòd *facies ejus velut aspectus fulguris* fuerit, *& oculi ejus ut lampades ignis.* Dan. 10. 6. *Elisha* etiam Angeli sui tutelares sub formâ *curruum & equorum igneorum* se illi conspiciendos præbuêre; 2 *Reg.* 6. 17. Eandem formam Exercitus illi cœlestes *Eliæ* visi induebant. 2 *Reg.* 2. 11. Ab Angelo utrique *Mariæ* viso ignis cujusdam imperiosi & terrorem inferentis effulsit splendor: *Mat.* 28. 3. nam, inquit textus, ὧν ἡ ἰδέα ἀστραπή. Alia apparitionum similium exempla, in Veteris præcipuè Test. scriptis se passim legenti dabunt. Nam species illæ flammeæ, ad animos percellendos aptæ, non tantùm naturæ angelicæ sed Oeconomiæ Mosaicæ, quæ ad terrorem & pædagogi tristitiam tota componebatur, magis consonæ fuerant & accommodatæ.

Tertiò. Angelus aliquis è Pectoralis Oraculo, Dei nomine & vice, consilia & mandata sua omnia (quod statim ostendimus) populo semper annunciavit. At è Scripturis Angelorum antiquitus apparentium formas referentibus satis innotescat, Angelos, cùm *DEI* personam nomenque tulerint, aut ejus responsa dederint, specie quâdam flammeâ hominibus plurimùm apparuisse. Nam Angelus, *Jehovæ* titulo ornatus, *Exod.* 14. quem populo ad terram promissam contendenti viæ ducem & præsidem posuisset *DEUS*, in

columnâ

columnâ igneâ delituisse dicitur. ver. 19. 24. Cœlestem illum Legatum, qui *Mosen* Dei nomine allocutus est, *Exod.* 3. Scriptura ἐν φλογὶ πυρὸς *in flammâ ignis* ei apparuisse asserit, *Act.* 7. 30. Angelus etiam, cujus ministerio Deus Legem è *Sinai* dedit, & quem nominis sui dignitate cohonestavit, speciem tantùm flammeam populo spectanti obtulit. Hinc & φλὸξ νομοθετοῦσα *flamma legifera*, cum plurimis aliis quibus Hebræorum natio inclaruit miris, à Concilio *Nicæno* numeratur. P.1.lib.1.cap.4. Ignearum earum formarum, quas Angeli, Dei consilia referentes, hominum oculis antiquitus objecêre, famam ad ethnicos tandem permanâsse, ex oraculo illo *Zoroastris* apud *Psellum* intelligamus: Ἥνικα βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐ ἱερὸν πῦρ, λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλον κατὰ βένθεα κόσμου, κλῦθι πυρὸς φωνὴν· i. e. *Quando videris absque formâ sacrosanctum ignem, lucentem exultando totum per mundi profunda, Audi ignis vocem.* Ubi *agit oraculum*, ni fallat Psellus, *de divino igne à plurimis hominibus sacris conspecto*, à *Mose* nempe in rubo & *Eliâ* in cœlum rapto, aliisque. Cùm itaq; (ut institutum repetam) Angeli, *DEI* personam sibi impositam sustinentes, sub augustâ ignis flammantis formâ se videndos dederint, ut *DEI*, cujus locum pro tempore tenuêre, naturam eximiam decorè & concinnè redderent; & certum sit Angelos, *DEI* vicem gerentes, è Pectoralis Oraculo responsa olim reddidisse; perspicuum est nomen illud *URIM*, *ignem flammantem* notans, Angelis, saltem prout Oraculi divini Ministris, appositè convenire.

Quartó. Titulus ille *Urim* conceptum & imaginem naturæ Angelicæ perfectissimum forsan, cujus, corporis fæcibus immersi, capaces sumus, mentibus nostris in-

gerit. Nam igne, flammante præſertim, nihil ſimplicius, ſplendidius nihil, nihil à craſsâ & vili rerum aliarum ſorte remotius, aut figuræ determinatæ magis expers, nihil corporum cœleſtium conditionem propiore affinitate attingens, nihil agendi facultate nobiliore pollens capit hæc mortalium regio. Unde quiſpiam intelligat, quàm intimo conſenſu Ignis flammantis & Angelorum naturæ ſibi mutuò devinctæ ſint, & quàm vividam & expreſſam naturæ Angelicæ imaginem ignes flammantes menti inferant: ideóque res nullas, quibus nomen *Urim* tam commodè quàm Angelis tribui, aut de quibus majore cum veri ſpecie intelligi queat, in totâ rerum compage reperiamus.

Quintò. Totius veterum Judæorum, Chriſtianorum & Gentilium coronæ eruditæ ſuffragio affirmatum eſt, titulum *Urim* naturam Angelicam, ante alias omnes, feliciter exprimere, & cum eâ valde conſentire. Nam Veteres Judæi videntur ſenſiſſe Angelos, quà bonos quà malos, ità eſſe ſpiritus, ut non ſint prorſus immateriati, ſed ex materiâ quâdam igneâ conſtare: Cujus ſententiæ evanida quædam veſtigia percipiamus in *Eſdræ* ſcriptis, lib. 2. cap. 5. com. 20. ubi nomine illo Ουριὴλ, i. e. *Ignes* vel *Lumina* Dei, unus è cœleſtibus illis incolis, notatus venit: & in fragmento illo vetuſtiſſimo *libri Enoch* (eum enim titulum præfert) à *Scaligero* & *Kirchero* in lucem miſſo: ubi Ουριὴλ in Archangelorum ſortem & ſocietatem evehitur, & primus ante omnes ad *Lamechi* filium miſſus dicitur. Eadem opinio forſan *Chald. Paraphr.* mentem imbuit, qui verba illa, *Pſalm.* 68. 18. (*Currus Dei viginti mille*) de Angelis dicta, in hunc modum interpretatur; *Currus Dei duæ myriades ignis ardentis.* Et vero proximum eſt, primogenitum illum

mendaciorum

mendaciorum patris filium, eandem fidem à Judæo illo, quo præceptore uſus eſt, hauſiſſe, & in Alcoranum ſuum tranſcripſiſſe. Ait enim, *Azoar.* 25. *Deum revelâſſe Angelis hominis de luto formationem, & ſtatim atque animæ ſuæ portionem ei inſufflâſſet, omnes Angelos præter Beelzebub, Deo ità jubente, hominem adorâſſe: Deum autẽ Diabolum interrogâſſe cur opus manuum ſuarum adorare recuſaret? quia, inquit, eum de luto cænóque nigro, me verò ex igne creâſti.* Cramben illam recoquit *Azoar.* 65. Ab eâdem opinione veteres quoſdam Chriſtianos non multùm abfuiſſe conſtat: nam *Severianus* Homil. 1. de Opificio mundi, Angelos *ignes* eſſe dicit: Οὐ γὰρ μόνον, inquit, τοῦτο τὸ πῦρ ὄζιν, ἀλλὰ καὶ αἱ ἄνω δυναμεις πῦρ εἰσι, καὶ συζηνές ὄζιν τὸ ἄνω πῦρ τῷ παρ' ἡμῖν. *Plato* etiam (ut alios è Gentilium ſcholis taceam) Deos ſuos, Angelos malos, *ignes* eſſe decrevit, utì author eſt *Laërtius* in *Platone* & *Ariſtotele.* Non opus eſt (ſi quid ipſe video) ut pluribus argumentis aut teſtimoniis, ad probandum Angelos totam nominis hujuſce *Urim* latitudinem explere, eíq; prorſus reſpondere, contendamus.

Secunda *Theſis* hujuſmodi erat. Angelus aliquis, *DEI* nomen & perſonam ferens, è Pectoralis Oraculo Dei conſilia expetentibus reſpondere ſolebat. Neque eſt quòd me capitis proprii viſionem, & machinam aliquam, nè cauſa mea ruinam agat, ſcitè excogitatam, proferre jam ſentiat quiſpiam: in eam enim ſententiam gradu preſſo, non cauſæ ſtudio ſed rationis evidentiâ permotus, tranſii. Nam

Primó. Satìs è ſupra dictis pateat, reſponſa ex *Urim* data, Pontificem non per ſigna quædam operoſa, ænigmate & involucro plena, ſed voces diſtinctas, captu auditúque facillimas, accepiſſe. Cùm itaque vo-

ces, non ſigna miraculoſa, mentis divinæ interpretes fuerint; ſuadet ratio ut eas Angelorum virtute formatas ſentiamus: eorum enim tam frequente miniſterio in negotiis aliis tranſigendis uſus ſit *DEUS*, quòd *Maimonides* fidens aſſeruerit; *non invenies Deum ullum opus feciſſe, niſi per manus alicujus Angeli.* Mor. Nevoc. Par. 2. cap. 6. Certè *communis erat Hebræorum vetcrum opinio, Deum non loqui niſi Angelorum miniſterio:* prout nos docet *Grotius* in textum illum S. *Johannis*, cap. 12. 29. Ἄγγελος αὐτῷ λελάλησεν.

Secundò. Perſpicuum eſt & inter omnes nominis alicujus Theologos conſtat, Angelos malos è Gentilium *Theraphim* effata, originis divinæ ſpecie fucata, ſæpius profudiſſe: & ex iis quæ capite præcedente diximus probabiliter colligamus, ſimulachra quædam titulum eundem præferentia inter antiquiſſimos *DEI* cultores locum ſummum & originem primam habuiſſe; & ex illis, priuſquam labem & infamiam à ſuperſtitioſo ſeculi uſu traxerant, *DEI* Angelos quandoque reſpondiſſe. Nobis itaq; facilè perſuadeamus Angelos ex *Urim*, Deo eam provinciam iis decernente, oracucula edidiſſe: præſertim cùm *Urim* & *Theraphim* nominibus officiis & naturis conjunctiſſima fuiſſe, & *Urim* in locum תרפים *Theraphim* ceſſiſſe, jam dicta probent.

Tertiò. *DEUS* conſilia ſua omnia, & cultûs divini rationes, mediis Angelis, primis mundi Patribus patefecit: quod fusè probavit *Lud. Tena* in cap. 1. ad *Hebræos*. Legem etiam tradidit, non ἀμέσως, ſed per manum Angeli internuncii, ſuo nomine agentis, ideoque nomine ſuo compellati. Ità teſtatur S. *Stephanus*, Act. 7. 38. ità S. *Paulus* ad *Gal.* 3. 19. & ad *Hebræos*

Hebræos 2. 2. juxta receptam, utì verisimile est, veterum Judæorum fidem. Sic enim *Josephus*, Antiq. l. 15. c. 8. Ἡμῶν ὃ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα περὶ ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων ἐδέξατο τοῦ Θεοῦ μαθόντων. i. e. *Nostri honestissima sanctissimáque Legis præcepta per Angelos à Deo accepimus.* Prophetas denique visiones & prophetias suas omnes à Spiritibus hisce sibi familiaribus accepisse, communem Judæorum & Christianorum opinionem obtinet. Cujus rei confirmationem petat Lector à *Thom. Aquin. Sum.* p. 1. q. 111. art. 1. *Maimon. Mor. Nevoc.* P. 2. c. 41. & P. 3. c. 45. *Vorst. in Maim. de fund. leg.* c. 7. & doctis. nostro *Smitho de Prophetiâ*, cap. 5. & doctoribus Judaïcis quos ibi testes adhibet. Si itaque *DEUS* prima religionis & cultûs sui rudimenta Patribus, si νόμον βασιλικὸν Israëlitis, si cœli arcana Prophetis, non nisi per vicarias & intermedias Angelorum manus tradere dignatus fuerit; haud æquum est credere Summam cœli Majestatem exiguis seculi præsentis rebus immediatè adesse, Eúmque qui de aureo vellere per Legatos tantùm locutus sit, de lanâ caprinâ per Semetipsum respondere voluisse.

Quartó. Obsequium illud paratissimum quod Angeli Domino nostro deferebant, & frequentes eorum apparitiones ad dignitatem ejus eximiam, carnis velamine obtectam, asserendum; inter primos Christi, dum humilis in terris ageret, honores non immeritò reponamus. Ideoque Christus ipse, ut opinionibus præjudicatis, propter natales suos obscuriores & rem angustam, discipulorum suorum animos occupantibus occurreret; eos *cœli Angelos super Filium hominis ascendentes & descendentes visuros prænunciat.* S. *Jo.* 1. 52. Et certè Angelos verè & propriè (non typicè & umbraticè

braticè tantùm, prout in *Jacobi* ſomniantis ſcalâ) ſuper Chriſtum aſcendiſſe & deſcendiſſe, nulli dubium eſſe poſſit, cùm ei toties miniſtrârint: nec minùs à quæſtione omni remotum eſt, Chriſtum efficere potuiſſe ut diſcipuli ſui ſpectaculum tam divinum oculis ſuis contrectarent. Vidit enim *Eliſæi* famulus exercitum Angelicum, *Stephanus* cœlum apertum, & Chriſtum à Dei dextris; *Jeſaias*, *Ezechiel*, & *Daniel* *Seraphim* & *Cherubim* ſibi advolantes conſpexêre. Chriſto autem hoc futurum affirmanti tutò credamus, quamvis diſertam ejus rei hiſtoriam (neque enim omnia de Chriſto ſcriptis traduntur) deſideremus. Cùm itaque ea Angelorum obſequia *Meſſiæ* tam frequenter præſtita, inter glorioſa Majeſtatis ſuæ inſignia & teſtimonia primas habeant; ratio exigit ut Sacerdotem Summum umbram aliquam propheticam honoris & dignitatis tam eximiæ geſſiſſe, & proinde Angelos ſuper Pontificem quandoque aſcendiſſe & deſcendiſſe, & penè ad illius arbitrium ſe compoſuiſſe, cenſeamus: nam vel Judæi ſagaciores Sacerdotem primarium, tot ornamentis & ſingulari muneris ſanctitate conſpicuum, tanquam imaginem & ſpeculum luculentum à Deo inſtitutum exiſtimârunt; in quo prima Meſſiæ decora & ſacratiora Majeſtatis ſuæ exempla expreſſa contemplari poſſent. Et certè niſi Angeli, Pontifici Oraculum ſuum cùm res ferret ſciſcitanti, præſtò fuiſſent, & illius quaſi nutum obſervaſſent; primum illud, quod dixi, *Meſſiæ* ſolius decus & gloriam, in totâ rerum cœleſtium ſciagraphiâ, quam Lex *Moſis* exhibet, nè rudioribus umbellis depictam inveniamus. Nam *Cherubim* Arcam alarum flexibus ambientes, beatos illos Spiritus (ni docti falſi ſint) denotârunt, quos Evangelii myſteria ſummâ admiratione defixos detinent,

nent, vel qui cœli Majeſtatem promptiſſimæ celeritatis obſequiis ambiunt, & illius imperata veloci & quaſi alato miniſterio peragunt.

Quintó. Non planè otioſum fuerit notare & Gentilium doctores ad δαίμονας, quos nuncupant, χρησμὸς ſive oracula ſua omnia retuliſſe. Nam *Plutarchus*, Lib. de *Iſid. & Oſir.* p. 361. poſtquam ἀγνὸς δαίμονας καὶ φύλακας ἀνθρώπων, *bonos quoſdam, caſtos, hominúmque cuſtodes Genios* eſſe docuiſſet; addit, Πλάτων ἑρμηνευτικὸν τὸ τοιοῦτον ὀνομάζει γένος καὶ διακονικὸν, ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, οὐχὰς μὴ ἐκεῖ καὶ δεήσεις ἀνθρώπων ἀναπέμποντας, ἐκεῖθεν ὃ μαντεῖα δόσεις καὶ δόσις ἀγαθῶν φέροντας. i. e. *Plato hoc genus inter Deos atque homines interpretum adminiſtrorúmque fungi muneribus, ait: quia ab hominibus vota precésque ad Deos perferant, à Diis ad homines oracula & dona bonarum rerum.* Eidem ſententiæ animum adjunxit *Plutarchus* ipſe, libro cui titulum dedit, *De Oraculis quæ defecerunt:* ubi inquit, Τὸ μὴ ἐφεστάναι τοῖς χρηστηρίοις, μὴ θεὸς, &c. *Præſidere quidem Oraculis, non Deos, quos à locis terrenis decet expeditos eſſe, ſed Dæmonas, Deorum miniſtros, haud malè mihi dici poſſe videtur*, &c. Quæ quidem omnia, de Angelis, mutato tantùm nomine uno & altero, narrari poſſint: nec à veri ſpecie abeſt Græcos ea è veterum Judæorum ſcriptis aut ſcholis furtim accepiſſe, & novis quibuſdam formis & nominibus, more furum, impreſſiſſe; nè quis eos de bonis non ſuis gloriari crederet.

Tertió. Probandum ſupereſt divinandi inſtrumentum in Pectorali poſitum, nomen *Urim* ab Angelis, indè voce formatâ reſpondentibus, reportâſſe. Nec deſunt firma ſatis hujuſce ſententiæ fulcra. Nam

Primò. In more erat apud Gentes omnes, quibus antiquitas & morum cultus nomen dedit, ſtatuas ſuas ſacras titulis earum perſonarum, in quarum præcipuè gratiam, uſum, aut honorem dicatæ fuerant, cohoneſtare. Ægyptii ſimulachra ſua non animalium eorum nomine, quorum figuras imitabantur, diſtinguere ſolebant; ſed *Apin*, *Anubin* aut *Iſiden*, quorum honori inſcripta fuerant, vulgò appellabant. Statuæ etiam, quas Chaldæi aliique Dominis ſuis tutelaribus ſacras vovebant, nomine *Baalim* decorabant: ideoque textum illum 2 *Chronic.* 24. 7. *res Domini Jehovæ fecerunt in Baalim*, nonnulli de ſtatuis vel idolis ex auro vel argento *Jehovæ* ſacrato formatis, & nomine *Baalim* inſignitis, interpretantur. Apud Romanos etiam *unumquodque Junonis ſimulachrum Juno vulgò vocabatur*, teſte S. *Auguſtino*, Qu. 16. in *Judic.* 11. & morem eum Romanum ſapiunt illa *Apuleii* verba l. 2. de Aur. Aſin. *Lapis parius in Dianam factus.* Gentilium more, & Chriſtiani tandem τὰ ἱερὰ σύμβολα τε καὶ ἐκτυπώματα (uti vocat *Photius*) *ſacra ſua ſymbola & imagines*, nominibus ἐκ τῆς ὕλης *non à viliore earum materiâ* mutuatis appellare conſueverant; ſed religioſum piúmque duxerunt ut ab ipſis eorum Archetypis, Chriſto vel Apoſtolis, ὧν τε μετέχει, καὶ πρὸς ἃ παρῆκται, εἴς τε ὑπηρετεῖται καὶ ἀφιέρωται, *quæ participant, ad quæ traducuntur, quibus inſerviunt & devoventur, denominationem ſortirentur:* prout è *Photii* Epiſt. 214. colligere fas eſt. Cùm itaque ſacra illa Pectoralis icuncula Angelos præſentes ſiſtere, & tanquam ſymbolum eorum & χρηματιστήριον inſervire olim crederetur; ſeculi antiquiſſimi mores ſuadebant, ut decoro illo Angelorum titulo *Urim*, non minùs honoris quàm diſtinctionis gratiâ, in eam tranſlato frueretur.

Secundò.

Secundó. Imagines in Oraculo ſitas, Angelorum figuras fuiſſe, Eos Dei mentem vocibus indè emiſſis interpretari ſolitos, & imagines illas Angelorum titulum *Cherubim* indè obtinuiſſe, omnium ſuffragiis comprobatum eſt. Cùm itaque Sacerdotis Summi Λόγιον imaginem ſaltem unam continuiſſe, & Angelos indè voce formatâ, Dei nomine, ſæpius reſpondiſſe ſatis quæ jam dixi manifeſtum faciant; quidni Angelorum gratiâ nomen illud *Urim* Pectoralis imagunculam accepiſſe credamus?

Tertió. Argumentis penè omnem dubitandi anſam præſcindentibus probavi *Theraphim* imagines fuiſſe Angelis quamvis non ſemper bonis dicatas, & voces propheticas, ſpiritibus illis intus agentibus, ſæpius effudiſſe; atque indè nomen illud Angelicum *Seraphim* vel *Theraphim* iis adhæſiſſe. Cùm itaque *Urim*, munere, ſignificationis proximitate, aliſque rationibus cum *Theraphim* congruere, & eorum locum occupare, tot argumentis compertum & exploratum habeamus; facilè credi poſſit & *Urim* virtutem propheticam Angelis intus latitantibus debuiſſe, & nominis ſui originem & rationem à beatis illis Mentibus, Oraculi præſidibus, habuiſſe.

Quartó. Die ipſo clarius eſt, nomen illud *Urim* rei nulli in Pectorali poſitæ, niſi quatenus rei alterius ſigno & figuræ, convenire poſſe. At certè diu vapulabit Lectoris maximè moroſi ingenium, priuſquam rem ullam excogitabit cui nomen *Urim* competat, niſi eam titulum illum cum reſpectu ad Angelos (qui *flamma ignis* & mundi lumina ſunt) & quaſi jure vicario tenuiſſe aſſerat.

Quintó. Niſi jam dictam nominis hujuſce rationem pro verâ habeamus, operis permoleſti fuerit cauſam ſatis gravem

gravem assignare, cur titulus ille pluralis *Urim* icunculæ singulari affigeretur: at hypothesi nostrâ datâ, res facilis & expedita fuerit rationes satis solidas & evidentiâ propriâ commendatas reddere, cur unicum oraculi tradendi instrumentum nomine multitudinis perpetuò exprimeretur. Nam (1°.) non hujus tantùm aut illius Angeli symbolum fuit, nec oracula per illud tradendi partes uni alicui Angelo demandatæ: sed omnibus è cœlesti שרפים *Seraphim* ordine ex æquo dicatum, & nunc hujus nunc illius Angeli præsentiâ decoratum fuit: ideoque par erat ut numeri pluralis titulo, veluti usûs illius communis indice, inscriberetur. Nam & Ethnici ob rationem consimilem (nempe quòd Diis hospitalibus consecrata esset) uni nonnunquam imagini portatili nomen plurale *Penates* decreverunt. (2°.) Sub prima Oeconomiæ Mosaicæ sancitæ tempora, crassa Hebræorum ingenia postulârunt, ut Angelorum symbola vel plura essent, vel nominibus pluralibus innotescerent. Si enim Deus figuram unam & numeri singularis nomine notatam, ad existentiæ & ministerii Angelorum fidem firmandam, eorúmque memoriam celebrandam instituisset; Gens illa (quæ nulla non errorum monstra facilè conciperet) eam Dei veri per eam colendi simulachrum forsan crederet, vel naturam Angelicam unico individuo contineri. Cui conjecturæ authoritatem & fiduciam aliquam afferunt illa *Maimonidis* verba, Mor. Nev. P. 3. c. 45. *Præcepit Deus, supra Arcam duorum Angelorum figuram faccre, Exod.* 25. 18. *ad existentiam Angelorum in hominum animis confirmandam, quæ secundus est articulus sciendus post fidem existentiæ Dei, principiúmque prophetiæ & legis. Quòd si una tantùm figura fuisset, h. e. unius tantùm Cherubini forma, id facilè errandi causam præbuisset.*

Existimare

Exiſtimare enim quis potuiſſet, ac ſi eſſet figura Dei colendi, ſicut Idololatræ faciunt; vel quaſi Angelus unicum eſſet Individuum, atque ità in multiplices errores inducere. (3°.) Rarò quicquam ab Angelo quovis principe, *DEI* nomen & vicem habente, dictum factúmve legamus, quin & Angeli alii ei veluti apparitores adfuerint; quod pateat è *Geneſ.* 18. 2, 13. *Luc.* 2. 9, 13. & ex collatione *Act.* 7. 38. cum *Hebr.* 1. 1. & 1 *Theſ.* 4. 16. cum *Mat.* 13. 39, 41, 49. Cùm itaq; (quod à fide haud prorſus alienum) Legatus ille cœleſtis, cujus erat Summi Regis mandata Pontifici deferre, Angelos alios ſibi quaſi à latere habuerit; conſentaneum fuit ut Pectoralis Oraculum, tot Angelorum miniſterii unius ſocietate conjunctorum gratiâ, nomine plurali *Urim* inſcriberetur.

Cùm nominis hujuſce *Urim* notionem & formam grammaticalem Angelorum muneri, naturæ, atque ordini, multis nominibus conſonare, jam dicta probent; mihi facilè perſuadeo conjecturæ meæ aleam de primâ nominis illius imponendi ratione feliciter cecidiſſe. Ratio altera, ni me fallat animus, hujuſmodi fuit: *Vox illa Urim, quanquam ſub ſono diſſimili, ſenſum unum & eundem continet, quem & vocabulum Theraphim, cui tot annorum uſus honorem & pretium apud plebem fecerat.* Nempe *URIM ignes accenſos* aut *flammantes*, *THERAPHIM* verò *Urentes* vel *inflammantes* indicare, non ſemel monui. Nam vocabulum *Theraphim* ſeculis antiquiſſimis pro *Seraphim* uſurpatum fuiſſe apud gentes quaſdam quæ à primævâ linguæ Hebrææ puritate paululùm deſciverant, vel quibus litera S ſonum ingratum præbere viſa eſt, aut non niſi labiorum labore & conatu graviore efferenda, argumentis bene multis probavi ſupra. At in eam

eam de nominis *Theraphim* origine ſententiam me conſultò iturum arbitror, ſi nihil me duceret præter arctam nominum eorum affinitatem & aliarum opinionum vanitatem. Nam profectò, niſi docti huic à me traditæ nominis *Theraphim* rationi locum & fidem dandam ſenſerint, malè metuo nè vox ea ſignificationis ignotæ in ſecula maneat, adeóque digna quæ ad *artis*, quæ dicitur, *nigræ* Magiſtros, vocum myſticarum aucupes, ablegetur: ſatis enim patet eos omnes ventos tantùm venatos fuiſſe, qui, ut aliam nominis illius originem indagarent, operam hactenus impenderunt.

Hanc autem vocum illarum, *Urim* & *Theraphim*, ἰσοδυναμίαν, alteram nominis *Urim* Pectoralis Oraculo imponendi rationem fuiſſe, perſuaſiſſimum habeo, rationum ſequentium gratiâ.

Primó. Vox *Urim* quaſlibet vocabuli *Theraphim* circumſtantias imitari, ejúsque imaginem, quaſi primi ſui exemplaris, adamuſſim exprimere videtur. Nam (1°.) Utraque nomina non niſi numero multitudinis uſurpantur, cùm de inſtrumentis ad oracula edenda comparatis intelligenda ſint. (2°.) Scriptura rarò aut nunquam תרפים *Theraphim*, ſine notâ quâdam eminentiæ præmiſsâ, mentionem ingerit. Ut *Gen.* 31. 17. *Furata eſt Rachel* את התרפים, & 2. *Reg.* 23. 24. *Tulit Joſiah* את התרפים, *Zach.* 10. 2. *Quia* התרפים *locuta ſunt.* De *Urim* etiam loquens, ejuſmodi emphatico diſtinctionis & excellentiæ ſigno & illud dignari ſolet, ut *Exod.* 28. 30. *& pones* את האורים atque ità paſſim. (3°.) *Theraphim* nomen ſubſtantivum commune eſt, quanquam nominis proprii vice fungatur: idem & de *Urim* veritate illæsâ affirmari poſſit. (4°.) *Theraphim*, quamvis nominis pluralis formam ferat, vocis tantùm ſingularis poteſtatem

teſtatem, quandoque, nè dicam ſemper, in Scripturis obtinet. Nam 1 *Sam.* 19. *Michol* התרפים accepiſſe dicitur; hoc eſt, unicum proculdubio ſimulachrum, ad unius *Davidis* præſentiam ſimulandum. *Urim* etiam, quamvis vox numeri ſit, ad unicam ſolummodo imaginem denotandum uſurpatur; nam Pectoralis anguſtiæ plurimas imagines, *Urim* & *Thummim* titulis ſignatas, in illius duplo recondi minimè paterentur. (5°.) Simulachra, à quibus gentes reſponſa, in rebus afflictis aut dubiis, olim petiêre, ſimplici τῷ *Theraphim* titulo vulgò innotuêre: cùm etiam de reſponſo, mediante Pectoralis Oraculo, cœlitus accipiendo, ſermo inciderit; imaginis ſimplici τῷ *Urim* nomine deſignatæ mentionem in Scripturis factam eſſe, ſupra obſervatum eſt. Cùm itaque *Urim* antiquioris vocabuli *Theraphim* imaginem, tam claris expreſſam gerat characteribus; proclive eſt colligere, *Theraphim* illius prototypum fuiſſe & *Urim* ab eo, leges, formas & initia accepiſſe.

Secundò. Humiles & inculti Hebræorum animi nomen Pectoralis Oraculo tributum, quod ab antiquo *Theraphim* non multùm recederet, poſtulâſſe cenſeantur. Cùm enim rudioris vulgi oculus titulorum tantùm, quos res geſtant, cortice hærere ſoleat; modò *Deus* nominis antiqui *Theraphim* ſonum ſimul & ſenſum abdicâſſet, Eum & rem illam antiquam quam in ſinu, in oculis, in animis ferebant Iſraëlitæ, è medio ſuſtuliſſe proculdubio credidiſſent. Deinde, minimè probabile eſt *Deum* nomina obſcura adeò, & à ſeculi uſu tam longè diſſita Oraculo ſuo addere voluiſſe, ut meræ eſſent populi illius bardi atque hebetis cruces & equulei, & ipſe Dei *interpres egeret interprete*: cùm præſertim pleraque alia Legis ſuæ inſtituta, veluti

infirma

infirma & egena rudimenta, ad infantiam & modulum populi, qui altiora non caperet, benignus attemperaverit.

Tertió. Ratio nulla, mihi ſaltem, reddenda occurrit, cur nomen illud *URIM*, *ignes flammantes* denotans, prophetico Pectoralis organo datum fuerit; niſi quòd poteſtatem vocabuli antiqui *Theraphim* vel *Seraphim*, per myſticam quandam ſynonymiam, feliciter exprimat. Nam ſi *Deus lumina* tantùm, juxtà fidem receptam, eo vocabulo intelligi voluiſſet, *Orim*, vocem ad ſenſum illum exprimendum natam factámque, huic vocabulo ſine dubio prætuliſſet. Si verò Angelorum tantùm gratiâ, è pectorali ſubinde reſpondentium, Oraculum nomine *Urim* vocaretur; mihi magni *Apollinis* loco futurus eſt, qui cauſam expedire novit, cur *Deus* Angelos ſuos ſenſûs tam incerti nomine, & à Scripturæ ſeculíque uſu plurimùm abeunte, deſignari vellet.

Quartó. Si Scripturas omnes, quibus hæc duo nomina conjunctim veniunt, collatas intueamur, obvium fuerit obſervare, eas locum digniorem τῷ *Urim* perpetuò tribuiſſe. Hujus autem nominum ordinis nunquam immutati ratio hæc unica aſſignanda videtur: *Theraphim*, à quo *Urim* initium habuit, antiquitate & famæ celebritate, ſimulachrum Ægyptiacum Ἀλήθεια nominatum, cui *Thummim* ortum debuit, plurimum ſuperavit: ideóque par erat ut nomen *Urim*, eò quòd è domo quaſi antiquiore & celebriore genus duceret, locum principem perpetuò obtineret. Fateor equidem in textu illo unico, *Deut.* 33. 8. [*Sint Thummim tui & Urim tui cum viro ſancto tuo*] *Urim* in ſecundis conſiſtere: At eo in loco nominum ordinem præter morem Scripturæ turbavit *Moſes*, ut oſtenderet

Se

Se non tam *Urim* & *Thummim*, quàm res eas pretii majoris, quarum umbram & typum *Urim* & *Thummim* ferebant, Tribui Leviticæ comprecatum fuiſſe.

Quintò. Rationes, capite ſuperiori in medium datæ, ſat probant Oraculum *Urim* ex inveterato reſponſa è *Theraphim* petendi more, paululum tamen mutato, initium duxiſſe. Ideoque rationi conſonum eſt ut imaginis illius propheticæ nomen à veteri vocabulo *Theraphim* originem accepiſſe, Deúmque à re & nomine antiquo æquis paſſibus receſſiſſe crederemus. Cùm enim *Deus* gratiâ conſuetudinis tot annos natæ, imaginem, cui virtus prophetica inerat, in Pectorali reponi paſſus ſit; tantum proculdubio valere potuit conſuetudinis diu receptæ ratio, ut & nomen primævum *Theraphim*, in titulum ſaltem ſynonymum *Urim* mutatum, toleraret. Non ſolet enim Numen cœleſte, cœci vulgi ritu, nominibus odia infeſta denunciare, cùm rebus ipſis impensè faveat.

Cùm jam cauſas primarias, cur *DEUS* nomen *Urim* Pectoralis Oraculo datum vellet, explicatas & nubibus ſuis eductas habeamus; eò me jam ducit orationis filum, ut rationi nominis *Thummim*, lateri τῷ *Urim* adhærentis, abditæ adhuc & caliginoſæ, parem lucem afferam. Huic autem oneri priuſquam admoveam manum, inſtituti mei ratio neceſſariò poſtulat, ut Lectoris animum (quanquam forſan meminiſſe tædeat) ad hiſtoriolæ ex *Æliano* antea narratæ memoriam revocem. Ab eo verò memoriæ proditum eſt, Ægyptios, de more antiquiſſimo, perſonam, quæ muniis ſacris & civilibus præfuit, *ſimulachro è Sapphiro gemmâ*, cui Ἀλήθεια nomen fecerunt, decorare ſolitos. *DEUS* itaque imaginem, myſtico *Thummim* titulo

titulo celebrem, ſupremo apud Iſraëlitas rerum divinarum miniſtro geſtandam dedit; nè quid myſterii aut elegantiæ, quæ eos in Pontificis & cultûs Ægyptiaci admirationem rapuit, in Sacerdotii divini capite deſiderarent. Cùm autem gemma illa, quâ Pontificis Ægyptiaci dignitas aſſerebatur, τῷ *Thummim* Hebræorum initium dederit; indè factum eſt, quòd & nomen, (cujus ſignificatio tantùm ad poſteros tranſmiſſa eſt) Pontificis Ægyptiaci ornamento inditum, in penè ſynonymum Hebræorum *Thummim* tranſierit. Neque rem novam & à gentium moribus alienam jam refero: nam rei hujuſce exemplum, ſi quid *Aben-Ezræ* credimus, non multùm diſſimile præbet & *Moſis* nomen: aſſerit enim ille (teſtante *Munſtero* in *Exod.* 2.) quòd *Moſes* Ægyptiorum linguâ vocatus fuerit מוניוס *Monios* à filiâ *Pharaonis*, cùm Ægyptia eſſet, quod Hebraïcè ſonat *Moſe*; & Hebræos poſtea nomen illud in linguam Hebraïcam tranſtuliſſe. Eodem modo & Chriſtiani veteres voces quaſdam, prout & ritus, à Judæis antiquitus uſurpatas, in verba quædam ἰσοδύναμα transferentes, retinuêre. Nam *Chriſtus* à משיח, *Apoſtoli* à שלוחים, Διαθήκη à ברית, *Evangelium* à בשורה, Ἄγγελοι à מלאכים, *Eccleſia* à כנסיה, *Petrus* à כפא, ortum traxêre. Mihi etiam hæc referenti exempla aliqua nominum apud Ethnicos in ſynonyma Græca mutatorum in mentem veniunt. Nam *Iſaac*, qui à צחק *riſu* nomen invenit, ab *Alexandro Polyhiſt.* referente *Euſebio, l. 9. Evang. Præp. c. 19.* Γέλως appellatus eſt. *Herodotus* etiam Hebræorum חם *Cham*, *calidum* vel *aduſtum* denotans, in χέως vel κάως, *vultum aduſtum* vel *fuſcum* ſignificans, commutârit: ni fallat viri doctiſſimi conjectura.

Non

Non opus est ut in latum hunc dicendi campum pedes ulteriùs proferam, cujus angulos omnes, oculis curiosis & sollicitis jam perlustravi. Cùm enim nominis *Thummim* ratio & rei ipsius natura tam arctis vinculis conjungantur, & ad eorum explicationem mutuas tradant operas, ipsa Argumenti ratio necessitatem mihi attulit de iis conjunctim differendi. Nemo itaque è Logicorum filiis mihi criminis loco objiciat, quòd methodi præscriptæ leges paululùm violaverim, cùm arctioribus necessitatis legibus me constrictum videat.

Sect. 3.

Objecta contra primarias nominum rationes diluuntur.

Quò minùs quæ de primariis nominum rationibus jam dixi, tanquam mentis meæ parùm vigilantis somnia, risu excipiantur, aut legentis animus in sententias ancipites distrahatur; Objectioni triplici mihi necessariò respondendum est. Prima sic habet: Cùm *Urim* & *Theraphim* voces affines sint & pari potestate præditæ, causa nulla vel fingi potest, cur *Deus* vocabulo antiquo *Theraphim* abdicato, cui multi dies gratiam conciliârant, novum *Urim* vocem planè synonymam, in illius locum & vicem cooptârit. Ideoq; *Theraphim*, veterem icuncularum oracularium titulum, primam nomini *Urim* ansam & occasionem ministrâsse, ratione parùm favente, asseruisse videar.

Respondeo. In re facili & explicatâ non opus est ut fingat quispiam. Causæ satis graves vel primis cogitationibus se dabunt, cur *Deus* nomen *Urim*, minùs tritum & vulgò notum, titulo priori surrogârit.

Nam (1°.) id factum quòd *Theraphim* forsan nomen esset infame & periculosum: nempe ab usu inter aliquos idololatrico labem contraxerat, & populum in cultûs ethnici memoriam reducere poterat: ideoq; *Deus*, ut superstitioni, lubrico ad sui propagationem malo, occurreret, Oraculum suum nomine candido, auspicato & superstitione nullâ maculato, *Urim*, signari voluit. Neque novum est, ut nomina, postquam infamiæ alicujus notam subierint, in desuetudinem & contemptum abeant: DEUS se populi sui [a] *Baalem* uti olim appellari vetuit, *Hos.* 2. 16. quoniam vox illa, ad Numina fictitia sæpius traducta, mali speciem præberet & occasionem. Helleniſtæ (observante *Grotio* in *Mat.* 4.) *Angelos lucis noluerunt appellare Dæmonum vocabulo, sed in detestationem paganicæ superstitionis nomen id proprium esse voluerunt Spiritibus noxiis.* Nôrunt & pueri nomina illa, *fur*, *magia*, *Tyrannus*, *Missa*, &c. primitus non mali ominis, quòd a malis hominum moribus infamiam hauserint, locum & usum primævum amisisse. (2°.) *Theraphim* in nominum propriorum censu *Mosis* seculo numerabatur, & sensum simplicem & angustum ferebat: *Urim* verò vocabulum erat significationis paulò latioris, *ignes* simul & *lumina* designans; ideoque non tantùm vices *Theraphim* vel *Seraphim* supplere, sed & mysteriis, postea dicendis, feliciùs adumbrandis inservire potuit. (3°.) Minimè novum est apud Hebræos propria nomina mutari in alia ejusdem aut vicini significatûs: atq; hanc veritatem variis exemplis firmavit Cl. *Grotius*, in *Mat.* 23. 35. (4°.) Hæc nova nomina, *Urim* & *Thummim*,

[a] *Propter ambiguitatem & verbi similitudinem, quod alioquin bene dici potest, dici non vult Deus, ne dum populus aliud loquitur, alterius recordetur, & Baal nominans, idolum cogitet.* S. Hieron. in loc.

mim, eò quòd myſterium ſaperent & plurimorum forſan ex infimo Iſraëlitarum ordine captum excederent, *DEI* inſtitutis religionem & majeſtatem adderent. Eo enim ingenio ſunt hominum vulgus quòd Divinitatem quandam in nube & caligine expectare, & celata omnia ſtupidâ quâdam veneratione accipere ſoleant, conculcare verò quæ præ pedibus jacent & expoſita. (5°.) Nomen *Urim*, utpote purum putum Hebraïcum, magis quàm *Theraphim*, quod Chaldaiſmi aut Syriaſmi ſpeciem & tincturam ferebat, convenire videbatur populo quem *Deus* Nazaræum fecerat; & à mundi gentibus, non moribus & privilegiis tantùm, ſed & linguæ Hebrææ puritate apud ſe ſolùm ſervatâ, ſeparatum voluit. (6°.) Prout pauci admodum fuerunt ritus Judaïci qui, quoad eorum materiam, è vetere aliquo ſeculi more in Judaïſmum non manârint; ità ex iis longè pauciores qui, quoad circumſtantias aliquas, correctionem & alterationem inſignem non ſubierint: nè forſan Gentibus cum Judæis neceſſitudo, nimiâ morum ſimilitudine conflata, intercedens, ingens denuò idololatriæ malum apportaret. Fatendum etiam *Deum* antiquum oracula è *Theraphim* vel ſimulachro recipiendi morem Iſraëlitis conceſſiſſe, ſi ſubſtantiam ſpectemus, integrum, quoad circumſtantias verò plurimùm mutatum. Eatenus enim à ſeculi uſu diſceſſit Deus, quòd *Theraphim* non, ut olim, vulgi oculos ſubire & ædibus privatis aut templis publicis locari, ſed in Pectoralis duplo, tanquam Numen in adyto, latere voluerit: quòd *Theraphim* ejus non cuivis ex humili plebe, ſed Sacerdotum principi conſulenda dederit: quod ea de regni gravioribus, non vitæ communis caſibus, interroganda fuerint: quòd denique miſſo antiquiore vocabulo *Theraphim*,

Urim in illius locum ſuffecerit. Adeò ut Iſraëlitæ, novis hiſce Oraculi ſui circumſtantiis moniti, facilè intelligerent, quamvis ejuſdem naturæ *Theraphim* adhuc conſultarent, ſe tamen reſponſa ab eodem quo olim Numine vili & expoſito minimè accepturos.

Secundò. Nonnulli forſan ſententiæ meæ de nominis *Urim* ratione atrum præcipites apponent calculum, eò quòd veriſimile habeant Angelum aliquem in arctam Pectoralis aut icunculæ parvulæ cavitatem, ſubſtantiæ ſuæ capiendæ imparem, coarctari minimè potuiſſe; ſed nec voluiſſe: cùm è dignitate ſuâ non eſſet, ut in anguſto Pectoralis limite æſtuaret, quò voces indè fatidicas daret; quibus morbidum populi arcana cognoſcendi appetitum ſatiaret. Ideoque nominis hujuſce rationes, ab Angelis è Pectoralis Oraculo loquentibus, petitæ, in fumos & umbras evaneſcent.

At nemo eſt quem ſcrupulus ille diu vexatum & dubium tenere poſſit, ſi jam dicenda æſtimare dignetur.

(1°.) Certum eſt Angelos & potuiſſe & voluiſſe, terminis haud multò amplioribus, ut munia non admodum diſſimilia obirent, ſæpius coerceri. Cùm nempe in Arcâ parvulâ habitarent, & è medio *Cherubinorum*, *DEI* perſonam ferentes, nunciorum cœleſtium partibus fungerentur. Quâ de re, fidem penè omnem vincente, paulò fuſiùs & diſtinctiùs mutuatis illis [a] *Buxtorfii* verbis diſſerere è re meâ futurum arbitror. *Quotieſcunque Moſi, pro rebus ad ſalutem populi pertinentibus, Dei os conſulere viſum fuit; ex Arcâ, & nominatim interſtitio illo exiguo, quod inter duos Cherubinos operculo Arcæ affixos erat, Reſponſum ab eo voce ſonorâ, diſtinctâ & articulatâ acceperit. Miraculo omnem humanum captum*

[a] Exercit. in Epiſt. Ded.

captum ſuperante! Deum nempe infinitum & immenſum, qui cœlum, terram, maria & totum hoc univerſum replet & excedit, intra Arcæ unius angustias, quæ non trium integrarum ulnarum erat, imo ſpithamæ unius ſpatio (quod inter duos Cherubinos, unde vox Dei prodibat, notant) in populi ſui gratiam ſe incluſiſſe & quaſi circumſcripſiſſe. Horum affine eſt quod ſcribit *R. Bechai* in Sect. תרומה, fol. 103. col. 1. *Porrò nôſti Moſen audiviſſe vocem Dei* מבין שני הכרובים מתוך שיעור טפח כי שם צמצם הק"ב שכינתו [a] *ex inter duos Cherubinos, è medio menſuræ* [b] *palmi. Illic enim præcisè quaſi terminavit ſuam habitationem, ſeu præſentiam, non obſtante quod de Eo ſcriptum ſit, annon cœlum & terram impleo, dicit Dominus?* Quæ quidem Rabbini verba, eo tantùm nomine falſi arguenda, quòd id Deo ipſi, quod Angelo tantùm, Illius vices titulúmque gerenti, Theologorum pars potior tribuendum ſentiat. Angelus etiam in columnâ illâ, quam Deus Iſraëlitis in terram promiſſam tendentibus ענן poſuit, delituiſſe dicitur. *Exod.* 14. 19.

[a] Vid. de Dieu in 1 Sam. 4 4. & Num. 7. 89.
[b] *Eâdem amplitudine erat & Pectorale.*

(2°.) Angelos malos, quò fallendi artes exercerent, anguſtos תרפים *Theraphim* limites ferre & potuiſſe & voluiſſe, (ſi quid tot ſpectatiſſimæ fidei authorum valent teſtimonia) extra dubium poſui. Utcunque, ut Lectori difficillimo, quoad poſſim, ſatisfaciam, non grave fuerit & illa inſuper *Arnobii* verba adjicere, l. 6. adv. Gentes, *Sæpenumero videmus hæc ſigna,* Deorum ſimulachra, *ab artificibus modò parvula fieri & palmarem in minuticm contrahi, modò in immenſum tolli, & admirabilem in amplitudinem ſublevari.— Ratione hâc ergò ſequetur, ut intelligere debea-*

mus in ſigilliolis parvulis contrahere ſe Deos & alieni ad corporis ſimilitudinem coarctari: at verò in vaſtis, porrigere ſe longiùs, &c. Facilè itaque ſibi perſuadere poterit cordatus quiſpiam, Angelos *DEI*, ab omni materiæ craſſioris impuritate remotiſſimos, eaſdem quas ſpiritus impuri anguſtias ferre potuiſſe. Pluribus Lectorem morari in re confeſsâ non opus eſt.

(3°.) Nôrunt omnes, ſanctos & benignos illos Spiritus, ſe tam faciles & propenſos ad officia omnia ſingularis in nos mortales benevolentiæ repræſentanda ſemper præbuiſſe; quòd & alia munia, non minùs infra naturæ ſuæ excellentiam & dignitatem poſita præſtiterint, ſi quid indè commodi nos reportaremus. Sunt enim Angeli nobis, animalibus ex luto & peccato conflatis, πνεύματα λειτουργικά: pedibus noſtris, nè fortè in lapidem offendant, in horas invigilant: in piſcinam deſcendit Angelus, ut aquis virtutem ſalutiferam impertiret: in ſqualidum S. *Petri* carcerem venire ſe minimè indignum duxit Angelus, ut eum in libertatem vindicaret: S. *Paulo* jam naufragium facturo aſtabat Angelus, ut fractis & linquentibus ſuis comitúmque animis, ſpe vitæ factâ, vires & fiduciam adderet: Angelus in *columnâ nubis* excubias agebat, cùm ſtatûs Iſraëlitici rationes ità poſtularent. Ideoque facilè credamus Angelos de cœlo in Pectoralis Oraculum deſcendere voluiſſe; nè Iſraëlitæ, inexplebili oraculorum cupiditate, ad gentium idola & mortis ſemitas ducerentur.

(4°.) Certum eſt Reſponſa de Pectorali data, virtuti & præſentiæ divinæ vel angelicæ tribuenda eſſe: abſit autem ut *DEUM* exiguis Judæorum rebus immediatè adfuiſſe, & ſe actionum & conſiliorum omnium arbitrum præbuiſſe aſſeramus; nè Angelis provinciam

vinciam ſuâ indignâ eminentiâ tradere cenſeamur: cùm præſertim ſub vetere Oeconomiâ *Deum* per Angelos, ſuo nomine agentes, Eccleſiam adminiſtrâſſe conſtet.

(5°.) Nos equidem miſelli homunciones tali faſtu turgeſcimus, & auram plebis imperitæ tanto ambitu & hiatu captamus; quòd religionem & officium Deo debitum inani dignitatis propriæ opinioni & honoris titulo ſæpius ſacrificemus. At Angeli omnia *DEI* honore & hominum commodo metiri ſolent. Unicus apud eos honos eſt, *DEO* obedire: ideoque nihil ſe indignum ducunt, quod Deo gratum nôrunt.

Tertió. Nonnulli forſan ſententiæ meæ, de nominis alterius ratione & origine, ſe adverſos ſiſtent, eámque falſitatis ſuſpicioni affinem credent, eò quòd *Thummim* numeri pluralis vox ſit, Ἀλήθεια verò ſingularis. At illa nominum eorum diſcrepantia, ſcrupulus tam tenuis levísq; eſt, quòd nec pedes nec oculos pungat meos: nam (1°.) *Dei Thummim* & Ægypti Ἀλήθεια proximâ cognatione & ſimilitudine conjuncta eſſe, multis clarísque indiciis compertum habuimus: quibus addi poſſit, quòd prout *Urim* nomen ſubſtantivum commune eſt, adeóq; formam vocis *Theraphim*; ità & *Thummim* nomen ſubſtantivum abſtractum eſt, & conditionem vocis Ἀλήθεια æmulari & exprimere videatur. Tot autem ſimilitudinis exempla uni illi diſcrepantiæ facilè præponderare poſſint. Nè tamen Lectoris animus, quaſi inter paria dubitandi & aſſentiendi rationum momenta libratus, in partes meas parùm inclinet adhuc; addo. (2°) Diſcriminis illius levioris rationes in aperto ſunt, & eas quiſpiam, *Oedipo* nullo in conſilium adhibito, expedire poſſit: nam ortum habuit, vel quia veteres Græci nomen plurale Ægyptiorum, (cujus memoria jam periit) in vocem ſingularem, Ἀλήθεια, utpote

linguæ ſuæ mori magis conſonam, commutârint; vel quia *Deus* nomen alterum plurale eſſe voluerit, ut eò magis concinnè & eleganter cum comite ſuâ plurali *Urim* conjungi poſſet; vel quòd ament Hebræi rem ſingularem, præſertim eximiam & ſummo excellentiæ gradu poſitam, voce plurali exprimere. Ut Pſal. 9. 9. *jus dicet populo* במישרים *in rectitudinibus*. Joſh. 24. 14. *Servite Domino* בתמים *in integritatibus*. Jeſ. 26. 7. *viæ juſtorum* מישרים *rectitudines*, & com. 18. *In terrâ* נכחות *iniquè aget impius*. Sufficiat exemplorum manipulum ex ubere meſſe collegiſſe.

Sect. 4.

Redduntur nominum rationes ſecundariæ.

DUm leges evangelicæ οἰκεῖον ἔλεγχον afferant, earúmque rationes, ad inſtar mulieris Apocalypticæ, ipſo quaſi Sole veſtiantur; legum Moſaicarum cauſæ nobis, quibus antiquiſſimæ hiſtoriæ lampas tam debili ſplendet radio, adeò obſcuræ ſunt & tenebris involutæ, quòd multorum oculos penitus effugiant. Indè factum quòd nonnulli legum earum rationem nullam, extra Numinis Supremi voluntatem, quærendam putent: Cui, inquiunt, viſum eſt jura illa tanquam tot imperii ſui in genus humanum abſoluti documenta ſcribere: cujus erroris refellendi gratiâ, *Maimonides* aureum illum librum cui titulum poſuit *More Nevochim* in lucem dedit. At longè abſit ut Eum, cui ὁ Λόγος nomen, ullas Eccleſiæ ſuæ leges ſine ratione dediſſe credamus. Leges abſque ratione obſequium pariunt ſine corde, vel culpam ſine pudore. Deus, pro bonitate ſuâ ſingulari, leges non tam imperii & dominii ſui argumenta, quàm commodi humani inſtrumenta ſancire ſolet. Ideoq; quod *Plutarchus*, credulus nimis de

de Ægyptiorum aliorúmque institutis religiosis, *lib. de Isid. & Osir.* asserere non dubitaverit, jure meritóque de Judæorum ritibus usurpemus. Οὐδὲν ἄλογον, οὐδὲ μυθῶδες, οὐδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίας ἐγκατεστοιχειοῦτο ἱερουργίαις· ἀλλὰ τὰ μὲν ἠθικὰς ἔχοντα καὶ χρειώδεις αἰτίας, τὰ δὲ οὐκ ἄμοιρα κομψότητος ἱστορικῆς ἢ φυσικῆς ἐστίν. *Nihil à ratione dissonum, fabulosum nihil, nihil superstitionem olens, in eorum sacris constitutum est: sed quædam ethicas & utiles doctrinas in recessu continentia, alia verò non expertia elegantiæ cujusdam historicæ vel philosophicæ.*

Ut sermonem hunc vagum laxúmque arctioribus constringam cancellis, rationes duas, *Primariam* nempe & *Secundariam*, statuo, quarum gratiâ leges ritúsq; Judaïci instituti videantur. *Primaria* erat, ut *DEUS* mores quosdam pessimos, ab hominum memoriâ jam longè positos, qui seculis antiquissimis invaluêre, inhiberet; alios autem paululùm castigatos toleraret, nè aliter Israëlitæ animum à Lege cultúque divino alienum gererent, qui summo per antiquorum vestigia eundi desiderio flagrabant, & ad vetera sua omnia tenendum gens erant præfractâ & pertinaci indole. *Secundaria* erat, ut leges ritúsque jam dicti, typorum & quasi visibilium parabolarum loco, rebus divinis referendis inservirent. Summo nimirum cœli Concilio consultius visum est, ad Evangelium revelandum gradus non saltus facere: quando ergò illam rituum farraginem, qui in *Ægypto* obtinuêre, prorsus abrogatam populi ruditas, & prorsus toleratam rituum vitia minimè paterentur; ità eos à mendis repurgavit, & in faciem quasi novam formavit *DEUS*, ut pueriles animas per eos, tanquam prima cultûs & obsequii elementa, ad severiora & quæ virum deceant pietatis exercitia leniter erudiret: & animæ Deo pleniores languentes

guentes quaſdam rerum ſpiritualium imagines in iis contemplari poſſent: adeò ut Iſraëlitarum deſideriis ad fines ſuos uſus ſit *DEUS*, & puerilibus eorum ſtudiis morem gerens, divina promovit. Quâ in re egregium ſapientiæ ſuæ ſpecimen dedit, illíque non abſimile quod in mundo ſæpius occurrit: in eo enim, obſervante *Verulamio, dum Natura aliud agit, Providentia aliud elicit:* nam frondibus quas natura, conſuetudinem ſuam retinens, peperit, utitur providentia ad cœli injurias à fructu tenello propulſandas.

Quando itaq; alii omnes legis Moſaïcæ ritus, è fontibus ethnicis promanantes, (*Neomeniæ, baptiſmi*, & hujuſmodi) à *Deo* inſtituti ſint, *primariò* ut populi, moribus receptis obnixâ pertinaciâ adhærentis, animos ſibi & ſacris ſuis devinciret; *deinde* verò ut σκιαγραφίαν umbras & lineas quaſdam rerum ſpiritualium in iis exhiberet; haud ineptè colligamus *DEUM Urim* & *Thummim* Iſraëlitis conceſſiſſe, non tantùm ut mores aliquos quos, ex incolatûs Ægyptiaci memoriâ, invictâ pervicaciâ retinebant, eorum ruditati indulgeret; ſed ut myſteriorum quorundam & rerum cœleſtium ſymbola extarent & ſacramenta. Dignum ſanè ſapientiâ *DEI* multifariâ, ut inſtituta ſua non ſeculi aut finis unius terminis definita, ſed ad tempora usúsque varios reſpectum habere credamus.

Ex iis autem myſteriis & doctrinis cœleſtibus, quorum *Urim* & *Thummim* ſacramenta, typos & quaſi præcones poſuiſſet *Deus*, primum erat; quòd menſura luminis & perfectionis planè ſingularis, perſonæ quæ ſacrum dignitatis pontificiæ gradum tenuit, eſſet inprimis neceſſaria. Neque me talia aſſerentem ingenio laſcivienti frænum laxâſſe cenſeat quiſpiam; nam antiqui Judæi & Chriſtiani *Urim* & *Thummim* doctrinæ

ctrinæ hujusce moralis tesseras & quasi prophetas habuisse videntur. Quòd veteres Judæi ea sic habuerint, *Diodori Siculi* verba, lib. suo 40. apud *Photium*, nos facilè persuasos faciant: nam ibi, se rebus Judæorum immiscens, hæc inter alia literis consignavit, Ἐπέτρεψε Μωσῆς τὴν τοῦ πλήθους προστασίαν διδόσθαι διὰ πάντος τῷ δοκοῦντι τῶν ἱερέων φρονήσει καὶ ἀρετῇ προέχειν· τοῦτον προσαγορεύουσι Ἀρχιερέα, &c. i. e. *Præcepit Moses ei primatum in Sacerdotum plebem deferre, qui cæteros intelligentiâ & virtute antecellere visus est. Hunc Sacerdotum principem vocant.* Quæ quidem verba miserâ rerum Judaicarum ignorantiâ Historicum Ethnicum laborâsse produnt, nam Sacerdotum principi non virtutis eminentiâ sed nascendi sorte Pontificatum adire contigit; aliquas tamen in iis, prout in monetâ vitiatâ argenti aliquid, traditionis Judaïcæ notas & lineas deformatas percipiamus. Nempe Ethnici à Judæis forsan traditum acceperant, Pontificem suũ peculiaria quædam muneris locíq; sui insignia, *Urim* & *Thummim*, i.e. *Lumina* & *Perfectiones* appellata, gestare solitum; & illa monitoris usum præbuisse, qui scientiam & perfectionẽ egregiam in Pontifice requisitam indicaret, eíque in memoriam subinde revocaret. Atq; ea forsan traditio errori jam dicto ansam dedit apud Ethnicos, quibus Judæi parùm æquis & curiosis personarum aut rerum suarũ æstimatoribus perpetuò usi sunt. In eandem cum Judæis de *Urim* & *Thummim* opinionem & Christianos aliquos antiquos conspirâsse, fit credibile, quòd Vulgatus Interpres locum illum *Ezr.* c. 2. 63. ubi nomina illa occurrunt, repugnante veritate Hebraicâ, in hunc modum transtulerit, *Donec surgeret Sacerdos doctus & perfectus:* quasi nominum usum potiùs quàm sensum, versionis suæ normam statuisset.

Secundó.

Secundò. Illius etiam myſterii præcones erant *Urim* & *Thummim*, quòd lumina & perfectiones omnigenæ in Sacerdote illo Optimo Maximo, *Meſſiâ*, recondererentur. Nam Lex integra παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν, *Gal.* 3. 24. prima docens Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta: atque hoc non tantùm majore Scripturæ lumine patet, ſed & minore rationis: nam *demonſtratu facile eſt*, (inquit *Juſt. Mart. adv. Tryphon.*) πάντα τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα, τύπους καὶ συμβολα καὶ παραγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγγωσμένων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως μελλόντων. Præ aliis autem Legis Moſaïcæ inſtitutis, Summus Hebræorum Sacerdos, cùm ſplendidiſſimo pontificalium ſuorum apparatu inſignitus eſſet, imaginem Chriſti prætulit, eámque expreſſam & luculentam adeò, quòd nè lippientes Judæorum oculos effugere potuit. Cujus rei fidem firmant illa *Philonis*, *libro de profugis*, verba, cedro digna: Λέγομεν τὸν Ἀρχιερέα, οὐκ ἄνθρωπον ἀλλὰ λόγον θεῖον εἶναι, πάντων οὐκ ἀκουσίων μόνον ἀλλὰ καὶ ἑκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον, i. e. *Summum Sacerdotem dicimus non hominem, ſed* in effigie *Verbum Divinum eſſe, omnium tam voluntariorum quàm involuntariorum peccatorum expers.* Atque ea forſan fides eò magìs apud Judæos valuit, non tantùm quòd Pontificem arctioribus puritatis ceremonialis legibus teneri cernerent, quòd ei ſoli ad Sacro-Sanctæ Majeſtatis thronum pateret aditus, & quòd circa illum nihil non venerabile & quaſi cum aliquo Numine ſe oſtentaret; ſed quòd is unus mentis divinæ Interpres eſſet, eíque *Urim* & *Thummim* geſtare datum: eas autem voces non hominem tantùm, ſed quiddam ſupra mortalitatis ſortem & capacitatem poſitum ſonare, prudentes credidêre.

Urim

Urim & *Thummim* rerum maximarum figuras fuiſſe, & doctrinas ſacratiores myſticè & quaſi in ænigmate, pro ſeculi genio, tradidiſſe, quæ dixi manifeſtum faciunt. Nec deſunt mihi [a] עצמות rationes bene firmæ, quibus evincam *Deum* nomina illa Pectoralis inſtrumentis ideo præbuiſſe, ut myſteria jam dicta ſapientiæ filiis enunciarent. Nam

[a] Iſ. 41. 20.

Primò. Ipſæ nominum eorum circumſtantiæ, *Novitas*, *Numerus*, *Conjunctio*, *Significatio* & *geſtandi Modus*, validum nobis ad ſententiæ hujuſce veritatem firmandam ſuppeditant argumentum. (1°.) Titulorum eorum *novitas*: quis enim probabiliter dixerit, cur *Deus* nomen *Theraphim*, veterum ſermonibus uſitatius, miſſum fecerit, & novum *Urim* in illius locum vocârit; niſi quòd ſenſum vocis *Theraphim* ſatìs aptè exprimere, Angelis non minùs convenire, ſed myſteriis illis adumbrandis (eò quòd *lumina* ſimul & *ignes* denotet) multò feliciùs inſervire potuerit? nam nemo ſobrius dixerit ipſam vocem *Theraphim* vitii alicujus manifeſtam fuiſſe; vel *Theraphim* & *Thummim*, modò conjuncta fuiſſent, hominum aures tam ſuavi & concordi ſono quàm *Urim* & *Thummim* permulcere non potuiſſe. Neque ratio ſatìs ſeria reddi queat, cur *Thummim* in locum & vicem vocabuli Ægyptiaci, Ἀλήθεια olim ſignificantis, à *DEO* ſubſtitutum fuerit; niſi quòd *integritatem*, veritatem illam in corde ſitam, tantâ cum luce & evidentiâ exprimat. Si enim vocabulum אֱמֶת (quod *veritatem* ſonat) ad nominis Ægyptiaci vicem repræſentandum accepiſſet *Deus*; illud forſan de veritate logicâ vel intellectuali intelligendum exiſtimaret quiſpiam, atque adeò myſterii deſignati veritas & concinnitas corrumperetur. (2°.) Ipſe nominum *numerus* eorum rationem

tionem jam datam asserit: si enim nominum rationes quas dedi alias cogitatione attentâ repetamus; constabit nullam paulò graviorem postulâsse ut utraque Pectoralis instrumenta nominibus multitudinis efferrentur. Dicendum itaque superest, Deum hujusmodi nomina iis posuisse, ut lumen & perfectionem eximiam & quasi numero singulari vix exprimendam, in Pontifice requisitam, vocibus pluralibus, Hebræorum more, assequeretur. (3°.) Jam dictis veri speciem conciliat horum nominum *conjunctio*: nisi enim nomina illa ad res duas fœdere sanctissimo conjunctas, *scientiam* loquor & *integritatem*, denotandum data fuerint; rationi magis congruum esset, ut res titulis illis ornatæ, non minùs loco, quàm usu, origine, & naturâ ab invicem dividerentur. (4°.) Nominum eorum *significatio* rationi nostræ pondus afferat: cùm enim *Urim* & *Thummim lumina* & *perfectiones* præ se ferant, certum est hominum vulgus (qui rerum & nominum omnium exteriora tantùm & quasi cutem stringunt) ea ad egregias illas animi dotes Pontifici præsertim necessarias indicandum imposita sentire voluisse. Nè itaque nomina illa τῶν πολλῶν luderent, voluit proculdubio *Deus*, ut eam sui causam quasi in frontispicio, dum aliam in penetrali & à vulgi oculis paulò remotiorem haberent. (5°.) Rationi meæ favet & ipse titulos eos gestandi modus: haud enim in facili est dicere, cur Lege divinâ cautum sit, ut *Urim* & *Thummim* in Pectorali tantùm ejúsque intimo centro reconderentur, adeò ut supra ipsum cordis domicilium requiescerent; nisi quòd *Deus* hæc iis dedisset nomina, ut *luminis* & *perfectionis* illius symbola essent, quibus Sacrorum Princeps instrui deberet. Nam apud antiquos Cor sapientiæ & virtutis sedes habitum erat:

hinc

hinc *Thaddæo*, ſpectatâ integritate vel prudentiâ viro, *Lebbæus*, id eſt, *Cordatus*, cognominis vice acceſſit; & *Naſica* apud Romanos, ob rationem non diſſimilem, *Corculum* vulgò audîit.

Secundò. Nihil apud Hebræos frequentius, quàm ut rei ſignificatæ nomen ſigno ipſi tribuatur. Nam Agnus, *Domini paſcha*; panis & vinum in ſacrâ Mensâ, Domini corpus & ſanguis; & Altare Exod. 17. *Jehova-Niſſi*, quorum non niſi ſigna fuerunt, nuncupantur. Ex eodem Hebræorum uſu venit, quòd vitulus aureus, Deus qui populum *Ægypto* eduxit; *Neh.* 9. 18. *Michæ Theraphim*, illius *Elohim*; & Prophetæ baculus, *Chobelim* vocentur. *Zach.* 11. 7. Huc faciunt verba *Pet. Mart.* ad 2. *Sam.* 6. 2. *Tanta fuit dignitas & Majeſtas Arcæ fœderis, ut appellaretur Deus Tzebaoth. Neque hoc aut rarum cuiquam, aut novum videri debet: Sacramenta enim gerunt nomina earum rerum quas ſignificant.* Quidni itaque & Pectoralis ſimulachra appellationes eas, *Urim* & *Thummim*, tuliſſe exiſtimemus; quoniam Luminum & Perfectionum ſigna & ſymbola fuerint à *DEO* inſtituta?

Tertiò. Non eſt quòd dubitemus quin Ægyptii, qui ſymbolis & hieroglyphicis ſuis complebant omnia, Pontificis ſui ſimulachrum, myſtico ἀληθείας titulo decorâſſe, ut ſymbolum & ſignum tacitum extaret fidei & integritatis illibatæ, in perſonâ pro tribunali judicante cum primis requiſitæ. Atque hæc eò veritati propiora exiſtimo, quoniam & veteres *Medi*, Ægyptiorum exempla æmulati, Judicibus ſuis ornamenta quædam dedêre, *è margaritis facta & ad collum de limeis pendentia, quæ & Pilaticia vocabantur:* referente *Scheffero*, ex *Curopalate*, lib. ſupra memorati Sect. 8. Ille verò, *Pacium* ſecutus, græcum πλατίκια exponit

diſquiſi-

disquisitionis & accuratissimæ cognitionis monimentum, quam à Judice opus est adhiberi, antequam judicet aut ferat sententiam: quia Pileata Orientalibus est rerum ignotarum & obscurarum disquisitio & perveſtigatio. Cùm itaque Pontificis Ægyptiaci simulachrum Ἀλήθεια nominatum, primam Pontificis Hebraïci ornamentum, cui Thummim titulus, instituendi causam attulerit; suadet ratio ut censeamus ornamentum illud titulum suum assecutum fuisse, ut monitoris locum teneret, qui Pontificis si quando dormitantis aurem vellicaret, ut in acrem personæ suæ dignitatem morum integritate tuendi curam evigilaret.

Quartó. Quamvis *Micha* & fortasse Israëlitæ ad Tabernaculi & Templi formam & usum se totos accommodârint, & imaginem τῶ *Urim* expressam in sacra sua transtulerint; nomen tamen *Theraphim* antiquitus usurpatum consultissimi retinuerint. Nôrunt scilicet *Urim* & *Thummim* nomina sepositа esse, religione & mysterio plena, & à *DEO* Pectoralis icunculis data, ut rerum cœlestium figuræ & umbræ, prout cætera Legis instituta, redderentur. Ideoq; nomina illa ut δαύματα potiùs quàm ῥήματα venerati sunt, & à consecratis illis titulis, prout ab unguento Sanctuarii, religiosè videntur abstinuisse; nè & ipsi novas figuras & sacramenta cudere, adeóque Majestatis divinæ jura sibi sumere & sacrilegè violare crederentur. Nisi enim à nominum eorum usu, religione quâdam tacti, temperaverint, me nescire fateor, cur nomen & figuram *Ephodis* retinuerint, τῶ *Urim* etiam similitudinem effinxerint, & ritus alios Mosaicos æmulati sint; ea tamen nomina, nè tenuissimo expressa susurro, in sacris suis omnibus percipiamus.

Quintó. Quilibet alius ritus Mosaïcus qui à seculi

aut

aut Ægypti usu initium petiit, ità in formam & speciem, antiquæ suæ paulò dissimilem, flectebatur, ut è ligno illo *Mercurius* cœlestis fieret, & è veteri ethnicismi more, novum prodiret rei alicujus divinæ symbolum & monimentum. In hujusce veritatis subsidium vix vocata veniunt illa *Abenephii* verba, *lib. de mysteriis Ægyptiorum*, quæ ex Arabico in Latinum sic transtulit *Kircherus*, Oedip. Ægypt. Tom. 1. Synt. 4. c. 1. *Erat frequens in Ægypto usus phylacteriorum variis imaginibus insignitorum, queis se fortunatos futuros esse credebant; queis adjungebant statuunculas quas* Avertentes *nuncupabant; quas nunc in collo, pectore, manibus portare, nunc in angulis domuum, aliisque locis veluti custodes eorum collocare solebant. Quos usus omnes, Lex in* Thephilin & *Mezuzoth*, & *Totaphot convertit: quæ quidem nihil aliud erant quàm coria ex mundo animali, in quibus verba Dei legis servandæ continuam memoriam suadentis & præcipientis scribebantur, ponebantúrque super frontem & brachia & postes portarum*, &c. Deinde, cùm Pontificis Ægyptii pectus auro & gemmis stellantibus (si *Diodoro Sic.* fides) insigne, miram ei & religioni cui operam dedit apud plebem Hebræicam gratiam & dignitatem conciliaret; *Deus* & suo Pontifici, nè priori elegantiæ laude inferior esset, Pectorale, cui auri & gemmarum fulgor decus & nitorem addebat, in ornamentum dedit: sed gemmæ illæ, Deo jubente, Tribuum nomina inscriptæ fuerant, ut in figuras & mysteria transirent; ut Sacerdos Magnus iis exornatus, Christi Domini, nomina nostra pectore suo altè insculpta ferentis, & causam nostram apud Patrem agentis, imaginem eo magis luculentam exhiberet: adeóque dum gemmarum splendor oculos rudiores pasceret, earum mysteria animos

nimos capaces erudiret. Cùm itaque *Urim* & *Thummim* ex *Ægypti* seculíque moribus in sacrorum suorum album transcripserit Deus; non vani credimus Eum icunculas illas in rerum divinarum symbola & figuras transtuliſſe, adeóque antiqua eorum nomina paululùm immutâſſe, ut eſſent Pontifici & populo διωνεκὲς διδασκαλίαι, (utì loquitur S. *Chryſoſtomus*, de S. *Petri* nomine diſſerens) *pro jugi magiſterio*, & doctrinæ cœleſtes cuivis τὸν ἐχοντα per ea feliciùs traderentur.

Hæc ea ſunt quæ de nominum horum, tum diviſim tum conjunctim ſpectatorum, rationibus dicenda putavi: è quibus omnibus facilè intelligamus Deum egregium ſapientiæ ſuæ documentum in eorum electione dediſſe: Si enim omnes linguæ ſanctæ copias oculis curioſis perluſtremus, vocabulum nullum invenire datur, quod nominis antiqui *Theraphim*, (cujus vicem implet) ſenſum & formam tam perfectè quàm *Urim* referre, quod Angelis tam aptè convenire, & quod ob ſignificationis ſuæ amplitudinem myſteriis quæ dixi adumbrandis tam commodè inſervire poſſit. Nomen etiam *Thummim* illuſtre ſapientiæ divinæ argumentum præbere, ſatis è jam dictis pateat, hoc in loco, nè ſtomachis delicatis nauſeam faciant, minimè reponendis. Et profectò (ut arcanum interioris domûs meæ jam pandam) eo inprimis nomine me ſententiæ de origine & naturâ *Urim* & *Thummim*, & nominum ratione traditæ, tam ſanctè devotum & devinctum fateor; quòd ſapientiæ & bonitatis exempla egregia & *DEO* digna (humanitus loquor) animis noſtris objiciat, & arcana & quaſi adyta quædam in inſtitutis illis divinis referat, quibus hominum vulgo non pateret aditus. Cùm tamen ſententiæ aliæ (au-

thorum

thorum pace dixiſſe liceat) humile & plebeium ſpirent, nullas artis aut myſterii notas ferant: ſed quædam trita adeò atque obvia ingerant, quòd in pueri oſcitantis animum cadant; tam frigida, quòd catarrhum provocent: & (ut paucis omnia colligam) quædam miraculoſa adeò quòd hominis perſpicacis fidem longè excedant; alia verò tam frivola, jejuna, & ab omni ſapientiæ & myſterii ſpecie remota, quòd infra Oraculi divini & mentis verè virilis dignitatem plurimùm ſubſidant.

CAP. VI.

De perſonâ cujus erat Urim & Thummim geſtare & conſulere.

SUpremam primæ Textûs parti, *Benedictionis materiæ*, dilucidandæ jam dedi operam. Secundam, *Benedictionis ſubjectum*, quàm potero pauciſſimis abſolvam. Eam autem provinciam quò magìs ad votum ornem & viam minùs impeditam ad ſequentia muniam, de ſenſu illarum vocum, לאיש & חסידך, in primo limine breviter diſſerendum eſt.

Quod itaque ad לאיש ſpectet, monendum eſt, eam eſſe adorandam Scripturæ hujuſce plenitudinem, ut vocem illam & *disjunctivè* & *collectivè* hoc in loco ſumendam poſtulet.

Primò. *Disjunctivè* intelligenda eſt: id eſt de perſonâ ſingulari, nimirum, proximè & immediatè, *Aarone* ſolo & quovis è familiâ ſuâ filio natu maximo, cui natalium jure munus Pontificium in poſterum cederet. Nam conſtat *Urim* & *Thummim*, *Aaroni* ſoli & cuivis in ſede Pontificiâ illi ſuccedaneo concredita

fuiſſe: deinde, vox illa חסיד, ſenſu ſuo maximè famoſo & uſitato ſumpta, vix poſſit de perſonâ ullâ cui *Urim* geſtare datum intelligi, niſi de *Aarone*; cui *Urim* & *Thummim* primo conceſſa fuerant, & qui *Sanctus Domini* appellatur, *Pſal.* 106. 16. & à *Sirachide* ſignanter ἅγιος. Cap. 45. 6. Neque his obſtat, quòd *Aaron* ſupremam neceſſitatem ſubiiſſet, cùm *Moſes* hanc favoris divini teſſeram in illum conferendam petierit; nam *Aaronis* filii in vivis erant, in quibus ipſe fato ſuo quaſi ſuperſtes vixit. *Aaroni* itaque qui filiorum ope adhuc ſupererat, *Urim* & *Thummim* comprecatur *Moſes*. Hunc vocis hujuſce ſenſum confirmat, quòd ad *Meſſiam*, Sacerdotis Summi antitypum, reſpectum habeat: prout occaſione natâ fusè deinceps probaturus ſum.

Secundò. Neceſſe eſt ut ſignificationem collectivam huic voci tribuamus: nam ſignificationis tantùm prioris anguſtias rationes ſequentes minimè patientur. (1°.) *Moſes* pro benedictione toti Tribui Leviticæ, æquè ac cæteris omnibus, impertiendâ, hoc in loco preces concipit. (2°.) Viro illi felicia omnia precatur *Moſes*, qui *patri & matri ſuo dixit, non novi vos*; id eſt, qui nullâ ſanguinis communione & neceſſitudinis maximæ vinculo impediri potuit, quò minùs Dei juſſa exequeretur: *Deuter.* 33. 9. quæ ſanè verba de filiis *Levi* neceſſariò intelligenda, qui capitis pœnam ſumpſerunt de Legis divinæ violatoribus, quamvis intimis conſanguineis & devinctiſſimis familiaribus. *Exod.* 32. 29. (3°.) *Urim* & *Thummim* hoc in textu, non tantùm ut nomina propria, Pectoralis inſtrumentis indita, ſed ut appellativa, ſumi poſſint & debeant; nempe ut lumina illa & perfectiones denotent, quibus *Moſes* non Pontificem ſolum, ſed Tribum præcipuè ſacram donari voluit.

Vox

Vox חסיד, quæ proximo incumbit explicanda, nunc adjectivi communis nunc proprii locum in Scripturis obtinet. Quando ut nomen commune ſumitur, nonnunquam *activè*, aliquando *paſſivè* in Scriptis divinis uſurpari ſolet. (1°.) *Activè*, pro viro benefico, miſericordi, vitam ſanctè piéque inſtituente, ut *Pſal.* 12. 2. *Nam deſiit* חסיד *beneficus*; & *Pſal.* 141. 1. pietatis ſtudioſi audiunt קהל חסידים *congregatio Sanctorum.* Vocem hoc ſenſu frequentiùs ſumendam eſſe, Interpretes Græci exemplo ſuo docuêre, qui eam toties activè tranſtulerunt: ex. gr. *Pſal.* 18. 26. Ubi verba Hebræa עם חסיד התחסר LXX reddunt μετὰ ὁσίου ὁσιωθήσῃ· & *Prov.* 2. 8. *(cuſtodiet viam)* חסידיו, transferunt φυλαξαμένων αὐτὸν, & ità alibi paſſim. Hinc חסידים *pii* dicti ſunt olim, qui ſingulari legis & pietatis ſtudio ſeſe ſupra cæteros è Judæorum gente commendârunt. (2°.) *Paſſivè* etiam accipitur, pro viro quem *DEUS* favore & gratiâ maximâ, nullo ſuo merito, amplectitur, & inſigni aliquo beneficio in eum collato ſibi devinctum habet: vocem ſic ſumptam optimè interpretatur Græcorum κεχαριτωμένη. *Luc.* 1. 28. Quando autem hunc ſenſum capiat, malim verbis illis eruditi *Schindleri* tradere quàm propriis: *Cùm verbum* חסיד *uſurpatur ad Deum relatum, ſignificat eum qui à Deo beneficium accepit; cui Deus bene vult & bene facit.* Lexic. Pentag. p. 618. De voce hâc paſſivè uſurpatâ, eruditè, ut ſolet, diſſeruit *Fullerus* noſter; *Miſcel. Sacr.* l. 1. c. 8. quem conſulat cui jecur philologicum.

Aliquando etiam vox hæc adjectivi proprii vice (ut חכמים olim apud Hebræos & σοφοὶ apud Græcos) uſurpatur; & de *Levitis*, veluti nota propria & attributum diſtinctivum, intelligitur. Ità *Pſal.* 30. 5. *Pſal-*

fuiſſe: deinde, vox illa חסיד, ſenſu ſuo maximè famoſo & uſitato ſumpta, vix poſſit de perſonâ ullâ cui *Urim* geſtare datum intelligi, niſi de *Aarone*; cui *Urim* & *Thummim* primo conceſſa fuerant, & qui *Sanctus Domini* appellatur, *Pſal.* 106. 16. & à *Sirachide* ſignanter ἁγιος. Cap. 45. 6. Neque his obſtat, quòd *Aaron* ſupremam neceſſitatem ſubiiſſet, cùm *Moſes* hanc favoris divini teſſeram in illum conferendam petierit; nam *Aaronis* filii in vivis erant, in quibus ipſe fato ſuo quaſi ſuperſtes vixit. *Aaroni* itaque qui filiorum ope adhuc ſupererat, *Urim* & *Thummim* comprecatur *Moſes*. Hunc vocis hujuſce ſenſum confirmat, quòd ad *Meſſiam*, Sacerdotis Summi antitypum, reſpectum habeat: prout occaſione natâ fusè deinceps probaturus ſum.

Secundó. Neceſſe eſt ut ſignificationem collectivam huic voci tribuamus: nam ſignificationis tantùm prioris anguſtias rationes ſequentes minimè patientur. (1°.) *Moſes* pro benedictione toti Tribui Leviticæ, æquè ac cæteris omnibus, impertiendâ, hoc in loco preces concipit. (2°.) Viro illi felicia omnia precatur *Moſes*, qui *patri & matri ſuo dixit, non novi vos*; id eſt, qui nullâ ſanguinis communione & neceſſitudinis maximæ vinculo impediri potuit, quò minùs Dei juſſa exequeretur: *Deuter.* 33. 9. quæ ſanè verba de filiis *Levi* neceſſariò intelligenda, qui capitis pœnam ſumpſerunt de Legis divinæ violatoribus, quamvìs intimis conſanguineis & devinctiſſimis familiaribus. *Exod.* 32. 29. (3°.) *Urim* & *Thummim* hoc in textu, non tantùm ut nomina propria, Pectoralis inſtrumentis indita, ſed ut appellativa, ſumi poſſint & debeant; nempe ut lumina illa & perfectiones denotent, quibus *Moſes* non Pontificem ſolum, ſed Tribum præcipuè ſacram donari voluit.

Vox

Vox חסידך, quæ proximo incumbit explicanda, nunc adjectivi communis nunc proprii locum in Scripturis obtinet. Quando ut nomen commune sumitur, nonnunquam *activè*, aliquando *passivè* in Scriptis divinis usurpari solet. (1°.) *Activè*, pro viro benefico, misericordi, vitam sanctè piéque instituente, ut *Psal.* 12. 2. *Nam desiit* חסיד *beneficus*; & *Psal.* 141. 1. pietatis studiosi audiunt קהל חסידים *congregatio Sanctorum*. Vocem hoc sensu frequentiùs sumendam esse, Interpretes Græci exemplo suo docuêre, qui eam toties activè transtulerunt: ex. gr. *Psal.* 18. 26. Ubi verba Hebræa התחסד עם חסיד LXX reddunt μετὰ ὁσίου ὁσιωθήσῃ· & *Prov.* 2. 8. (*custodiet viam*) חסידיו, transferunt εὐλαβουμένων αὐτὸν, & ità alibi passim. Hinc חסידים *pii* dicti sunt olim, qui singulari legis & pietatis studio sese supra cæteros è Judæorum gente commendârunt. (2°.) *Passivè* etiam accipitur, pro viro quem *DEUS* favore & gratiâ maximâ, nullo suo merito, amplectitur, & insigni aliquo beneficio in eum collato sibi devinctum habet: vocem sic sumptam optimè interpretatur Græcorum κεχαριτωμένος. *Luc.* 1. 28. Quando autem hunc sensum capiat, malim verbis illis eruditi *Schindleri* tradere quàm propriis: *Cùm verbum* חסיד *usurpatur ad Deum relatum, significat eum qui à Deo beneficium accepit; cui Deus bene vult & bene facit.* Lexic. Pentag. p. 618. De voce hâc passivè usurpatâ, eruditè, ut solet, disseruit *Fullerus* noster; *Miscel. Sacr.* l. 1. c. 8. quem consulat cui jecur philologicum.

Aliquando etiam vox hæc adjectivi proprii vice (ut חכמים olim apud Hebræos & σοφοὶ apud Græcos) usurpatur; & de *Levitis*, veluti nota propria & attributum distinctivum, intelligitur. Ità *Psal.* 30. 5. *Psal-*

lite Domino חסידיו, *sancti ejus*, id est, *Levitæ*; penès quos erant instrumenta musica, & quos ipsa muneris sui ratio, ad Dei laudes doctis cantibus celebrandas obstrictos tenuit: & *Psal.* 132. 9. *Sacerdotes tui induant justitiam*, וחסידיך *& Sancti tui exultent:* nam eo in loco vocem Hebræam *de Levitis* interpretandam esse, ipsa conjunctionis illius & muneris sibi demandati conditio, & concors interpretum sententia doceant. Atq; huic interpretationi gratiam & robur addit suffragium *Chaldæi Paraphrastæ*, qui textum illum in hunc modum explicat ולואי חסידך ישבחון *& Levitæ pii tui laudibus te celebrent.* Ideò verò nomen illud חסידים in peculiarem tandem tribûs Leviticæ characterem transiit, eò quòd titulus ille (sive activè sive passivè vocem illam accipiamus) jure meritóque Levitarum præcipuè capitibus assueretur. Erant enim illi à primis natalibus *DEO* & religioni devota capita: illi soli fidem *DEO* datam summâ cum religione, in *Ægypto* ipsâ, (*si* [a] *Maimonidi* credamus) integram & inviolatam servârunt: & in propinquitatis quàm fœderis cum *DEO* initi jura peccare, potius habuêre. Solis etiam Levitis datum erat *DEO* appropinquare, de *DEO* dicatis vivere, Θεῷ λειτουργεῖν appellari, sacris suis operari, populo post *DEUM* & *Mosen* imperio præesse. Quæ sanè favoris sui pignora quibus *DEUS* eos à mortalium vulgo secrevit, tam eximia erant & planè singularia, quòd *Chore* & assecłæ sui in vulgus sparserint & pro certo affirmârint, insignes illas favoris divini tesseras, non à *DEO* concessas, sed à Levitis, dolo malo, ex animi fastu & fratrum fastidio, sibi solis vindicatas fuisse. Quantum autem Tribus Levitica ante alias, tantum & *Aaron* præ cæteris è domo Leviticâ prognatis,

[a] *De Idol. c. 1. Sect. 10.*

prognatis, hoc illuſtri titulo decorari meruit: qui eximiâ apud *DEUM* gratiâ, ſanctitate quà morali quà [a] ceremoniali, privilegiis denique plurimis, Levitas ordinarios, quantum & illi Iſraëlitarum plebem, ſuperavit.

[a] *Vid. Philon. lib. 2. de Monarch. p. 827. & 828. edit. Pariſ.*

Cùm itaque voces haſce duas, לאיש & חסידך, de Tribu Leviticâ, præcipuè verò de *Aarone* Pontifice & poſteris ſuis intelligendas eſſe conſtet; duo dubia è dictis oriunda mihi ſolvenda veniunt: (1°.) Cur *DEUS* (Illius enim Spiritu afflatus precatus eſt *Moſes*) *Aaroni* ejúsque poſteris, *Urim* & *Thummim* geſtandi & conſulendi partes demandari voluerit? (2°.) Cur *Moſes* hoc imprimis gratiæ divinæ pignus, primario è familiâ Leviticâ viro, eíque ſoli, conceſſum velit, ut *DEI Urim* & *Thummim*, miſſis aliis quibus hominum vulgus pretium majus ſtatuere ſolent, in ſecula frueretur?

Sect. I.

Rationes variæ aſſignantur, cur Deus Pontifici ſoli Urim & Thummim geſtandi & conſulendi poteſtatem fecerit.

CUr Deus Pontifici uni *Urim* cum *Thummim* & geſtandi & conſulendi facultatem conceſſerit, mihi primò expediendum eſt. Si itaque in hoc perplexo Argumento veritatem penè captum fugientem conjecturis venari licuerit, dixerim *Deum* partes haſce Pontifici ſoli concredidiſſe;

Primò, *Suiipſius gratiâ:* nè ſcilicet à Sacris ſuis ad Ethnicorum oracula & ritus, populus ille in idololatriam præceps ſe denuò referret. Si enim *Deus*, Reſponſa à *Theraphim* vel icunculis ſacratis petendi mo-

rem antiquiſſimum prorſus inhibuiſſet; inſulſi Iſraëlitæ, in veterem jurati conſuetudinem, à Lege divinâ, utpote animo ſuo parùm obſequenti, penitus forſan abhorruiſſent: ſin autem integram nullísque reſtrictam cancellis huic mori veniam indulſiſſet, fieri vix potuit, quin aut Dæmon reſponſis oraculi divini titulo deauratis plebem imperitam falleret; aut Iſraëlitæ, legis nullius fræno cohibiti, imagines ſibi privatas, ad ritus morésque gentium conſulendas, compararent. *Deus* itaque *Theraphim* vel imaginem in dubiis interrogandam, de medio penitus ſublatam noluit, nè ex ipſo idololatriæ remedio vitia naſcerentur: ſed eam ſolutam nimis & efferveſcentem antea ſimulachra fatidica, ritu ethnico, conſulendi licentiam arctioribus conſtrinxit vinculis; dum lege ſuâ cautum fuerit, ut populi duces aliíque propheticum Pectoralis ſimulachrum ſupremi tantùm religionis miniſtri interventu, & ritu à ſeipſo inſtituto, conſulerent: ut per illum ſub Pontificis oculo obnoxium & cenſuræ metuentem conſulendi modum, quælibet idololatriæ aut impoſturæ diabolicæ ſpecies & anſa præſcinderetur. In hanc autem ſententiam me duci patior, non tantùm quòd ratio illa ſemetipſam ſatis firmet & probet; ſed quòd *Deus* ritus alios Moſaïcos, ex ethnicis principiis ortos, quoad locum, aut tempus aut perſonas reſtrictos & ligatos, & ſub certis quibuſdam legibus perpetuò obſervandos, Iſraëlitis dederit; nè ritus illi, quos jam ſuos fecerat, veteris idololatrici usûs & cultûs ſpeciem & occaſionem ullam habere aut præbere viderentur.

Cùm enim gentibus antiquiſſimis in more poſitum eſſet, ut δαίμονας ἐγχωρίους fuſo ſanguine placarent, & ut animalia ad cibum communem mactantes, Diis

loci

loci vel idolo suo se hoc vel illud animal mactare & nuncupare testarentur, & Israëlitæ nefandis earum ceremoniis initiati & addicti essent; *DEUS* morem illum carnibus tantùm immolatis vescendi non prorsus abdicavit, sed Israëlitas oves aut boves in cibum destinatos ad Tabernaculi ostium adducere, in suo quasi conspectu occidere, & Sibiipsi immolare jussit: *Levit.* 17. 3, 4. nè secretò vel in apertis campis occidentes, se animal illud aut ejus sanguinem partémve Dæmoni vel Genio alicui sacrum voverent, & cibis cultu vel consecratione idololatricâ pollutis se contaminarent. Cùm etiam Israëlitis dies quosdam festos & solennes, recepto seculi more, agere permissum esset, sub capitis pœnâ sancitum est, ut eos temporibus tantùm & locis à *DEO* ipso præscriptis observarent; ut ipsæ eorum circumstantiæ docerent se stata illa sacra in *DEI* solius honorem celebrare. Cùm etiam sacrificia præcipuas olim in gentilium cultu haberent partes, victimas & Sibi immolari voluit supremum Numen: eas tamen cædendi munus non cuivis è plebe illotâ sacrificulo, (quod gentibus in morem venisse testatur Scriptura, 2 *Chronic.* 13. 9.) sed Sacerdotibus tantùm natalium sanctitate illustribus, demandavit: nè forsan Israëlitæ dæmonum aras victimarum sanguine imbuerent, si *DEUS* antiquam sacra faciendi potestatem, nullis restrictam legibus, iis concessisset. Quando itaq; *DEUS* oracula (juxta Gentium usum) à *Theraphim* petendi, ea tamen non nisi medio Pontifice consulendi potestatem, Israëlitis dederit; consultò credi possit Deum potestatem illam in hunc modum restrinxisse, ut furtivi omnes ad gentilium idola & lares aditus, populo (cui promptum in divinationes ingenium) præcluderentur; & illi se Pectoralis *Theraphim* *DEI* solius

ſolius nomine in dubiis ſciſcitari clarè teſtarentur.

Secundò. *Chriſti gratiâ*: hoc eſt ut Pontifex legalis eò illuſtrior typus evaderet Pontificis Evangelici, Chriſti Domini, cujus ille imaginem geſſit. Quoniam enim nondum apparuerat Sacerdos noſter Maximus, cœleſtis conſilii Angelus, *DEUS* Pontificem Moſaïcum beneficiorum & perfectionum ſuarum omnium prophetica quædam ſymbola & figuras exhibere voluit; ut in eo *Meſſiæ* imaginem ſaltem animæ purgatiores contemplari poſſent. Nimis autem ſoluti eſſent orationis meæ pedes, ſi per omnia illa ſimilitudinis exempla irent, quæ imaginem illam (Sacerdotem Summum) primum ſuum exemplar adamuſſim retuliſſe probant. Satis in præſens fuerit, hæc pauca affinitate proximâ argumento noſtro conjuncta leviter attigiſſe: Quemadmodum Sacerdotum Princeps per *Urim* & *Thummim* negotium populi ad Deum, & reſponſum Dei viciſſim ad populum referens, perſonam mediatoris inter utrumque ſuſtinuit; ità & Chriſtus, qui cauſam noſtram apud Deum agit, & Dei conſilium nobis exponit, Dei atque hominum Mediator eſt. Deinde, quemadmodum Pontifex Τελισμέγιστος fuit, [nempe Sacerdos Maximus, Rex poſt Deum maximus, & Propheta mediante *Urim* maximus] ità & Chriſtus unus inter omnes qui munera illa exercuêre longè maximus. Præterea, prout Sacerdos Dei voluntatem, per *Urim* vel Angelos mentis divinæ Interpretes traditam, populo patefecit; ità & Chriſtus cœli arcana ſub Vet. Fœdere per Angelos, ſub Novo per *Haurim*, illa *mundi Lumina*, Apoſtolos intelligo, Dei Iſraëli annunciavit. Quemadmodum denique myſtica illa ornamenta, *Haurim* & *Hathummim* dicta, in Pontificis ſolius Rationali locum invenerant; ità & in divino

vino tantùm Christi Pectore lumina & perfectiones gradu excellentiæ reposita reperire liceat. Certè pulchra hæc inter Pontificem Verum & Umbratilem tot exemplis probata similitudo, indicio est Christum Dominum, veluti primum exemplar, ante oculos Summi Numinis obversatum fuisse, cùm Sacerdotis Summi ornamenta, Pectorale imprimis, præscriptum iret; Deúmque id egisse, ut Sacerdotis nostri Summi perfectiones in Pontificis ornatu, tanquam in parvulâ tabellâ primis lineolis adumbratæ proponerentur. Neque est quòd me pulchra tantùm figmenta jam tradere sentiat quispiam, cùm *DEUS in totâ priorum temporum œconomiâ* (observante *Grotio* in *Mat.* 1. 22.) *Christum ejúsque res gestas, ut pulcherrimam ac perfectissimam speciem perpetuò veluti ante oculos habens, cætera omnia ad illius instar effinxerit.*

Tertió. *Israëlitarum* forsan *causâ*, propheticum *Urim* in Pontificis tantùm arbitrio & potestate situm voluit *DEUS*: nimirum ut puerilia eorum studia ab Oraculi ullius desiderio sensim sine sensu graviore avocaret. Cùm enim futura & arcana cognoscendi ardor inexplebilis Judæorum mentibus insideret, certum est Deum populi sui vanitati & stultitiæ præcipuè (cui [a] *Plato* divinationem datam asserit) tempore & arte quâdam, non consilio aut præcepto, corrigendæ Oracula concessisse. Quò itaq; *DEUS* ardorem illum restingueret, & populum suum ad indolem magìs virilem aliquando perduceret, hanc viam scopo suo & populi conditioni egregiè accommodatam ineundam statuit: *Theraphim* vel icunculas oraculis claras, ipsas populi Israëlitici delicias & desideria, sacris suis repente eliminari noluit; nè animos lubricæ ad fidem mutandam

[a] Μαντικὴν ἀφροσύνῃ Θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν.

genti

genti nimis offenderet, & populi vitia importunè vetando irritaret. Neque tamen *Theraphim* in domibus aut ſacellis quibuſvis locari & in conſpectum publicum effundi paſſus eſt, nec vili cuivis è vulgi fæce capiti ea conſulenda tradidit: ſed in abdito prout Templi *Cherubim* latere voluit Deus, & (cùm populus de rebus ſuis ad Oraculum referret) dubia proponendi & conſilia divina deferendi partes Pontifici integras reſervavit, Nimirum ut Pectoralis Oraculum, quod tam difficiles & impeditos habebat aditus, eſſet quaſi δῶρον ἄδωρον, beneficium penè abſens præſens; adeóque Iſraëlitæ illius deſiderium paulò moderatiùs ferre diſcerent, & illud inter admiranda potiùs quàm expetenda numerarent. Deinde, propheticum *Urim*, in pontificatûs inſignia relatum, dubios mobilésque Iſraëlitarum animos in veri Numinis cultu firmare poterat; quatenus favoris divini in Pontificem & ſacra illa, quorum ipſe Antiſtes fuit, tam fidum & ſenſu percipiendum præberet teſtimonium. Nemo enim, cui ſanum ſinciput, dubium de cœleſti cultûs Moſaïci origine & Pontificis gratiâ apud Deum movere potuit; cùm ſupremus cultûs illius miniſter *DEO* quaſi à manu eſſet, & ſanctiora cœli conſilia ex ipſo ſuo Pectorali populo traderentur.

Quartò. *Oraculi* ipſius *gratiâ*, non niſi Pontifice mediante ſeſe interrogandum præbuit Summus *DEUS*: nè frivolis & ineptis de aſini umbrâ dubiis Oraculi ſui Majeſtatem læderet profanum & curioſum vulgus. Nam ex annalium Ethnicorum fide ſatìs pateat, tam craſsâ indole & ad omnem pietatis & modeſtiæ ſenſum hebeti fuiſſe inſulſam plebem, quòd Deos ſuos importunis quæſtiunculis quaſi obtundere vellent, & *ſortes* (utì loquitur *Lucretius*) *fatigare*.

Quò

Quò itaque ingeniis malè curiosis fibulam imponeret *DEUS*, & nodi tantùm Se vindice digni Oraculo suo solvendi proponerentur; *Urim* penès Pontificem esse voluit, Eúmque quasi *arboris scientiæ* custodem constituit, nè quis per levioris momenti dubia Oraculi sui religionem violaret, & Oraculum illud connatum, in pectore proprio positum, Rationem intelligo, oscitanter negligeret. E gentilium philosophis nonnulli Responsa circa res nihili vel ratione humanâ facilè determinandas expectare, Deorum simul & rationis humanæ opprobrium habuêre: utì liquet è *Plutarcho* in Περὶ τοῦ Εἰ, & *Simplicio* in *Epict.* cap. 39. Deinde, ad Oraculi dignitatem in populi conspectu tuendam plurimùm conducebat, quòd personæ tantùm quæ cæteras dignitate anteibat datum esset, *DEI* consilium per *Urim* petere. Profectò si cuivis vilissimæ sortis homuncioni *Urim* adire contigisset, fieri vix potuit quin oracula Dei, *præ margaritis pretiosa*, algâ tandem viliora crederentur. Non solent regis facillimi limina impuris rustici cujusvis pedibus teri, nè si malè moratâ plebe familiariter utatur, benigni facilísque Principis fama Majestatis imminutæ pretio redimatur. Quò itaque Regibus eorúmque placitis suus constet honos & reverentia, admissionum facilitatem non ferunt, sed Eos per regni tantùm proceres & primæ dignitatis capita adire concessum. *DEUS* etiam, quò reverentiæ Sibi & Oraculo suo debitæ prospectum esset, illud personæ tantùm, cujus locus, sanctitas, & ornatus sibi & aliis religionem incuteret, consulendum dedit. Opinionis hujusce argumentum ex eo sumo, quòd ad rerum omnium sacrarum decus & honorem illæsum asseserendum, Summi Legislatoris cura (sit verbo venia) imprimis vigilaverit. Nam præcepit ut *caro sancta*, ultra

ultra terminum comestioni ejus destinatum relicta, igni mandaretur: *Levit.* 7. 17. Cujus præcepti ratio, referentibus Judæorum magistris, fuit הגרלת דבר הקרבן *magnificentia sacrificii*; si enim ultra diem tertium mansisset, ob odorem suum graviorem munus Domini forsan eviluisset. *DEUS* etiam in mandatis dedit, nè Sacerdotes capillitium promissum, more lugentium, habentes, *Sanctuarium* ingrederentur. *Levit.* 21. 10. *Ezech.* 44. 20. finem & hujus præcepti statuunt Judæi הגרלת הבית *magnificentiam Templi*, à cujus dignitate alienum fuit, ut illius sacra limina quispiam schemate lugubri transiliret. Quidni itaque *Oraculi magnificentiam* in causâ fuisse credamus quare *DEO* visum sit *URIM* interrogandi munus Sacerdoti tantùm Supremo, non sordido cuivis & abjecto capiti, assignare?

Quintó. *Pontificis causâ URIM* ei soli concessum videtur; nempe ut oraculum divinum illius ministerio traditum, se pontificatum jure divino occupare testaretur; adeóque locus nullus relictus esset iis, qui tam augustæ dignitatis consequendæ gratiâ, regnum in studia partésque distraherent; nec quisquam crederet *Mosen* gratiæ & affectibus humanis nimiùm dedisse, cùm *Aaronem* & primogenitos omnes ab eo generis seriem ducentes, tantâ sibiipsi consanguinitatis & necessitudinis propinquitate admotos, Pontifices designârit. Nam *id Mosis factum non caruit calumniâ*, inquit *Philo, l. 3. de Vit. Mos.* ὡς τοὺς μὲν χρησμοὺς ἐπιψευσαμένου, ποιησαμένου δὲ τὴν αἵρεσιν διὰ τὴν οἰκειότητα καὶ τὴν πρὸς τὸν ἄδελφον εὔνοιαν. i. e. *quasi prætextu oraculi, plus valuisset domestica gratia quàm utilitas publica.* Huic jam tum nascenti malo aliisque remedium maturè idoneum providisset *DEUS*, cùm virum illum quem

pontificatu

pontificatu fungi voluit, oracula divina tradendi facultate, quasi sacro quodam sigillo & charactere, ab hominum vulgo discerneret & separaret. Nemo enim de jure, quo quispiam Pontificis dignitatem tenuit, litem movere, eúmque honoris non sui invasorem habere poterat; cùm *DEUS* eum Oraculi sui interpretem acciperet, eíque pontificatum exercenti responsis manu suâ traditis annuere videretur.

Neque verò instrumentum propheticum, *Urim* nuncupatum, ad pontificis tantùm officium à cujusvis malæ fidei possessoris injuriâ, sed & illius personam à populi contemptu vindicandum inservire posset. Tam iniqui rerum judices sunt οἱ πολλοὶ, quòd fieri vix possit quin sacrorum honos & reverentia, cum ipso Sacerdotum dignitate ruat, & religio ex ipsis quas ministri sui ferunt sordibus maculas concipiat. Singulæ itaque gentes quas ullus religionis amor studiúmque tenuit, id primis in curis posuêre, ut populus sacrorum ministros eo quo par est cultu animíque obsequio observaret. Nec minùs à *DEO OPT. MAX.* cùm præceptis tum institutis suis curatum; ut Israëlitæ αἰδεῖσθαι ἱερῆα discerent. Prout itaque prophetis miracula & signa, & Regibus unctionis solennis sacramentum, ad eorum dignitatem asserendum, concesserit; ità & Sacerdoti Summo splendida pontificatûs insignia, quæ illi decus & majestatem adderent. Nempe capiti suo coronam imposuit, ad augustam gestantis præsentiam efferendam: illius corpus vestibus multo auro gemmísque illustribus exornavit: illius etiam pectori *Urim* & *Thummim* affixa dedit, ad gratiam & honorem illi coram populo κατ' ὄψιν judicante conciliandum. Et certè honore magis insigni Pontificem dignari vix poterat *Deus* (more hominum mihi loqui fas sit) quàm

quòd

quòd locum quaſi Angeli terreſtris teneret, cujus ſolius miniſterio cœli conſilia populo ſuo nota faceret. In hâc ſententiâ antiquiſſimos Judæos ſtetiſſe, ſatis eorum mores referunt. Nam *Diodorus Siculus*, lib. 40. apud *Photium*, poſtquam in Ebræorum ortum, jura & ritus, paulò curatiùs inquiſiviſſet, perſonæ inter Sacerdotes meminit cui *Moſes* προεδρείαν *præſidentiam* decreviſſe ait; atque ex antiquâ *Ægyptiorum* traditione ſubdit, Τοῦτον προσαγορεύουσιν Ἀρχιερέα, καὶ νομίζουσιν αὐτὸν Ἀγγέλου γίνεσθαι τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων. Τοῦτον δὴ καὶ τῆς Ἐκκλησίας καὶ τῆς ἄλλας συνόδους, φησὶν, ἐκφέρειν τὰ προαγγελλόμενα, καὶ πρὸς τοῦτο τὸ μέρος οὕτως εὐπειθεῖς γίνεσθαι τοὺς Ἰουδαίους, ὥστε προπεσόντας ὅτι τάχιστα τῇ γῇ προσκυνεῖν τὸν τούτοις ἐρμηνεύοντα Ἀρχιερέα· i. e. *Eum Summum Sacerdotem nuncupant, & NUNCIUM exiſtimant oraculorum divinorum. Eundem ferunt in cœtibus Eccleſiaſticis, & aliis* (fortaſſe bellicis) *conventibus* ſibi à Deo *annunciata proferre, & Judæos Ei ità plurimùm obtemperare, ut deſubito*, ad primum ejus obtutum, *proni in terram cadentes, Pontificem* Dei mentem *iis interpretantem venerentur.* Quæ quidem *Diodori Siculi* traditio proculdubio non ad noviſſima penè, quibus ipſe floruit, Judæorum tempora reſpectum habuit, cum res eorum in pejus indies inclinarent, Oraculum *URIM* fileret, adeóque Pontifex Max. honoris & poteſtatis ſuæ jacturam haud levem faceret; ſed ad ea quibus res ſuæ integræ ſtarent, vocale Oraculum (non ſine ſacro quodam ſtupore memorandum) in ipſo pectoris ſui velamine geſtaret; cujus reſponſa in publicis conciliis dubiisque religiosè expectare, & cujus gratiâ reverentiam à cultu proximam Pontifici ipſi, tanquam *DEI* Legato, deferre

Cod. 244. μυριοβίβλ.

ſolerent.

solerent. Quis enim hominis illius ora nisi horrore quodam religioso perstrictus intueri potuit, qui Numen circumferre, regni fata ex ipso sinu promere, vestes futurorum præscias gerere, verbo, qui primus inter homines & ultimus inter Angelos esse videretur. Nam causis non nisi altis & seriis tribuendum, quòd tanta populum Judaïcum religio incesserit olim, ut cultu tam prono & humili pontificem exciperent, eúmque Nuncii divini titulo & honore cohonestarent.

Sextó. *Decori gratiâ* probabile est Deum *Urim* interrogandi potestatem Sacerdotum principi detulisse. Si enim rationis liberæ examini & arbitrio rem totam submittamus, sine dubio Judæorum hierarcham personam huic muneri fungendo maximè idoneam judicabit. Quis enim (hominum rationem appello) magìs aptus censeri possit, cui cum ipso Numine commercii quicquam intercederet, qui Angelos sibi intimos & familiares haberet, & tremenda Dei consilia populo annunciaret; quàm persona sanctitate singulari insignis & publicis religionis muniis obeundis ante alios dicata? Rationem simplicem hanc sententiam facilè laturam, Gentilium ex naturæ solius sensu de honesto & decoro judicantium exempla doceant: apud eos enim in legem abiit, imaginum sacrarum responsa per Sacerdotes solummodo, expiata illa & Numini devota capita, tradenda expectare. Nam soli *Apollinis* Sacerdotes, referente *Curtio.* l. 4. ab illius imagine, oraculis olim insigni, responsa petere solebant. Idem ex oculatâ fide testatur *Lucianus*, in libro suo *de Deâ Syriâ*, verbis conceptis: Μαντήια πολλὰ μὲν παρ' Ἕλλησι, πολλὰ δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοισι, τὰ δὲ καὶ ἐν τῇ Λιβύῃ, καὶ ἐν τῇ δὲ Ἀσίῃ πολλά ἐστι· Ἀλλὰ τὰ μὲν οὔτε ἱερέων ἄνευ

ἔτε προφητέων φθέγγονται· i. e. *Oracula quidem multa tum apud Græcos tum apud Ægyptios sunt, multa autem & in Africâ, & in Asiâ item multa. Sed illa quidem neque absque Sacerdotibus, neque absque interpretibus responsa dant.* Solis itaque Sacerdotibus Vatibúsque, immediato Deorum alloquio gaudere, & eorum quasi consiliis intimos esse, concessum fuerat. Nec dubitandum tamen quin Ethnici eodem consilio quo Sacerdotes ante alios, Pontificem ante Sacerdotes, si fortè adesset, sacratiori huic Deos consulendi muneri præponerent. In cujus rei confirmationem & argumenti totius illustrationem, non pigebit inclytum ejusdem *Luciani* in libro laudato testimonium in medium dare. Illic autem plurima refert de Templo illo *Deæ Syriæ* inscripto, quod nominis sui famam per orbem terrarum propagârat; inter alia verò, quòd in eo fuerint ἀρχαῖα ἀναθήματα καὶ πολλὰ θαύματα, καὶ ξόανα θεοπρεπέα, καὶ Θεοὶ ὅ κάρτα αὐτοῖσι ἐμφανέες, &c. i.e. *Donaria antiqua & miraculosa multa & statuæ religiosæ, & Dii quoque ex ipsis manifestam significationem dantes. Siquidem & sudorem,* inquit, *emittunt quæ ibi sunt statuæ, moventur & oracula edunt.* Præ cæteris verò *Apollinis* statuam vaticiniis & quibusdam consulendi ritibus quasi privatis ac suis notabilem memorat. Nam, inquit, Ἐυτ' ἂν ἐθέλῃσι χρησμηγορέειν, &c. *Cùm illi libitum sit oracula fundere, in sede suâ primùm movetur: quo signo dato, sublimem tollunt Sacerdotes.* Et post pauca, addit Ὁ Ἀρχιερεὺς ἀντιάσας ἑπερέῃ μιν περὶ ἁπάντων τῶν χρημάτων. *Summus Sacerdos supplex accedens, interrogat illum de omnibus in dubio positis:* atq; hisce omnibus memoriæ prodendis, *Lucianus* se priscæ fidei religione versatum seriò testatur.

Septimó. *Regiminis gratiâ:* cujus rationis valorem quò

quò distinctiùs percipiamus, sciendum est Deum, simulac *Moses* è vivis emigrâsset, Sacerdotem Summum, supremum regni præsidem & quasi vicarium suum statuisse. Constat hoc ex *Numer.* 27. 19, 20. *Josh.* 14. 1. *Deut.* 17. 12. *Josh.* 17. 4. aliisque locis, quibus Pontifici in jure dicendo, causis cognoscendis, & rebus publicis moderandis, partes primæ tribuuntur. Idem etiam loquuntur ipsa Sacerdotis Magni ornamenta, potestatis cujusdam regiæ insignia. Inter ea *Mitram* imprimis imperii summi indicem interpretatur *Philo.* lib. περὶ φυγάδων, ubi de dignitate pontificali agens, hæc dicit, Καὶ ὅτι τῷ κεφαλῇ ὑδέποτε ἀποματεῦσι, τὸ βασίλειον ἐκ ἀποδύσει διάδημα, τὸ σύμβολον τῆς ἐκ ἀπαραίτητου μὲν, ὑπάρχου δ' ἐν ἀσυμφόροις ἡγεμονίας. i. e. *Ex eo etiam quòd caput ejus mitrâ nudandum non est, Regium diadema non est ei exuendum: quod quidem insigne est potestatis, non quidem imperatoriæ, sed tamen gubernatricis & præfecturæ admirabilis.* Quibus verbis Pontificis mitram diadematis regii vicem occupâsse, & potestatem regiæ affinem indicâsse, *Philo* eò consultiùs asseruisse videtur; cùm cidarim seu mitram capitis sui ornamentum posuerit DEUS, κιδάριν γὰρ οἱ πρὸ ἑῴων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι, *quòd & Orientis reges cidari, diadematis vice, uti solerent:* modò illa ejusdem *Philonis* ratio, libro 3. *de Vitâ Mosis* tradita, quid veri ferat. Nec minùs clarum & indubium loci penè regii signum extitit [a] *Pectorale judicii*, quod Pontifici in ornamentis fuit; nam Hebræi ipso illius titulo edocti facilè intelligerent, Pontifici soli post *Deum* jus dare simul & dicere concessum esse. Hisce subsidio veniant verba illa S. *Chrysostomi*

[a] *Pectorale judicii symbolum erat potestatis judicialis in Sacerdote, tanquam ordinario præside Reipublicæ.* Cocceius in Hos 3. 3.

stomi apud *Photium* in *Biblioth.* p. m. 1533. ἡ μὲν πάρα τῶν ἐξουσίαν ἐτύπτε, ὧν τι αὐτὸς [ὁ Ἀρχιερεὺς] εἶχε τοῦ λαοῦ. Quod ornamenta jam dicta, voce submissâ, *Josephus* voce clarâ & distinctâ testatur, cùm βασιλειαν, *potestatem regiam*, appellat τὸν πρόπεσον τοῖς κατ' γένος Ἀρχιερεῦσι διδομένων τιμῶν· *honorem quo primitus genus pontificale honestabatur.* Antiq. Jud. l. 14. c. 8. Hisce etiam testimonium perhibet *Diodorus Sic.* l. 40. apud *Photium*; ubi de Judæorum rebus disserens, ait *Mosem*, βασιλέα μὲ μηδέποτε τῶν Ἰουδαίων, &c. *non ordinâsse Judæis regem, sed imperium populi ei censuisse committendum, qui prudentiâ & virtute inter Sacerdotes, aliis præstare videretur: atque hunc*, inquit, *Pontificem Summum appellant, &c.* Populus itaque Israëliticus non immeritò eo nomine *Sacerdotium Regale* in Dei scriptis audiat, quòd rerum suarum arbitrium, secundùm Deum, jure saltem atque *ordinariè*, penès Sacerdotem Regium fuerit. *Ordinariè* cautus dixi: Si enim שופט *Judex* aliquis (quem scriptores Romani *Suffetem* dixissent) immediato Spiritûs impulsu, ad imperii habenas capessendas evocatus fuerit; ei, utpote potestatem ἀνυπόδυτον habenti, Sacerdotes atque adeò Pontifex ipse cedere cogebantur.

Cùm itaque Sacerdos Maximus (saltem in pacato ac renidente rerum Judaïcarum statu) Reip. caput esset, & non solùm *Jehovæ* sed populi rebus præesset; rationi apprimè consonum erat ut hoc Oraculum politicum Pontifici, prout oculus capiti, perpetuò conjungeretur: cùm præsertim antiquitatis remotissimæ fide receptum esset, eandem personam, eámque solam, *DEI* consilium & *DEI* locum juxtà tenere. Atq; indè forsan verba illa *Josephi* fratres suos alloquentis

ansam

ansam accepêre; *An ignoratis quòd talis vir, qualis ego sum*, qui summum post Regem locum habeo, *sciat divinare?* Gen. 44. 15. Non opus est ut affirmationis hujusce fidei astruendæ operosiùs incumbam ipse, cùm gratum mihi otium faciant appositissima illa *Grotii* verba in textum illum S. *Johan.* Cap. 11. 51. (τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν. Ἀλλὰ Ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, προεφήτευσεν, &c.) *Apud Homerum de somnio quodam dicitur, contemnendum fuisse, nisi evenisset Ducum Duci Agamemnoni. Et apud Spartanos solis Ephoris licebat somnia referre. Et Hebræi aiunt ominis loco esse quod viro principi etiam ignoranti acciderit. Docet scilicet ratio, si quid publici negotii significari vellet Deus, id significaturum maximè iis qui populo præsunt. Sic Pharaoni, sic Nebuchodonosoro, ventura per somnium patefacta sunt. Etiam Urim & Thummim consulere Regum erat aut Summorum Magistratuum in populo. Quia verò Caiphas in eo populo summam obtinebat dignitatem, & quasi princeps erat populi, ideo ejus ore, tanquam instrumento, utitur Deus.* Cùm etiam (si purpuræ suæ laciniam meam assuam) Pontifex rerum summæ præesset & supremo populi Domino vicariam navaret operam; loci sui dignitas postulavit, ut oracula publicum spectantia tradendi munus, illi utpote personæ publicæ mandaretur. Privato alicui circa regni negotia non licuit esse tam prophetico. Apud veteres itaque somniorum interpretes axiomatis authoritatem tenuit, ἰδιώται καὶ πένητες οὐκ εἶδον ὀνείρους δημοσίους, *nemo humilis & privatæ sortis homo somnia publica vidit*: prout nos docet celebris inter eos Magister, *Artemidorus*, Oneirocritic. lib. 1. cap. 2.

Octavó. Verisimile est Deum *Urim* & *Thummim* in Pontificis manum tradidisse, respectu habito ad gen-

tium mores, quos Israëlitæ suspicere solebant, & quasi cordibus insculptos retinere. Cùm enim gentium Sacerdotes Deorum altaribus & conciliis pari propinquitatis gradu admoti crederentur, & eædem personæ populi sacrificia ad Deos, & Deorum responsa ad populum deferre solerent; aptum & consentaneum seculo & rudioris populi ingenio fuerat, ut *DEUS* Sacerdoti suo fatidicum *URIM* concederet, eúmque frequenti alloquio dignaretur: nè aliter Sacerdos suus gentium Sacerdotibus minor & inferior; oracula divina non eâdem, quâ gentium, religione accipienda; & *DEUS* Sacerdotes & sacra sua minoris, quàm Dii Gentium sacrificulos & ritus suos, habere videretur. Cùm etiam Ægyptii Pontifici suo Sapphirum illam, Ἀλήθεια nominatam, (de qua multa nobis superiùs mentio) ut eò majore cum dignitate jus diceret, ornamenti loco traderent: *DEO* etiam visum est insigni illo, cui *Thummim* nomen dixit, Pontificem proprium decorare, nè Pontificis Ægyptii splendor minora Sacerdotis sui lumina extingueret, & Israëlitæ illum huic, prout pueri vitrum auro, eò quòd oculos suos magis perstringeret, præferendum judicarent. Nam *Ægypti* Sacerdotem eo ornamento insignitum, se simiam & æmulum Pontificis Hebraïci præbuisse, adduci non possum ut credam, reclamante adeò annalium veteres gentium & Ægyptiorum mores atque indolem referentium fide. Narrat enim *Philo Judæus*, lib. 2. de *Vit. Mosis*, quòd χεδὸν οἱ ἀφ' ἡλίου ἀνιόντος ἄχρι δυομένου, πᾶσα χώρα, καὶ ἔθνος, καὶ πόλις, τῶν ξενικῶν νομίμων ἀλλοτριοῦνται, &c. i. e. *Omnes ferè regiones, gentes, civitates, ab Oriente usque Occidentem, abhorrent ab externis ritibus: putántque tantò plus honoris suis accedere, quantò magis alienos proculcaverint.*

rint. Ægyptii præcipuè frontes atque animos aliis omnibus adversos semper opponere solebant, & summâ cum religione cavere, *nè quis, è Sacerdotum præsertim collegio, exterorum mores reciperet, vel leges patrias in minimis transiliret:* prout fusè refert *Porphyrius*, lib. 4. de Abstin. p. m. 153.

Nonó. *Aaronis* forsan *causâ*, Sacerdotii capitis, (sic eum appellant Hebræi) *Urim & Thummim* Pontifici, *Aaroni* sanguinis communione conjunctissimo, concessit *DEUS:* prout & *Davidis* gratiâ minores suos beneficio & favore singulari sæpius complectebatur. Neque rationem à longinquo petitam, sed sub manu & ex ipso textu natam jam dedi, nisi viri quidam docti ab illius scopo & mente plurimùm deflectant. Sic enim nonnulli verba transferunt, *Ad Levi dixit, Thummim tua & Urim tua à viro sancto tuo*, Aarone scilicet, qui sanctitatis egregiæ causâ, summâ tecum in gratiâ fuit: ità verò alii (sermone ad Deum converso) *Urim & Thummim tua erunt* Tribûs Levi, *propter virum illum Sanctum tuum*, Aaronem, quem primum tali non indignum munere habuisti. Hisce accedit *Abarbanel*, & textu illo subindicari vult, *dignitatem* ☞ *Urim & Thummim, non fuisse ex donis Sacerdotii, sed datam Tribui Levi* מפני זכות אהרן שהיה הסידם propter justitiam Aharonis qui fuit Sanctus ipsorum: *Auth. Buxtorfio Hist. Ur. p. 295.* Sanè mysticæ illius Oeconomiæ ratio suadet ut credamus Deum *Aaronis* gratiâ posteros suos tam singulari beneficio affecisse; ut Pontificis Archetypi, Christi Domini, effigiem eò magis distinctè sibi impressam gererent: nam & nos *Sancto* illi & gratiæ suæ quâ valet apud *DEUM*, lumina & perfectiones quibus instructi sumus, debemus universas.

SECT. 2.

Satisfactum eſt Objectioni.

NE quæ de Pontificis ſolius partibus in Oraculo *Urim* ſciſcitando dixi hactenus, è placitorum vulgarium lacunis potiùs quàm Scripturæ fontibus hauſiſſe, & ſermonis tam prolixi initia inconſultò poſuiſſe videar; uni Objectioni, quæ me culpæ hujuſce ſuſpectum forſan reddat, mihi (priuſquam progrediar) neceſſariò reſpondendum eſt. Ea verò hujuſmodi eſt: Certum eſt *Deum* inquirendi facultatem Pontifici ſoli minimè conceſſiſſe, cùm è Scripturis pateat Regem, ſine Sacerdotis miniſterio, conſilium ab Oraculo illo quandoque petiiſſe. Sed & publica res tantis ſine dubio in anguſtiis, & mediis periculorum imminentium minis quandoque agebat, quòd conſilii divini Sacerdotis miniſterio poſtulandi moras minimè pateretur. Præterea, Pontificis aliquando decumbentis, aut gravibus diſtricti negotiis abſentia efflagitavit proculdubio ut aliquis è communi Sacerdotum ordine Oraculum illud conſulendi munus pro tempore ſaltem ſuſtineret.

Objectionem illam ſpecioſam quidem eſſe, & veritatis nonnihil, prout palea tritici aliquid, ſibi admiſtum continere, non invitus fateor. Noſtrum itaque fuerit, verum à falſo tribus hiſce *Theſibus* ſeparare.

Primò. *Pro indubio teneamus ordinarium voluntatis divinæ per* URIM *patefactæ nuncium & interpretem, Pontificem ſolum à* DEO *conſtitutum.* Nam *Urim* & *Thummim* inter illius tantùm ornamenta recenſentur; *Exod.* 28. 30. *Lev.* 8. 8. Et *Num.* 27. ubi *Deus Moſi* præcipit, ut ſuo loco *Joſhuam* populo Ducem præficeret, inter alia dicit, *com.* 21. quòd *ſtabit coram Eleazare*

Eleazare Sacerdote, & interrogabit eum de judicio (h. e. sententiâ) *Urim; juxtà os ejus egredientur*, &c. Legimus etiam, 1 *Sam.*14.37. quòd *Saulus*, postquam manum cum Philisthæis conseruisset, eorúmque copias fudisset, consilium à Domino, Pontifice jam præsente, quæsiverit; cùm in tam lubrico rerum suarum articulo, parùm sibi constaret, quid ageret aut quonam signa sua tutò verteret. *Ahimelech* etiam, Sacerdotum princeps, Deum *Davidis* gratiâ, cùm res suæ loco ancipiti sitæ essent, interrogâsse dicitur, 1 *Sam.* 22.10. & 15. Cujus officii præstiti causâ, *Saulus* ei convitia ingerit, Majestatis postulat, eíque capitis pœnam decernit: *com.* 16. Ideò verò *Ahimelechus Davidis* causâ *Deum* interrogans, iras tam graves *Saulo* concitâsse videtur, quòd probè nôrat Rex nullum alium in facti tam ingrati partem venire potuisse; adeóque per *Ahimelechum* solum stetisse, quo minùs consilia sua contra *Davidem* inita prosperè & ex voto cederent. Si enim alicui de plebe *DEI Urim* interrogare fas esset, *Ahimelechus* peccatum magìs veniale admisisset, nec *Sauli* bilem tam turgidam & commotam reddidisset.

E jam dictis tria nascuntur corollaria quæ Argumento huic obscuriori lucis non parùm ferant: (1°.) Nulli privato, qualis erat *David Saulo* nondum extincto, ad Oraculum *Urim*, nisi Pontifice mediante, dabatur aditus. Cùm enim *Davidis* animum res arctæ & sententiæ dubiæ torquerent, ut optimam salutis suæ expediendæ rationem cœlitus acciperet, ad Pontificem oraculi impetrandi causâ se supplex contulit. (2°.) Cùm conditionis obscuræ & privatæ homines, consilii, cujus inopes erant, Authorem Deum quærerent; in Pontificis potestate situm erat, iis (si ità visum

ſum eſſet) Oraculi ſui uſu penitus interdicere. Niſi enim Sacerdos ſui arbitrii eſſet, & lege nullâ ad muneris ſui exercitium aſtrictus, cùm res tantùm privata ageretur; non eſſet quòd *Saulus Ahimelechi* factum, animi rebus ſuis parùm faventis documentum exiſtimaret, & ſupplicii extremi ſententiam in eum ferret, tantùm quòd reſponſum à *DEO*, *Davide* poſcente, impetrâſſet. (3°.) Cùm virum aliquem, publicæ ſalutis gubernaculis admotum, Oraculum adeundi cupido teneret, ut ſuper rebus Imperii Deum conſuleret; graviter peccâſſet Pontifex, ſi muneri ſuo & Magiſtratûs deſideriis defuiſſet. Cùm enim *DEUS Joſhuæ* in mandatis dederit ut ex Oraculi ſui ſententiâ omnia ageret; ſimul etiam *Eleazari* præcepit ut loco ſuo *de judicio* vel ſententiâ *Urim interrogaret*. Num. 27. 21. Ideoque qui Magiſtratum geſſit, Pontificem & Oraculum ejus ſuo penè in arbitrio habuit, & Sacerdotem ad Oraculum ſciſcitandum, mandato, cùm vellet, abſoluto obſtrictum tenuit. Hujus rei teſtem dabo *Joſephum*, qui *Antiq. l. 6. c. 7.* regem jus illud obtinuiſſe aſſerit, cùm verba illa *Sauli*, 1 *Sam.* 14. 37. *fac accedere Ephod*, in hunc modum explicat, Καλέσας ὁ βασιλεὺς Ἀχίτωβον τὸν Ἀρχιερέα, ἐκέλευσεν αὐτὸν χνῶναι, &c. *Accito Pontifice jubet eum rex divinam ſuper hoc voluntatem quærere, an ſibi reliquum hoſtilem exercitum delere permittatur*, &c.

Secundò. *Credibile eſt Sacerdotes, quibus prima poſt Pontificem ſacrorum cura demandata eſt, Deum aliquando & extra ordinem per* Urim *conſuluiſſe*. Legimus enim *Num.* 31. 6. quòd *Phinehaz*, patre ſuo nondum defuncto, ad bellum contra Midianitas cum duodecim millibus prodierit, in manu geſtans כלי הקדש *vaſa* vel *inſtrumenta ſanctitatis*: id eſt, ni fallar, parvula illa

illa organa, [*Ephod* & *Urim* cum *Pectorali*, & arculâ forsan ad ea asservanda & deferenda] ad *DEI* consilium, prout rerum casus postulârent, petendum comparata. Hanc autem opinionem me habere & manu arctiore tenere fateor, quod verisimile non sit *Phineazum* solum, cum manu Israëlitarum tam parvâ prodeuntem, vasa omnia majora ad sacrificia ritè peragenda necessariò requisita, secum auferre vel voluisse vel commodè potuisse. Veritati itaque magis affine videtur, *Phineazum* pro eâ vice *Eleazaris* patris sui, ætate jam declivi muneri illi imparis, partibus functum fuisse, & oraculorum instrumenta secum tulisse, quæ magnum adeò, in præliis præcipuè, sui usum præbuisse probavi supra. Atque hic textûs illius sensus eò mihi gratior, quòd eum & *Jonath. Chald. Paraphr.* olim placuisse sentiam: sic enim integrum textum interpretatur, *Misit Moses Phinees filium Eleazar ad bellum* ואורים ותמים דקודשא למשיילא בהון i. e. *Et Urim & Thummim ad interrogandum per ea.* Quamvis enim dubium nullum de felici belli eventu *Phineazi* animum solicitum habere potuerit, cùm *Dei* jussu susceptum esset; multa tamen in bello sæpius evenire nôrat, quæ non nisi responso divino expedire poterant: ideoque *Phinehas* vasa illa sanctissima in manu prudens gestavit, ut consilia haberet casus ad omnes paratissima. Hîc forsan objiciet non nemo, quòd titulus ille כלי הקדש *vasa sanctitatis* nè minimum cùm instrumentorum, de quibus ipse textum intelligo, naturâ consensum profiteatur. Sed culicem illum facilè deglutiamus, nam vox illa כלי, prout & σκεῦος. & *vas* (significationis cognatæ vocabula) sensu latiore accipi, & res omnes mobiles & sortis cujuscunque instrumenta indicare solent. Ideoque primus ipse non sum, qui cum nomine illo

illo inſtrumentis hiſce optimè convenire ſenſerim: nam Pectorale, *Ephod*, & annexa *Urim* & *Thummim*, à *Sirachide* ἐν σκεύεσιν ἰσχύος *vaſis virtutis* vel *ſanctitatis* numerantur, cap. 45. 9, 10. Quidam etiam è Judæorum Scholis, referente *Buxtorfio*, textum illum 1 *Sam.* 10. 22. *En abſconditus eſt* אל הכלים *ad vaſa*, de *Urim* & *Thummim* expoſuêre: *quò* inquiunt *ſe ſubduxit Saulus*, quoad ex iis de electione ſuâ ad munus regium & officii ſui partibus & poſtulatis, quid certius & exploratius haberet. Cauſam etiam aliquam (ut ad rem redeam) conjectandi, Sacerdotibus quandoque *Urim* conſulere licuiſſe, præbet exemplum *Micha*, *Jud.* 17. 5. Prout enim, cùm nullum è domo Leviticâ haberet, primogenitum ſuum, more Majorum, in Sacerdotem conſecraverit; ità cùm ſibi Sacerdos Magnus deeſſet, Sacerdotem, imò Levitam vulgarem, perſonam ſatis idoneam habuerit, quæ ſacra faciendi ſimul & *Oraculum* conſulendi muniis obeundis præficeretur. At proculdubio *Micha* (quem veri Numinis cultui addictum devotúmque, & in idololatriæ ſuſpicionem nullo ſuo merito incidiſſe probavi antea) officium tam ſacrum perſonæ communi mandare noluit; niſi quòd nôrat *DEUM* iis Sacerdotum vulgarium miniſteriis obicem nullum poſuiſſe, cùm Pontifici abeſſe aut aliquid humanitus pati contigiſſet. Si enim lege perpetuâ & immobili cuivis è communi Levitarum ordine omnem Oraculi conſulendi facultatem ademiſſet; *Micha* cùm Levitam ordinarium tanti muneris miniſtrum creâſſet, *Deum* certè non beneficii nedum oraculi alicujus largitorem, ſed Majeſtatis ſuæ pollutæ & legis ſpretæ ultorem expectare debuit voluítque. Hiſce omnibus roboris nonnihil afferunt verba *R. Levi Ben Gerſon.* in 1 *Sam.* 28. 6. ubi *Deum Saulo* per *Urim* interro-

interroganti responso nullo dignatum fuisse conjicit, שלא היה שם כהן ראוי שתשרה עליו רוח חקדש וגו׳ *quia non fuit ibi Sacerdos aliquis Spiritûs S. capax, qui interrogaret per Urim: eò quòd Saul internecioni dedisset urbem Nobem, in quâ fuerunt Sacerdotes præstantissimi; & quicunque erepti fuerunt essent cum Davide.* An ratio illa quid solidi contineat necne, non magni refert in præsens quærere: satis indè constet eum existimâsse Sacerdotes, virtute saltem præstantes, dignos quandoque habitos, qui Pontificis obirent vices & ex Oraculo *U R I M* responsa quærerent.

Tertiò. *Probabile habeo Deum faciles & immediatos ad Oraculum Suum aditus Regi concessisse: adeò ut vicariam Pontificis opem, ad responsa indè petendum, decori magis quàm necessitatis gratiâ postulaverit.* Ad sententiam illam amplexandam rationes multæ & speciosæ alliciunt animum: Earum agmen ducat *Cl. Cunæi* suffragium argumento probabili communitum, quod propriis verbis traditum habeamus, lib. 1. *de Rep. Hebr.* c. 14. *Ipse* David, *quem pridem antea vates Regem fecerat, adeò veritus non est Summi Pontificis decus usurpare, uti sacrum ejus amiculum, quod* Ephod *appellant, induerit sibi ac mox quæsiverit ex Numine an auspicatò eductûrus copias in hostem esset. Locus ille illustris exstat in commentariis* Samuelis, *quem omnino perverterunt nuperi Interpretes, viri hercle eruditissimi; sed qui hîc dormitâsse, aut aliud egisse videntur. Judices ego omnes fero, qui vel leviter has literas attigerunt. Ecce illa verba,* 1 *Sam.* 30. 7. וינש אביתר את האפור את דוד *quæ sic reddita ab illis sunt.* Applicavit sibi Abiathar amiculum Davidis causâ; *cùm planè illud significetur quod nos diximus, Davidem, acceptâ Abiatharis sacrâ veste, Oraculum consuluisse.* Hucusque *Cunæus.*

Secundò,

Secundò. Constat *Saulum* Regem, cùm periculum à *Philisthæis* imminens anxiis eum impleverat curis, Dei *URIM* in personâ propriâ consuluisse. 1 *Sam.* 28. 6. Eâ etenim tempestate nemo è gente linigerâ *Saulo* adfuit, cui sacrum illud munus deferre poterat. Nam eum octoginta ex iis morti addixisse legimus, cap. 22. quòd eos consilia cum hostibus suis sociare & animos à partibus suis aversos gerere credidisset. Unde & Sacerdos magnus, & cum eo proculdubio alii, ad *Davidem* tanquam ad aram quam haberent unicam se recepêre: nè aliter suspicionis & odii sui victimæ & ipsi caderent. Neque hîc audiendi Hebræi qui *Saulum* nuncios ad *Davidem* & Pontificem jam exulem misisse asserunt, qui supplices rogarent, ut is applicato *Ephode* à Domino, sibi tot malis vexato, consilium quæreret: nam à vero prorsus abludit *Saulum* ab iis, quos immani odio aversatus est, malorum suorum levamen petere voluisse, vel quicquam læti à Sacerdotibus animo securo expectare potuisse, cùm tot è Sacerdotum natione fuso sanguine manus suas non ità pridem summâ cum immanitate polluisset. Sed & *Sauli* animus spei dubiæ & timidæ cruce vexatus, & rerum suarum loco arctissimo positarum conditio, hujusmodi itineris tædium & moras ferre non poterant. Cùm enim spem omnem *superos flectendi*, & consilii sibi de cœlo afferendi ad irritum cecidisse cerneret; ei, animi impotentis & moræ omnis impatientis impetu & fervore abrepto, certum erat *Acheronta* continuò *movere*, & ipsos mortuorum manes solicitare. Hîc forsan opponet consultus Lector, quòd textus ille sententiam meam nihilo firmiorem reddat quàm antea; nam *Saulo*, Pontifice absente, non tantùm *potestas* Deum per *URIM* sciscitandi, sed & ipsa *potentia* defuit; cùm

Abiathar

Abiathar ad *Davidem* fugiens, *Ephod* & annexum *Urim* secum asportâsse dicatur. 1 *Sam.* 23. 6. At nodum illum facilè solvamus: nam dici possit vel plura fuisse instrumenta, ejusdem nominis & figuræ, quibus in oraculis eliciendis Sacerdotes uterentur; vel *Saulum* Deum per *Theraphim* (titulo tamen *Urim*, utpote voce Synonymâ, hîc designata) interrogasse. Nisi enim Deus ità quandoque responsa dedisset, proculdubio *Micha* & *Danitæ* religionem & rationem planè omnem decoxerant, cùm in spem certam oracula è *Theraphim* accipiendi se tam facilè induci paterentur. Nec ulla dubitandi ratio subest, an *Saulus* hujusmodi simulachra habuerit, cùm testetur Scriptura *Theraphim Davidis* uxori non defuisse. 1 *Sam.* 19. 13.

Tertiò. Quamvis Ethnici frequente templorum suorum aditu hominum vulgus arcere soliti sint, & purgatiores tantùm Sacerdotum aures ad Deorum responsa, è fatidicis antris aut Theraphim prolata, audiendum dignas existimaverint; eam tamen Majestatis & commodi publici rationem habuerint, quòd Regi ipsi statuas, Deorum oraculis subinde decoratas, adeundi, & cum iis colloquia miscendi veniam, prærogativæ loco reservasse censeantur. Nam Regem *Babylonis* consilium à *Theraphim* de regni dubiis quæsîsse legimus, *Ezech.* 21. 21. Simili itaque privilegio & Regem *Israëlis* gavisum fuisse, haud malè conjiciamus; nam Gentilium mores, ùbi rerum Judaïcarum historia silet, modulum planè optimum meritò statuit vir doctissimus, quo veteres Hebræorum mores ignotos metiamur & æstimemus.

Quartò. Privilegium illud, quo regi soli uti concessum, vitio vel incommodo nulli portam aperire potuit. Cùm enim *Deus* Pontificem ministrum ordinarium, cujus

cujus manu oraculi sui lampada populo traderet, constituisset; satis illius honori & reverentiæ prospectum erat, omnes ad idololatriam populo ruituro aditus præclusi, & curatum satis ut Sacerdos Maximus *Messiæ* olim venturi effigiem in munere & ornamentis suis expressam ostenderet. Quidni itaque Regem quandoque in muneris illius sacerdotalis consortium & societatem assumptum, voces divinas ex *URIM* datas propriis haurire auribus concessum fuisse existimemus; cùm nihil indè mali Ecclesiæ Judaïcæ, honoris autem & dignitatis personæ regiæ plurimum accederet?

Quintò. Vix ullæ leges Mosaïcæ de Sacris certo ritu, loco, personis, aut tempore, obeundis ferebantur, quæ suam obligandi potestatem integram semper & per omnia immutatam retinuêre. Lex enim omnes, nisi prosapiâ Leviticâ oriundos, à sacrificiis offerendis arcebat; cùm tamen alios, pietatis laude celeberrimos, ea religionis officia, facultate oblatâ, præstitisse constet. Lex etiam *panes*, qui vocantur, *propositionis* solis Dei famulis, Sacerdotibus, comedendi jus esse voluit; eam tamen legem *David & qui cum eo erant*, fame urgente, violare non dubitârint. Et quamvis *DEUS* sacrificia *in loco* tantùm *quem ipse eligeret* celebrari jusserit, Israëlitas tamen in locis editis, & viros sanctissimos ubique locorum, prout occasio se daret, altaria Deo sacrata struxisse legimus. Quamvis itaque Deus *Urim* Pontifici soli dederit, & omnes rebus in incertis consilio egentes coram ipso, veluti Regis Summi Interprete, stare jusserit; facilè tamen credi possit, & legis illius vincula, laxiora temporis progressu facta fuisse, nec Regem aut Sacerdotes tam arctè constrictos tenuisse, quin & ipsi, si res ferret, è suis vel Pectoralis *Theraphim* responsa peterent, & Pontificis vice quandoque

doque fungerentur. Nam lex ea, prout & cæteras quæ de minoribus curârunt, naturas & momenta æqualia habuisse, & à ratione mutabili, malo aliquo seculi more, rationem & originem petiisse videantur.

Sextò. Sententia adversa dolosis & infirmis admodum fulcimentis nititur: nam cl. *Buxtorfius* aliique hisce tantùm argumentis confisi, officium consulendi *URIM* Summi tantùm Sacerdotis proprium fuisse asserunt. (1°.) *Hoc Oraculum*, inquit Buxtorfius, Hist. Urim. p. 270. & 295. *solummodo in Sancto Sanctorum ad Arcam coram DOMINO consulebatur: at solus Sacerdos Sanctum Sanctorum ingredi & coram Arcâ ministrare potuerit.* Sed argumentum illud sententiam meam levi atque irrito ictu ferit: quamvis enim non inficias iverim Sacerdotem Oraculum suum coram Arcâ vel facie ad Arcam versâ quandoque consuluisse, *Buxtorfium* tamen plurimùm à veritate desciviſe patet, cùm illum interrogandi morem perpetuò tenuisse dixerit. Nam *Davidem* profugum, & ab Arcâ, Tabernaculo, aliisq; sacris longè disjunctum, à *DEO*, medio *Ephode*, consilium divinum accepisse constat: viz. 1 *Sam.* 23. 6. & 30. 6, 7. & 2 *Sam.* 5. 19. 23. collat. cum cap. 6. 2. At veritatem sibi minùs amicam habuit Summus Vir, cùm Oraculum hoc in *Sancto Sanctorum solummodo* consultum dixerit; nam indè sequetur Pontificem responsa ab *URIM* perrarò tulisse, cùm illi ad Sanctum Sanctorum non nisi semel in anno daretur aditus: teste Apostolo ad Hebr. 9. 7. (2°.) *Repugnat huic opinioni*, inquit vir doctissimus, *Locus Num.* 27. 21. *unde Hebræi arguunt ipsum Regem, per Sacerdotem Summum consulentem Urim & Thummim, coram eo stare debuisse.* Imò verò specie magis quàm re nobis adversatur hic locus: nam durante quidem Theocratiâ Sacerdos Sum-

mus ad imperii clavum sedebat, primus à Deo & dignitate & imperio (ordinariè saltem & de jure) ipse erat: ideoque imperii illius sacratioris conditioni apprime congruum erat & consentaneum, ut Responsa publicum spectantia per Pontificem, *DEI* Vicarium, & personam muneris sanctitate locique eminentiâ præter cæteras illustrem traderentur. Postea verò Respublica novam regiminis formam subiit, eámque Reges habuêre, qui non tantùm in vilia vulgi capita, sed in Pontificem ipsum (nam *David* se *Zadochi* dominum vocat, 1 *Reg.* 1. 32.) imperium exercuêre. Cùm itaque Regem, imperii illius sacerdotalis hæredem quasi ex asse scripsisset *DEUS*, quidni & facultatem Se in arduis consulendi (imperii illius pignus) Eum Regi, si uti vellet, dedisse crederemus? cùm præsertim Regem à precariâ Pontificis ope & arbitrio ad *DEI* consilia cognoscendum pendere, Majestate suâ & imperio quo erat absoluto indignum videatur. (3°.) At *officium*, inquit Author laudatissimus, *hoc erat proprium Summi Sacerdotis*, ut Urim consuleret, *in quod absit ut credamus, Regem Davidem aut alium quemvis involâsse, vel Sacerdotem Summum id ei indulsisse.* Sed & ipse libente animo concesserim officium illud ità Sacerdotis Summi proprium quòd nemini ex humili vulgo illud comminuere & violare fas esset; non verò quòd nulli è regum ordine, eo fungi liceret. Ideoque Davidem, dum ei in subditis tantùm & plebeiis locus esset, Dei responsa, ministerii Sacerdotalis beneficio sæpius accepisse legimus; *viz.* 1 *Sam.* 22. 9, 10. & cap. 23. 6. 9. & 30. 7. Sed postquam *Saulus* inter vivos agere desiisset, & *David* solio potitus fuisset; ille, quasi jure regio jam usus, mediam Pontificis operam, cùm Deum consultum iret, nusquam, quod memini,

memini, poſtulâſſe dicitur: Eum tamen ſæpius in anguſtiis Deum ſibi conſiliarium quæſiviſſe, ſacri teſtantur commentarii. 2 *Sam.* 2. 1, 2. 2 *Chron.* 5. 19. 2 *Sam.* 21. 1. 2 *Chron.* 14. 10. & 14.

Rationes quas dedi hactenus animum inducunt ut *Cunæi* opinionem in probabilium ſaltem numero habeam: quamvis (nè quid diſſimulem) argumentum quod ſibi tantam in re tam obſcurâ & ancipiti fiduciam fecit, eum ultra meritum illius æſtimare cenſeam. Nam voces illæ הגישה נא לי האפוד ſenſum quem ipſe ſpectat vix tortæ fatebuntur, nec ſi totam Scripturam evolvat, vocem נגש ſuo ſenſu uſurpatam temere reperturus eſt. Si verò textum Hebræum verè & κατ' ἀκρίβειαν transferamus, hunc ſolum dabit ſenſum, *Affer nunc Ephod mihi*; & certum eſt textûs illius chordas ità ſonare, Græcorum, Chaldaïci, Syriaci & Arabici Interpretum percuſſas plectro. Deinde, ſimilis loquendi formula (quaſi ſolennis & uſitata eſſet) ubi de *DEO* per *Ephod* interrogando agitur, alibi non ſemel occurrit, ubi ſenſus alius è verbis nè fidiculis quidem exprimi poſſit: nempe, 1 *Sam.* 14. 18. *Et dixit Saul ad Achijah* הגישה ארון *fac accedere Arcam*, vel, prout LXX, τὸ Ἐφόδ. Et 1 *Sam.* 23. 10. *Dixit David ad Abiathar Sacerdotem*, הגישה האפוד *applica* vel *admove Ephod.* Ideo verò *Saul* & *David*, Sacerdotem cum *Ephode* ſuo ſibi propiùs accedere juſſerunt, forſan quoniam *Joſhua* (in cujus vicem ſuccedebant ipſi) coram *Eleazare* Sacerdote, cùm ſententiam *per Urim* illius causâ quæreret, Dei juſſu ſtare teneretur: vel quòd in more eſſet ut perſona reſponſum expetens, vocem ex Oraculo prodeuntem propriis auribus acciperet; (nè quis Dæmonem *Samuelis* pallio, impoſturam oraculi larvâ tectam, ſibi

oblatam ſuſpicari poſſet) vel forſan, quia *Saulo* & *Davidi*, poteſtatis regiæ jure & privilegio, licitum eſſet, *Ephod* ſibi ipſis induere; aut ſaltem dubia ſua, Pontifice tantùm Oraculi inſtrumenta præferente, Deo ſolvenda proponere.

Sed hæc & quæ de prompto facilíque ad *Urim* aditu Regi dato, ejúsque cùm vellet conſulendi poteſtate peculiari, dixi alia, in medio & ſub Lectoris arbitrio relinquo. Neque opus eſt ut in hanc controverſiam me altiùs immergam, & ulterioris de poteſtate illâ regiâ diſquiſitionis tædium devorem, cùm Oraculum illud ſub prima *Salomonis* tempora (ni veritate parùm favente conjecturam fecerim) penitus evanuerit.

SECT. 3.

Cur Moſes Urim & Thummim, benedictionis loco, Tribui Levitica precatus ſit.

SUpra probavimus יש vocis ſingularis ſimul & pluralis numeri poteſtatem & locum, in textu quem præ manibus habemus, obtinere: & proinde *Moſem* pro benedictione non minùs in totius familiæ Leviticæ, quàm Pontificis aut cæterarum Tribuum ſortem effundendâ ſe ſupplicem præbuiſſe. Mirari verò quis poſſit, quòd *Moſes* illud in primis favoris divini pignus toti Tribui comprecatus ſit, cùm Majori tantùm è Levitarum domo, Sacerdotum Maximo, eo gaudere licuerit; cùm etiam *Urim* & *Thummim* beneficiorum inſignium titulum & numerum obtinere, haud adeò digna cenſeantur. Nôrat enim proculdubio Vir ille *DEI*, Oraculum *Urim* poſt paucorum ſeculorum periodos Iſraëlitis defuturum, & interea temporis non adeò multum commodi populo, minùs ipſi Pontifici,

tifici, minimum verò Levitis allaturum.

Sed nôrint ſe plurimùm à *Moſis* in hunc modum precantis conſilio & inſtituto abeſſe, nec ultra Textûs hujuſce atrium pedes protuliſſe; qui *Moſem* nil prius ſanctiúſve voluiſſe ſentiunt, quàm ut aliquis è genere Levitico, oracula per *Urim* data perpetuò annunciaret. Nam ſub horum verborum involucro, duo ſunt alia, (niſi quid me fallit) votis calidioribus meritò expetenda, quæ ut Tribui Leviticæ daret *Deus*, *Moſes* votis precibúsque ardentiſſimis obteſtatur.

Primó. Ut Tribus illa pontificatûs & ſacerdotii dignitate in multa ſecula frueretur. Prout enim *Spiritus prophetiæ*, quem cœleſtem miſſionis fideíq; ſuæ vadem & ſponſorem ſemper habuerint Apoſtoli, iis fuerit *teſtimonium Jeſu*; ità *Urim* & *Thummim* Levitis fuiſſe videntur teſtimonium Dei, & fida pontificatûs & proinde ſacerdotii iis divinitus conceſſi argumenta præbuiſſe. Nemo enim, qui aliquid ſapuit, de divinâ Levitarum, cujuſcunque ordinis atque nominis, inſtitutione dubitare potuit; cùm DEUS primam è ſtirpe Leviticâ perſonam eò honoris evexiſſet, quòd Oraculum in ipſis veſtibus quas ille ſolus induere ſolebat, poſuiſſet. Nam proculdubio DEUS tam eximio & planè ſtupendo gratiæ ſuæ pignore, Virum gregis, Sacerdotum principem dignari noluiſſet; niſi & totum Levitarum inferiorum gregem, eorum ordinem, & divina quæ curârunt munia, Ipſe rata feciſſet & plurimi æſtimâſſet.

Ideo verò Pontificatûs & proinde Sacerdotii decora Tribui Leviticæ precatur *Moſes*, forſan quòd Tribus illa non DEO tantùm officii ſanctitate, ſed & Ipſi ſanguinis communione maximè conjungeretur: neque enim *Viro Dei* indignum eſt, ut Eum ità precantem,

cantem, aliquid humanitati & propinquitatis juri tribuiſſe credamus. Deinde, Tribus hæc, præter alias omnes, *DEI* & *Moſis* gratiam tenuit, eò quòd idololatriæ crimen, ſanguine Patrum, Matrum, & cognatorum omnium, quos tanti flagitii compertos habebant, divino quodam juſtitiæ & zeli in Deum exemplo, expiârint. Conſtat hoc ex commate ſequente, ubi hâc ſingulari laureâ caput *Levi* cingit *Moſes*; *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ, non vidi eum, nec agnovit fratres ejus, & proprios liberos neſcivit, ſed Dei mandatũ ſervârunt.* Præterea, aſſerunt ex [a] Hebræis nonnulli Tribum hanc unicam criminis illius atrocioris, blaſphemæ in Deum & *Moſen* murmurationis, expertem & immunem perſtitiſſe. Quam ſententiam ſi minùs veritate, antiquitate venerabilem probat *Chaldæus* interpres, qui verba textum proximè ſequentia, ità in laudem Levitarum interpretatur; *Urim & Thummim induiſti virum quem Sanctum coram Te inveniſti, quem tentatione tentâſti & perfectus inventus eſt, probâſti eum juxta aquas contentionis, & fidelis repertus eſt.* Fortaſſe & hoc & illo crimine Levitas liberant laudes illæ ſummæ quas iis Dei verba tribuunt, *Malac. 2. 5. Pactum meum cum eo*, Levi nimirum, *erat de vitâ & pace, & dedi ea illi ob timorem quo me timuit, & metuit coram nomine meo. Lex veritatis erat in ore ejus, & iniquitas in labiis ſuis inventa non erat.*

[a] *Dicunt Hebræi de Levitis, quòd non murmurârunt cum reliquis Iſraëlitis.* Ainſworth. in Deut. 33. 8.

Huic itaque Tribui, cujus in *Deum* pietatem nec parvis nec dubiis experimentis compertam habuit, *Urim* & *Thummim* vovebat *Moſes*; ut duratura extarent favoris divini in cultûs veri vindices monumenta, & minimè fallacia pontificatûs & ſacerdotii ei de cœlo

dati

dati argumenta. Neque *Mosis* precibus difficilem se præbuit Summus *DEUS*: quamvis enim, fractis & in deteriora indies vergentibus Judæorum rebus, Pontificis sedem nunc hic nunc ille (prout quispiam apud populum aut seculi principes gratiâ valeret, vel plures aut pauciores pecunias erogaret) dubiâ vice occupârit; nulli tamen nisi domo Leviticâ prodeunti, dignitatis sacerdotalis fastigium adire contigit, nisi fortè sub extrema post *Christum* Reip. expirantis tempora, cùm susque deque agerentur omnia, & scelestissimi in *Judeâ* turbines jura divina & humana sacrilegè permiscerent.

Secundó. Hisce etiam verbis, eximiam luminis mensuram, & cordis vitæque integritatem penè divinam Levitis, Pontifici præsertim, comprecatur *Moses*. Nam voces illæ, *Urim* & *Thummim*, non tantùm ut nomina propria, ad instrumenta in Pectoralis arcano posita; sed ut appellativa ad egregias illas, quas dixi, animi dotes denotandum, hoc in textu intelligendæ veniunt. Huic sententiæ me totum addico, non tantùm quòd interpretum penè omnium suffragia, sed rationis multiplicis evidentia ei fidem afferant. Nam,

(1°.) Indè pateat *Mosen* Pectoralis organis, aliquid sanctius & antiquius in animo habuisse, quòd usitatum nominum eorum ordinem de industriâ (penè dixerim ex contemptu) turbet. Cùm enim in omnibus, (præter unicum hunc qui nobis hactenus negotium fecit) Scripturæ locis, *Urim* ante *Thummim* ponatur, credi vix possit *Mosen* ordinis hujusce legem violâsse, nisi ut indicaret se non minùs à communi nominum eorum sensu quàm ordine recessisse. Ut rem in compendium conferam, *Mosis* hoc inverso ordine [*Sint Thummim tui & Urim tui cum Sancto tuo*] usus videtur, ut *Deum*

quasi in hæc verba supplex alloqueretur: "Bene novi, "Summe Deus, *Urim* & *Thummim* tuis in secula fruendi desiderium intimis Levitarum cordibus insidere, "eósque dona illa in primâ felicitatis & honoris sui "parte ducere: sed quæ sors cunque ea maneat, Te "supplex oro & obtestor, ut *Thummim tui* & *Urim* "*tui* cum illis domûs tuæ famulis conjuncti perpetuò "reperiantur: non adeò contendo ut sint consilii tui "nuncii, quàm ut evadant naturæ tuæ participes. Illi "quidem *Urim* primo in optatis habent; ego verò "*Thummim*.

(2°.) Nullos, nisi quibus Hebræi planè barbari sunt, latet, nomina pluralia, cùm præsertim *DEI* nomen sibi conjunctum habuant, abundantiam & excellentiam rei per ea significatæ, apud [a] Hebræos frequenter denotare. Quum itaq; *Urim* & *Thummim* pluralia sint, & nomen *Dei*,] affixo inclusum, sibi annexum ferant, facilè eminentem illum & penè divinum luminis & perfectionis gradum, quem sacerdotes attingere par erat, indicare possint. Et certè nisi *Moses* voces illas in hunc finem usurpâsset, palàm & apertâ fronte me nescire fateor, cur utriusque nominis calci affixum illud adjiceretur. Nam *Urim* & *Thummim* per se satis nota erant, vel saltem munere & loco, ab ullis gentium simulachris eorum figuras aut usum æmulantibus, distincta: adeò ut affixum illud, ut novam eminentiæ aut distinctionis notam, haud adeò postulavent.

[a] *Hebræi excellentiam Dei nomine significant, quòd ut maximè unaquæque res excellit, ita Dei gloriâ in eâ refulget.* Vatabl. in Genes. 30. 8.

(3°.) Hæc animi ornamenta, iis qui in rerum divinarum cogitatione & curâ toti versantur, summè necessaria esse, DEI hominumque suffragiis comprobatum

batum est. Suffragio *DEI*: qui ideo Se Levitas tot egregiis beneficiis & gratiâ tam immensâ ornâsse asserit, *Malac. 2. 6. quia lex veritatis in eorum ore fuerat, & iniquitas in labiis eorum inventa non erat:* id est, quia *Urim* & *Thũmim*, scientia & integritas quibus ante alios fuerunt, eorum personas *DEO* pergratas reddiderunt. *Josephus* itaque, de personis Sacerdotium apud suos obeuntibus differens, lib. 2. *cont. Apion.* non vanus dixerit, quòd ὁ τῷ πλῆθον, &c. *non divitiis aut aliis quibusdam fortunæ vel corporis dotibus præcellentes, Legislator ad culmen hujus honoris vocavit: sed quicunque sapientiâ vel temperantiâ alios anteire noscuntur, eis præcipuè* Deum placandi *munus detulit.* Compertissimum etiam est (ut à *DEO* ad generis humani sensum descendat sermo) Græcos, Romanos, doctos, indoctos, omnes, duo illa naturæ rationalis dedecora, *inscitiam* loquor & *impietatem*, in Sacerdote præsertim, nullo non odio digna habuisse. Vel Ethnicis piaculũ erat Sacerdotibus, nisi scientiâ & puritate qualiquali excultis, rerum sacrarum procurationem committere. Nullos, qui cum literis & libris commercii quicquam habuêre, præterit, Sacerdotes olim inter Ægyptios & Romanos, philosophiâ, rerum civilium usu, literarum interiorum cognitione, & nullo non scientiæ genere claruisse: *nè* aliter (utì ratio à *Cicerone* redditur) *sacrorum opprobrio essent ipsi sacerdotes.* Eorum etiam frequentes baptismi & vestes lineæ, niveo candore conspicuæ, vitam undiq; puram maculisq; vacuam, in Sacerdote potissimùm requisitam admonuêre. Præcipuè verò Pontificem suum inter Sacerdotum eximios scientiâ & virtute eminere, eúmq; non minùs [a] *digni-*

[a] *Omnibus Druidibus præest unus qui summã inter eos habet authoritatẽ: hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit.* Cæsar de bell. Gall. l. 6.

tate

tate quàm munere cæteris ſacrorum miniſtris præcellere, voluêre. Cùm itaque ſcientiam & virtutem Dei hominúmque ſuffragia intimâ neceſſitate ſacerdotio conjuncta referant; vix credi poſſit *Moſem* externis & minùs (nè dicam minimè) neceſſariis Sacerdotis ornamentis intentum adeò, quòd interna illa, quibus carere nec poſſit nec debeat, animo prorſus excíderint.

Quartò. *Urim* & *Thummim* Pontifici data ſunt, non tantùm ut perſonam iis exornatam, pontificatûs honorem non ſibi ſumpſiſſe, ſed Summi Numinis gratiâ obtinuiſſe teſtarentur; ſed ut φωτισμὸς καὶ τελειότης (ſic voces reddit *Theodotion*) Sacerdote Summo dignas indicarent: prout *virga amygdalæ* germinans in Tabernaculo, non ſolùm teſtimonii divini loco erat ad familiæ Aaronicæ dignitatem ſibi contra rebelles aſſerendum; ſed & ſymboli ſacri *ad ſignificandum vigilantiam imprimis requiri in Sacerdote, nam vox* שקד *fructum hunc & virtutem illam ſignificat:* obſervante *Grotio* in *Num.* 17. Nemini itaque dubium eſſe poteſt, quin *Moſes* nominum eorum omina impleri in primis petierit, & animum precésque terminârit ultimò in hiſce cordis ornamentis, quibus Levitas præter cæteros donari voluit: nam profectò ſigna loquacia adeò animum ſuum ad res ſignificatas vel tardum & invitum ducerent.

His de cauſis mihi prorſus perſuadeo *Moſem* verbis hiſce ſeriò & maximè poſtulâſſe, ut Levitæ, ſtellarum more, corpora inferiora lumine & naturæ perfectione, quantum & loci eminentiâ ſuperarent. Ob rationes verò graviſſimas ità preces inſtituit Vir ille *DEI*: nempe,

Primò. *Munerum ſuorum gratiâ:* Levitarum enim humeris,

humeris, cujuſcunque loci titulíque, oneris graviſſimi munera apud Judæos perpetuò incubuêre. Provincia iis à Deo tradita non potuit anguſtis templi parietibus coërceri. Quæ munia Pontificis animum ſolicitum & occupatum tenuêre, à *Joſepho* l. 2. *cont. Apion.* accipiamus: Οὗτος μὲν περὶ τῶν ἄλλων ἱερέων δύσι τῷ Θεῷ, φυλάξει τοὺς νόμους, διδάσκει περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, &c. *Ille præ aliis Sacerdotibus ſacrificabit Deo, cuſtodiet leges, de dubiis judicabit, & puniet lege convictos*, &c. Sacerdotes etiam in curas non multùm diſſimiles vocatos fuiſſe, his verbis teſtatur; τούτοις δ' ὑπὲρ τοῦ νόμου, καὶ τῶν ἄλλων ὁπόσα δόγματων ἀκριβὴς ἐπιμέλεια, &c. *Apud hos & legis & aliorum ſtudiorum integra diſciplina cuſtoditur. Inſpectores enim omnium atque judices contentionum & punitores culpabilium Sacerdotes decreti ſunt.* Idem & Scriptura locis plurimis docet: 2 *Chron.* 19. 8, 9. *Deut.* 17. 8, 9, 10, 11, 12. *Ezech.* 44. 24. *Deut.* 21. 5. *Levit.* 10. 10, 11. *Hag.* 2. 11. *Deut.* 33. 10. 1 *Chron.* 23. 4. & 26. 29. Neque ordinis poſtremi Levitæ fruges tantùm conſumere naſcebantur: in urbibus enim ſibi aſſignatis vitam degebant, donec redeuntibus ad ſe ſacræ functionis vicibus, ad deſtinatas partes implendas, Hieroſolymam proficiſcerentur: indè verò domum reduces non ſe languori deſidiæque dedêre, ſe molliter curantes & voluptatem tanquam unicam otii ſui pinguioris uſuram capientes; ſed ſcholas aperuêre, doctrinæ integritati invigilârunt, populo conſiliarii aderant in perplexis, minoris momenti controverſias pro tribunali ſedentes minuerunt. De perſonis verò leprâ aut ſimili vitio ſubinde affectis cognoſcere & ſtatuere, in regni Concilio facultate datâ dijudicare, & populum publicè inſtruere, negotia erant Sacerdotibus & Levitis ex

æquo

æquo data. Tantæ molis oneribus subeundis impares planè inventi fuissent Levitarum humeri, nisi scientiâ & virtute non vulgari donati essent: ideóque summo cum consilio Levitis præsertim lumina & perfectiones Dei precatur *Moses*, quò tot graves personas, Judicum Doctorum, Medicorum, Senatorum, Sacerdotum, sibi sæpius impositas feliciter sustinerent.

Secundò. *Levitarum ipsorum causâ:* non tantùm ut Dei similes evaderent in viâ, adeóque compotes in patriâ, sed ut populus eorum personas & proinde sacra quæ curârunt, cultu minimè fucato prosequeretur. Nempe nôrat *Moses*, vestes candore niveo aut auro plurimo perinsignes, titulos superbos, altum supercilium, res ad invidiam unctas, muneris aut proavorum sanctitatem, nominis Levitici decus tueri minimè potuisse. Ità enim comparata est hominum natura, quòd eorum pars suprema, mens & ratio, cultum sincerum deferre nesciat nisi scientiæ & virtuti, vel speciosis eorum formis & mentientibus idolis. Adblandiri solent homines terrarum dominis, iis incurvati corporis & prolixi tituli tributum solvere, eósque obsequiis & verbis officiorum plenis demereri: quos tamen in interiore pectoris recessu, summo cum fastidio sæpius dedignantur. At vel reliquias virorum qui scientiæ aut virtutis egregiæ monumentis nomina sua illustrârunt, religione quâdam tacti aspiciunt, & divinum quiddam in ipsis eorum cineribus stupent & venerantur. Scientiæ & virtuti, *DEI* imagini in terris hospitanti, honorem, Naturâ tantùm magistrâ, perhibet humanum genus, & dotibus tam divinis instructos ad decus & imperium natos arbitratur. Si magna loquamur simul & vivamus, regnabimus in hominum saltem animis & conscientiis, etiamsi nobis vel *Lazari* conditiones contigerint.

Tertiò,

Tertiò. *Populi gratiâ*: nam Sacerdotes indocti populo prodesse non possunt, improbi non volunt. Necesse est ut pastor animum scientiâ excolat & scientiam moribus, ut gregem ad salutem ducere valeat per viam fidam præcepti, & viam brevem exempli. Non tam vocem quàm vitam Sacerdotis, normam virtutis credunt homines; linguam enim venalem existimant, & scholam potiùs quàm hominem sapere. Sed non opus est ut in hoc Argumento diutius versemur, de quo multi bene, [a] *Isidorus Pelusiota* optimè, nulli malè disseruêre.

[a] *Lib. 2. epist. 235.*

Multis certisque indiciis manifestum me feciſſe censeo, *Mosen* verbis hisce beneficium in Pontificem simul & Tribum Leviticam conferendum, consilio planè divino, petiisse. Neque tamen huic textûs nostri parti satisfactum arbitror, nisi & moneam *Mosem* non tantùm fraterni nominis studio, aut ingenti erga Tribum Leviticam, cui ipse nativo consanguinitatis fœdere devinctus erat, amore ductum, sed gentis totius gratiâ preces illas concepisse. Si enim *Urim* æstimatione verâ metiri velimus, satis pateat illud non Pontifici tantùm dignitatem, sed & rebus communibus utilitates non contemnendas attulisse. Nam primò: contingere vix potuit, ut consilii penuriâ aut partium studiis rueret Respublica, modò *Urim* penes Pontificem semper maneret, quod res nutantes sanctissimis consiliis stabiliret, & lites omnes sententiâ infallibili & supremâ determinaret. Deinde, quonam magis luculento argumento voluntatem suam ad gentem præcipuè Judaïcam accessisse probare poterat *DEUS*, quàm quòd iis solis tam propinquus fuerit, & in omnibus vitæ arduis consilii sui copiam Sacerdoti fecerit? Altaria, Sacrificia, Sacerdotes, responsa prudentûm,

dentûm, quælibet natio jactitare; at reſponſa Angelorum gratiæ divinæ pignora erant, in quibus Judæi ſoli triumphare poterant. Præterea, Oraculum *Urim Theocratiæ* pignus & ſignum extitit, ſpem lætam faciens regiminis illius felicissimi in gente Iſraëliticâ duraturi; à cujus defectu nôrat *Moſes* fundi ſui calamitatem certò orituram. An verò Oraculum *Urim* tanquam imperii illius ſacratiſſimi pignus datum fuerit, eò minùs dubitandum cenſeo; quòd utraque per eadem tempora quaſi vixiſſe & expirâſſe videantur. Probè novi non deeſſe plurimos, qui Oraculum *Urim* cum primo tantùm templo cecidiſſe, multâ cum fiduciâ (in hoc Argumento, quo dubiis perplexa ſqualent omnia, mihi perquam ingratâ) ex loco illo *Ezræ* probare ſolent; *dixit Athirſata eis, ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec ſurgeret Sacerdos cum Urim & Thummim*: cap. 2. 63. quaſi indè conſtaret *Ezram* aliósque in memoriam *Urim*, utpote ante annos haud adeò multos vocalis, rediiſſe, & ſpem credulam illius, templo jam reſtituto, reverſuri aluiſſe, quod à templo tantùm vaſtato deſiderâſſent. At locus ille parùm firmitatis eorum opinioni addit, cùm minimè probet *Ezram* aut alios è Synagogâ magnâ viros in ſpem ullam veniſſe fore ut *Deus* Templi ſecundi decora & gaudia, Oraculo *Urim* reſtituto, cumularet. Nam vox illa עד donec apud Hebræos ad perſonam fortitet negantem & rem nunquam futuram indicandum ſæpiuſcule uſurpatur. Ex. gr. 1 *Sam.* 15. 35. *Non vidit Samuel ultra Saulum*, עד יום מותו *uſque ad diem mortis ſuæ*: i. e. nunquam poſtea vidit: *Iſa.* 22. 14. *Si expietur iſta iniquitas donec moriamini.* Job. 27. 5. *donec expiraverò, non amovebo integritatem meam à me*: Gen. 28. 15. *Non deſeram te donec perfecero, &c.* Loca cognata occurrunt,

occurrunt, *Mat.* 12. 20. 2 *Sam.* 6. 23. *Psal.* 110. 1. *Mat.* 1. 25. quæ otium agentibus consulenda trado. Judæis sanè adeò notum & usitatum est hoc loquendi genus, ut doctissimi inter ipsos vaticinium Jacobi, *Genes.* 49. 10. ità conentur interpretari. Nec causæ quicquam video ipse, quò minùs voci עד *donec*, eandem pernegandi potestatem hoc in loco tribuamus: ità ut textus ille indicet atque innuat *Urim* & *Thummim* ante secula tam multa defuisse, quòd ea præcipuè adeò in perditis & desperatis haberent *Ezra* aliíque, ut sermo ille (*donec surgeret Sacerdos cum Urim & Thummim*) penè in proverbii consuetudinem veniret, & rem aliquam ad Græcas calendas futuram denotaret. Hunc autem textûs hujusce sensum præ aliis me habere fateor, quòd minùs probabile sit *DEI* consilia & seculi sui conditionem *Ezram* & populi præsides, viros aurâ propheticâ afflatos, fugisse adeò; quòd spe vanâ Oraculi illius postliminio redituri se duci paterentur. Neque tamen pede firmiore stabit sententia recepta, modò textûs verba sensu vulgari accipienda esse, & *Ezram* aliósque spem falsam Oraculi illius denuò restituendi concepisse, dederim: nam & Judæi hodierni eâdem spe inani animos suos pascere solent, quamvìs certum sit secula, ex quo Oraculum *Urim* defecit, plurima effluxisse.

CAP. VII.

De sensu Textûs mystico.

HActenus sensum Textûs literalem & illius quasi ἐξωτερικὸν contemplati sumus: proximum est ut ad ejus ἀποφαντικὸν, sensum magìs reconditum & mysticum

myſticum indagandum noſmet componamus. Eſt enim in Scripturis pleriſque omnibus נגלה & נסתר, ut cum Judæis loquar, revelatum & abſconditum; opaci & ſplendidi, prout in columnâ Iſraëliticâ conjugium. In Scriptis præſertim Moſaïcis (quod in *ciphris*, quas vocant, & literis myſticis uſu venit) ſcriptura quædam exterior eſt, cujus ſenſus minimè difficilis ſe cuivis offert; & ſcriptura interior, *legis mirabilia* continens, quæ ut pleniùs & apertiùs intueatur, Pſalmiſta oculos retectos expetit. Ut itaque Textûs hujuſce interiora jam pandam, aſſero eum in ſummo quidem benedictionem in Pontificis & Levitarum capita effundendam exhibere: in imo verò beneficium in totum *DEI Iſraëlem*, mediante *Meßiâ*, conferendum premere. Quòd autem *Moſes Meßiam*, & ſumma ejus beneficia virtutésque, tanquam ultimum verborum ſuorum ſcopum ſibi præfixum habuerit, eâ rationis luce quæ omnem dubitationis umbram pellat, oſtendi poteſt. Nam

Primó. Titulus ille חסידך *Sanctus tuus* ad eum reſpectum gerit, eíque præcipuè aſſerendus eſt, qui tentatus erat in *Maſſa*; prout verba ſequentia indicant. At è ſacro Codice non conſtat *Levi* eò loci magìs tentatum aut fidelem repertum, quàm cæteros *Iſraëlis* filios. Eos autem omnes Dominum ibi tentâſſe conceptis verbis teſtatum reliquit *Moſes*, Exod. 17. 7. quem locum Apoſtolus non minùs diſertè de Chriſto interpretandum docet. 1 *Cor.* 10. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν. Neq; mirum haberi debeat quòd *Moſes* de *Levi* vel Pontifice ſermonem jam inſtituens, ea verba, quæ ſenſum omnem niſi *Meſſiæ* ſoli convenientem planè reſpuunt, interponeret; nam ſolent Scriptores Θεόπνευστοι, de

typo

typo differentes, divinius quiddam ex inopinato pati solent, & ad antitypum vehementiore Spiritûs afflatu rapi & elevari. Assertionis hujusce veritas indè constet, quòd verba quædam haud expectata sæpiùs inferant, quæ Messiæ vel solùm vel aptiùs quàm illius typo congruant. Moris hujus exempla dabunt, *Psal.* 2, 6, 7. & 45. 10, 11. & 61. 6. *Gen.* 49. 18. *Jes.* 61. 1, 2, 3. *Zach.* 6. 11, 12. *Psal.* 41. 9, 10. 72. 5, 7, 11, 16, 17. & 89. 29.

Secundò. Haud obvium est dicere, cur *Moses* periphrasi ullâ, multò minùs tam insolente & obscurâ, sacerdotem primarium vel Tribum Leviticam descriptum dederit; nisi quòd verba quæsierit quæ sensum apertum simul & occultum (sic enim seculi ratio exigebat) gerere, & in personas naturæ locíq; dissimilis, Pontificem putà & *Messiam*, quadrare possent. Nam proculdubio si *Moses* nil ultra pensi habuisset, quàm ut beneficium in Pontificem vel Tribum sacram conferendum peteret; verbis illis paucis & in usu quotidiano positis, *Sint Urim & Thummim tua cum Sacerdote summo, vel Tribu Leviticâ*, aut hujusmodi, ad animi sui sensus exprimendos usus fuisset: nam brevis illa & sine velo loquendi formula minus *Mosi* & lectoribus suis molestiæ creâsset. Si verò *Mosi* destinatum fuisset Sacerdotem typicum & verum ejusdem textûs ambitu continere, ei scopo & consilio verba illa, *Vir Sanctus tuus*, egregiè fuerunt accommodata: eò quòd & Pontifici & Christo, (priori ex parte, posteriori omnimodò) convenirent.

Tertiò. Apud omnes, Judæos juxta & Christianos, in confessum venit, mysterii alicujus nucleum sub tenui textûs Mosaici cortice penè ubique latitare. Altam seriámque veritatis hujusce fidem, Judæos,

Juvenalis ævo *Romæ* degentes, tenuisse, ex illis Satyristæ verbis conjicere licet,

— *servant & metuunt jus,*
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Nam creditu facillimum est, Poëtam verbis hisce ad receptam Judæorum opinionem & loquendi morem alludisse; qui plurima olim, prout & hodie, de סתרי תורה *arcanis Legis*, Sapientum solummodò filiis innotescentibus, effutire solebant. In eandem opinionem venit *Mos. Maimonides*, qui totam Legem דברי כפולים *verba duplicata*, id est, sensu duplici gravidam pronunciavit. Atque hæc sententia de duplici Legis sensu, literali & mystico, tam firmiter olim Judæis steterit, quòd *Grotius* hinc *natum* arbitretur *discrimen antiquitus inter Judæos celebratum, scriptæ legis & legis vocalis* תורה שעל פה, *quam & hoc est*, παράδοσιν *vocant, utramque dicentes à Mose profectam. Non*, inquit, *quòd res aliæ fuerint in traditione quàm in lege scriptâ, sed quòd ea quæ lege scriptâ occultiùs continebantur, studiosis indagatoribus enodaret accurata interpretatio.* Hæc ille in *Mat.* 5. 20. Nec ab illâ Judæorum sententiâ abhorret Christianorum ratio: sentiunt enim & illi ad unum omnes, *Mosis* scripta σοφίαν ἐν μυστηρίῳ κεκρυμμένην sæpiùs exhibere, & ad instar Scriptoris vultûs lucem quandam diviniorem, cui ferendæ teneriores populi carnalis oculi impares erant, sub tenui velamine frequenter dissimulare. Tantum abest ut Christiani hoc in dubiis ponerent, quòd veritatis hujusce fides cæca & inconsulta tot Theologos é nostris pepererit, qui quaslibet penè Legis apiculas ad allegorias frigidas & triobolares trahere solent,

ritum

ritum quemlibet in sacramentum fingere, & ad omnia *Mosis* verba & instituta accedere, certi mysteria vel invenire vel facere. Cùm itaque *Mosis* textum sacratiores quosdam recessus τοῖς ἐνθέοις, sensus sæpe mysticos animis tantùm purgatioribus adeundos, continere, res tam confessa & manifesta sit; quidni credamus textum qui nos hactenus exercuit, alia in aperto habere, in occulto alia; quædam pueris & ἀμυήτοις loqui, quædam iis quibus ætas provectior & sensus magis exercitati?

Quartò. Si *Moses*, hæc loquens, in Pontificem solummodo animum oculósque intendisset, vox illa לאיש [*Viro*] otiosa penè foret, ejúsque jacturam Textus nullo sensûs sui damno ferre posset: nam vocabulum חסידך vocis illius locum implere, & sensum ejus integrum satìs perspicuè exprimere & continere queat. Quid itaque nisi Sacerdotis nostri summi gratiâ inseritur, cui *Viri* nomen per eminentiam quandoque tribuit Scriptura, & quem omnes *Sanctum Dei*, non autem *Virum* reverà futurum norant? neque rationem hanc virium expertem arguit, quòd hujusmodi pleonasmi exemplа apud [a] Hebræos frequentia sint, & ab iis mutuata in N. Test. scripta quandoque transierint; (vide *Mat.* 13. 45, 52. 18, 23. & *Luc.* 2, 15.) nam Textûs hujusce brevitas & sapientia singularis in verborum ordine atque electione elucescens, sat probant Spiritum S. nihil hîc superfluum inseruisse. Ideóque accipio ultro & comprobo τῶν LXX versionem, qui voces Hebraïcas emphaticè, τῷ ἀνδρὶ τῷ ὁσίῳ, reddidêre.

[a] *Vide Buxtorf. Thes. Gram. l. 2. c. 1.*

Quintò. Insignis ille titulus חסידך *Sanctus tuus*, vix Pontifici M. aut Tribui Leviticæ convenire potest.

Si enim vox illa activè sumatur [pro *benefico*, *sancto*, *benigno*] non pauci tiarâ Pontificali ornati fuerunt, quos mores perditi & impuri infra attributi illius eminentiam plurimùm posuêre. Neque Levitæ semper Legis divinæ se memores adeò præstitêre, ut digni essent quos *DEUS* tituli tam illustris honore dignaretur. Si verò passivè vocabulum illud usurpetur, pro eo quem Deus beneficio aliquo egregio Sibi adjunxit, & benevolentiâ speciali à mortalium plebe separavit; ratio haud adeò gravis apparet, cur Sacerdos primarius titulo tam honorifico, suo tantùm capiti affixo præfulgeret: nam facultas *DEI* jussa & responsa populo deferendi Pontifici tributa, in singularium favoris divini pignorum numero recenseri vix digna videtur. Cùm itaque verbum illud sensu non nisi lato & laxo admodum sumptum, Sacerdoti Mosaïco competere queat; consentaneum est ut illud de Sacerdote nostro evangelico, qui solus tituli illius amplitudinem æquare possit & adimplere, dictum intelligamus. Si enim חסיד pro *benefico* sumatur, Christo Domino ad amussim convenit, qui sua & semetipsum nobis dedit, & benignitatem suam nunquam in nos miscellos claudi voluit. Si pro *bono* & *sancto* usurpetur, optimè cum titulo illo vitæ & moribus Domini nostri convenit: nam illius fama, cùm inter homines ageret, nè tenuissimâ leviſſimi criminis suspicione apud æquos judices perstricta fuit; & in conspectu *DEI* peccati adeò omnis immunis perstitit, quòd ὅσιος Θεοῦ in Scripturis signanter appelletur. Si verò vox illum denotet, cui *DEUS* præ omnibus aliis bene velit, in Christum cadit hoc verbum maximè, quem *DEUS* benevolentiâ tam propensâ & eximiâ complectitur, quòd is solus υἱὸς εὐδοκίας in Scripturis audiat.

Sextò,

Sextò. Textum integrum eâ arte & ingenio (parcatur verbis hominem forsan plus æquo sapientibus.) dispositum *Moses*, quòd, ad instar picturæ ingenioso adumbratæ penicillo, res & personas plurimas ex æquo respiciat. Nam (1°.) Nil obest quò minùs particulam ל, τοῖς *Urim & Thummim* affixam (cum LXX. Vulgato interprete, & versione Samarit.) de *Levi* æquè ac de *Deo* interpretemur: quasi ità locutus fuisset *Moses*, "*Thummim tui & Urim tui, ô Levi, cum* "*Viro sancto DEI*; Tibi equidem instrumenta, "nominibus illis mysterii plenis insignita, digni-"tatem & gloriandi materiam afferunt; Ille solus "res ipsas tenet, quas illa notant & loquuntur "nomina. (2°.) Eum in modum Textûs Hebraici verba efferuntur, quòd formam *Precationis* simul & *Declarationis*, pro interpretum arbitrio, induere possit: ideóque interpretes moderni Textum ut precantis vocem, antiqui verò ut declarantis, intelligendum censent: neque in originali particula ulla reperitur, quæ huic aut illi interpretationi ponat obicem. (3°.) *Urim* & *Thummim* non tantùm ut nomina propria ad imagunculas Pectoralis, sed ut appellativa ad *perfectiones* & *lumina* denotandum hîc sumi possint. (4°.) Vox חסיד, & ὅσιον virum sanctitate præstantem, & κεχαριτωμένον speciali aliquâ gratiæ divinæ tesserâ donatum indicat: ideóque ad typum simul & antitypum, Pontificem & Christum exprimendum egregiè fuit accommodata. Nam Pontifex M. quamvis non sanctitate semper, plurimis tamen favoris divini insignibus alios omnes, qui nomen & sanguinem ab *Israële* petiêre, facilè superavit.

Textus integer & quodlibet ejus verbum sensu gemello gravidum, nobis ansam conjectandi porrigit,

Spiritum Sanctum Textum ità quasi de industriâ ordinâsse, ut res & personas naturæ locique disparis sensûs tam lati & dubii ambitu contineret: quid enim facies tam diversas ei dederit, nisi ut posset objecta plurimùm diffita pariter respicere & intueri?

Si quis rationes jam datas pensiculatiùs trutinaverit, se facilè persuaderi patietur, *Mosen* hîc rudimenta & exordia quædam Evangelii, doctrinas aliquas de *Messiâ*, sub Pontificis M. umbrâ quasi occultato, paulò obscuriores tradidisse. Ut rem paucis expediam, aut ego fallor, aut duo hæc sunt quæ, pro duplici acceptatione τῶν Urim & *Thummim*, Domino nostro in verbis hisce, declarativè sumptis, à *Mose* enunciantur.

Primò. Quòd Perfectiones & Lumina Dei sint verè penès Sanctum illum, cujus imaginem solummodo gessit Sacerdotum princeps. Nec tali elogio Christus minor inventus est: quicquid enim usquam est luminis vel perfectionis in Angelis aut hominibus in Illo fuit & ab Illo manavit. Luminis quidem speciem in Oraculis, & perfectionis umbram quandam in expiationibus, ornamentis & baptismis suis præbuit Sacerdos Summus: Christus utraque reverà possidet & Ecclesiæ largitur. Nam Ille typos, Evangelii præludia, exposuit, cuncta Legis obscura reseravit, & omnia, quæ sacramentorum nebulis antiquitas texerat, in apricum protulit. Ille quicquid de fine hominis ultimo, de naturæ rationalis complemento, de viâ universali liberandæ animæ, de medio reconciliationis, de verâ Deum colendi ratione, aliisque regni cœlestis arcanis scitu necessarium est, verbis ad modulum infantum attemperatis revelavit. Ideóque veritates plurimæ quas Gentilium & Judæorum doctores penitus ignorârunt, vel inter sacratiora sua mysteria, cathedrâ digna, numerârunt;

numerârunt; per Chriſtum adeò in aprico poſitæ ſunt, quòd prima religionis rudimenta jam factæ ſint & puerorum exercitia. Hinc factum quòd Chriſtus *Lucis* nomine ſæpiùs in Dei ſcriptis deſcriptus veniat, ut *Luc.* 2. 32. *Jeſ.* 42. 6. 1 *Joh.* 9. 10. & cap. 3. 19. *Jeſ.* 60. 19, 20. & alibi. Deinde, perfectiones omnes, quocunque nomine innoteſcant, in Chriſto, Pontificis archetypo, reperiuntur: *Evangelica*, nam Sacerdos [a] Ille ſolus fuit, cui ad ſcelus aliquod à ſeipſo conceptum expiandum nullo opus erat ſacrificio: cùm omnes alii Sacerdotes ſummi eſſent מחוסרי כפרה (utì loquuntur Magiſtri) ἐνδεεῖς ἱλασμοῦ. *Legalis*, Ille enim debita noſtra, quibus ſolvendis nos impares eramus, ſpongiâ quam in cruce guſtavit, delevit omnia; & juſtificationem eam, cujus umbram tantùm geſſit expiatio Legis, verè pro nobis meruit. A ſolo itaque Chriſti ſacerdotio πλείωσιν expectandam docet Apoſtolus, ad *Heb.* 7. 11. quippe qui hominum perſonas ſacrificio omnibus numeris abſoluto, ideóque ultimo, perfecit.

[a] *Heb.* 9. 26. *Dan.* 9. 24. *Pſ.* 16. 10.

Secundó. Id etiam myſterii ſub horum verborum velamine occultâſſe videtur Spiritus S. quod oracula hanc vel futuram vitam ſpectantia, Chriſto Domino, in cujus ſinum arcana ſua omnia effudit *DEUS*, accepta debeantur. Ille enim Λόγος eſt & Λογεῖον, Verbum & Oraculum Patris, à quo ſcientiam naturæ & voluntatis divinæ traditam accepimus. Sufficiat hæc carptim brevitérque perſtringere, quæ utramque faciunt tot librorum & concionum paginam.

FINIS.

8 AP 67

Index Rerum.

ABen-Ezræ *ſententia de naturâ Urim* p. 103
Abrahami *domeſtici non attulerunt Teraphim ex Ægypto in Chaldæam* 154
Ægyptii *imagines fatidicas plurimas habebant, & multi æſtimabant* 52. 92. *varia habuêre oracula ad uſus varios* 22. *Eorum Dii nominibus hebraïcis appellati* 151. *Eorum Taliſmanæ quid* 192. *Pontificem ſuum imagine cui* Veritas *nomen ornabant* 205. *Moribus pluſquam aliæ gentes cum Hebræis conveniebant* 206 225. *Nec tamen Hebræos imitabantur* 208,209,210, 211. *Ab exterorum moribus penitus abhorruêre* 224, 225. 229. *Judæis infenſi* 209. *Superbi maximè, & quare* 208.
Æliani *teſtimonium de ornamento Pontificis Ægyptiaci* 201. *fide dignum aſſeritur* 220
אל *Sæpe vicem ſupplet* ב *deſervientis* 30.
Amaſia *cur coluerit idola filiorum Seir* 47
Angeli, *ignes olim habiti & vocati* 159. 160. 239. *Viſiones Angelorum quando deſierint in Eccleſiâ Judaicâ.* 161. *Specie igneâ ſæpius apparuêre* 240. *præſertim cùm Dei vicem aut nomen gererent* 241. *nomen Urim iis apprimè convenit.* 239. 242. *Naturam igneâ iis tribuebant veteres* 242, 243, *Dei conſilia omnia revelabant* 244, 245. *Reſponſa ex Urim eorum miniſterio data* 242. 244, 245. 261, 262, 263. *eorum deſcenſus ſuper Chriſtum, qualis* 246
Arabes *Vet. quid per* Dei filias *intelligerent* 169
Arca, *plurimi olim habita* 198. 271. *In eam Sacerdos Urim conſulens faciem obvertit ſæpius* 94. *ſed non ſemper* 95, 96, 305
Bath Col, *unde nomen habuit* 6
Campanulæ *Pontificis cur inſtitutæ* 211
Capilli *cur Deo ſub Lege offerendi* 127. 131
Carnibus *tantùm immolatis veſcebantur Iſraëlitæ in deſerto, & quare* 281

Chaldæi

Chaldæi *sæpe commutant S in T* 173
Chasid & *Chasidim, quid propriè significet* 277. *attributum Levitarum quandoque* 278. *titulus Messiæ optimè convenit* 320
Cherubim, *Eorum figuræ in Script. non descriptæ, & quare* 33. *uno & eodem titulo semper innotescunt* 97. *nomen notum ante Mosis tempora* 159. 160. *imagines figuræ inusitatæ* 198. *cur Josephus tam obscurè de iis scripserit* 102. *quid significârunt* 246. *Cur duæ imagines* 250. *Dei habitatio inter ea* 260, 261
Christophori Castri *opinio de naturâ & Urim traditur, & ad examen vocatur* 105, 106, 107. *quid in eâ culpandum quid amplexandum fusè ostenditur* 108, 109, 110
Christus *omnium exemplar sub Vet. Oeconom.* 260. 263
Chrysostomi *sententia de ratione plurimorum rituum Mosaicorum* 127, 128.
Consuetudinis *vis in religione, quanta* 117
Coram Domino, *quid in sacris lit. significet* 95
Cor *sapientiæ sedes apud Ægyptios aliósque habitum* 219, 271
Cornelii à Lap. *opinio de ratione nominis Teraphim tradita, & aliis prælata* 170
Cunæi *argumentum ad probandum Regi licuisse Urim consulere* 301. *appensum in staterâ & inventum deficiens* 307
David *Urim sine mediâ Pontificis operâ consuluit* 306, 307
Deus *Regis civilis personam titulúmque gessit, & quare* 13, 14, 15. *multa Hebræorum ruditati & pertinaciæ concessit* 119
Diabolus *nunquam se Dei similem præstitit* 217. *quâ arte homines in idololatriam pellexit* 1, 2. 47
Diodor. Siculus *unde habuit quæ de Judæorum Sacerdote S. refert* 267
Divortia *cur Judæis permissa* 99
Domus privatæ *religioni sacræ, frequentes apud Judæos* 78. *& Ethnicos* 79 *quandoque prohibitæ*, ibid.
Donec, *nonnunquam vox negantis in Scripturis* 318
Ephod, *quid fuit* 54. *Vulgare & pontificium quid differunt*. ibid. *quando Levitis ordin. primò concessum* ibid. *à Pectorali nunquam separandum* 55. *Teraphim ei*

ei ſapiut conjunctum, nullo verbo interpoſito, & quare 57, 58
Elohim, Symbola divina quandoque ſignificat 8. Angelorum titulus 165
Feſta Judæorum certo tempore celebranda, & quare 281
Figuræ Urim & Thummim factæ ſub Templo ſecundo 107
Gemmæ cur Pectorali additæ 227, 228. an plus ſolito ſplenduerint cùm oracula indè ederentur 144, 145
Gentilium templa, quo conſilio ab iis condita 9. eorum ritus nonnulli in Dei cultum recepti 126, 127, 128 & ſeq. eorum monumenta lucem ferant obſcurioribus Judæorum moribus 176, 177
Gideonis Ephod quid fuit 87, 88. animo non malo illud fecit 89, 90
Grotii ſententia de origine rituum ſacrificandi, & legum de cibis vetitis 132 refellitur illius opinio de origine ſimulachri Ægypt. cui Veritas nomen 207
Hebræi rem egregiam voce plurali exprimunt 264. rei ſignificatæ nomen ſigno ipſi ſæpe tribuunt 271. excellentiam Dei nomine ſignificant, & quare 312
Jehojada nunquam fuit Sacerdos Summus 142
Ignis flammans Angelorum ſymbolum in Scripturis 239, 241. eorum naturam optimè repræſentat 242, 243
Ignis ἀειφανὴς cur Iſraëlitis conceſſus 10
Imagines, olim fatidicæ fuêre 51. 188. perſonarum nomina ſæpe gerebant, quibus ſacræ 248
Iſraelitæ extraordinaria præſentiæ divinæ pignora & ſymbola poſtulârunt, & quare 9. 192. in Ægypto idola coluêre & conſuluêre 52. 115, 116, 117. 190. 228. Gentium aliarum, Ægypti rum præcipuè, moribus ſupra modum addicti 215, 216. ingenii præfracti & pertinacis populus 118, 119. iis ob παιδαγωγείαν plurima permiſſa olim in uſu. 98, 99. 119, 120, 121
Inaures Iſraëlitarum & Gideonis quid fuerint 87
Joſephi teſtimonio de miraculoſo gemmarum ſplendore an tutò credendum 137, 144
Judæi cur circa Oraculum Urim miſerè hallucinati 27. 193, 194.
Judices Iſraëlitici cur nulla geſtarent Majeſtatis inſignia 14. quali poteſtate præeſſent 26. 292

Kircheri *sententia de origine Ægyptiacâ vocis Theraphim refutata* 151. 155, 156
Lapides Pectoralis *res ab Urim prorsus diversæ* 34, 35. 137. 146. *non dabant responsa vel per literarum iis insculptarum eminentiam* 134. 138, 139. *vel per splendorem miraculosum* 143, 144, 145.
Leges ceremoniales *non sine ratione datæ* 264 *plurimæ ob seculi mores latæ* 99. *earum rationes duæ* 265. Statuta non bona *meritò appellari possint* 122
Levitæ, *Dei* חסירים *in Scripturis signanter appellati, & quare* 258. *cur Deo supra alios grati* 310. 313. *munera iis demandata, quæ* 315
Lex *cur bona & mala tantùm temporalia ob oculos Israëlitarum ponit* 2. 14. *de Urim lata, admodum brevis, & quare* 183, 184. *Oralis & scripta* 131
Ludov. De Dieu *opinio de ratione nominis Theraphim probatur* 170
Libri *de imaginibus loquentibus, qui & quando editi* 51
Linigeri *quinam apud Scriptores Ethnicos dicti* 211
Mahometis *fabula de angelis ex igne creatis, unde hausta* 243
Matzebah, *quid propriè significet* 62
Maimonides *ritus Mosaicos è seculi consuetudine originem petiisse asserit* 129, 130
Medi *Vet. quomodo judices suos ornârunt* 271
Memnonis *statua, unde vocalis* 44
Mezuzoth & Totaphot *Judæorum, quid & unde orta* 273
Michæ *sculptile & conflatile res duæ distinctæ* 71, 72. *ejus Theraphim quid diversum à conflatili suo* 73, 74. *Urim per Theraphim ejus intelligendum* ibid. *eum non fuisse idololatram fusè probatur* 74, 75, 76. *illius* domus Deorum *quid fuit* 77. *ejus tempora, qualia* 80. *cur idola surrepta Deos suos vocaverit* 81. *quo animo sua fecit omnia* 82. *Deus per Theraphim ejus respondit* 83. *cur vocabulum Theraphim retinuerit* 153, 272.
Mitra *cur Pontifici in ornamentum data* 289
Mosis *scripta sensum mysticum habent & literalem* 320
Mysteria *per Urim & Thummim*

mim adumbrata, quæ fuerint 266, 267
Neomeniarum *festa cur à Deo instituta* 120
Nomina *ab usu & sensu primævo quandoq; recedũt* 258
Nomina *Urim & Thummim indita mysterii significandi gratiâ*, 269. 300, &c.
Oracula *per Urim data fuisse probatur* 5, 6, 7. 34. *Israëlitis ob tres rationes concessa* 7, 8, 9, 10. *cur varia oracula iis indulta* 22. *sæpius per imagines edita* 187, 188
Pectorale judicii, *unde sic dictum* 5. 18. *cur* λογιον *appellatum* ibid. & *Coschen* 109. *Illius figura, qualis* 28, 29. *ei cur gemmæ additæ* 227. & *tribuum numina* 18. *Urim in illius duplo positum* 29, 30
Phinehas *patris loco Urim consuluit* 299
Πιλατικια *apud Medos Vet. quid* 271, 272
Philonis Jud. *testimonium de naturâ Urim* 101. *admodum obscurè traditum & quare* 102.
Pontifex M. *Illustrissimus Messiæ typus* 282. *& ità à Judæis habitus* 268. *Illius ornamenta tabernaculi ornamentis* οὐσιωδη 185. *potestatis sua indicia* 291 *omnibus Sacerdotum ethnicorum ornamentis insignitus, & quare* 213. 287. *summum ei honorem deferebant Judæi vet.* 288. *ordinarius Reip. præses durante Theocratiâ* 291. *voluntatis divinæ per Urim patefactæ nuncius* 296, 297. *Ille aut Vicarius suus castrorum comes* 20. *non respondebat per afflatum Sp. S.* 135. 141, 142.
Rachel, *cur patris Theraphim furata* 91
Rex, *cur Israëlitis gratus* 215. & *qualis* 25. *illius jussu Sacerdos S. Urim consulere tenebatur* 298. *ei licuit Urim interrogare* 301, 302, 303. *imperium habuit in Pontificẽ M.* 306
Revelationis divinæ 4. *species* 6. *sola revelatio per Urim non rediit, Christo in terris agente, & quare* 23
Ritus Mosaici *typi Evangelici* 266, 268. *plurimi à seculi usu initium accepere* 113, 114, 115. & *seq. sed aliquatenus mutati* 259. 265. 273
Sacerdotes *ordinarii quandoque Urim consulebant* 299, 300. *iis solis Sanctuarium ingredi datum, & quare* 15. *personæ ad oraculum consulendum maximè*

ximè idoneæ 289. *ſcientia & integritas in iis præcipuè requiſita* 271. 311, 312. *& ſeq.*
Sacerdotium regale, *cur Iſraëlitæ dicti* 292
Sacrificiorum *ritus unde orti* 132. *ea certo tempore celebranda, & quare* 281
Sacrorum *honori conſervando in lege proſpectum* 286
Salomon, *cur tot fœminas aluerit* 216. *ſub ejus tempora ſiluit Urim* 25, 26, 27. 216. *cur nunquam conſuluit Urim* 21
Sapientia Dei *in ritibus Moſaicis præſcribendis quomodo elucet* 260
Sapphirus *quanti apud antiquos habita* 217, 218
Scriptores ſacri *de typo loquentes ſubitò ad antitypum rapiuntur* 321
Sculptilia, *quare præcepto ſecundo interdicta* 52
Seldeni *opinio de Michæ Theraphim rejicitur* 84
Serapes, *quid* 43. 52. *unde nominis origo* 150, 151. *frequenti in uſu apud Ægyptios* 92. 125. *quid ſimile ejus Theraphim* 112. 152
Seraphim *antiquiſſimus Angelorum titulus* 150. 158. 160. *cur iis conceſſus* 159
Σκληροκαρδία *nota propria gentis Iſraëlitica* 118
Statua *quomodo ab arâ differat* 62. *eam erigere an ſemper illicitum* 63. *ſtatuæ gentium cur ſæpe radiolis circundatæ* 110
Talmudicorum *ſententia de naturâ Urim traditur & refellitur* 134, 138, 139
Τέλειοι *in N. T. qui* 223
Templum *cur ſplendidè ornatum* 15. 110. 128. 210, 211. *in atria diſtributum & quare* 15
Theocratia, *quando incipiebat & deſinebat* 13, 14, 15. *illius pignus & ſignum, Urim* 23, 24, 25. 318.
Thephilin *Iſraëlitarum quid & unde* 273
Theraphim *vox media* 41. 61. *quid fuerint* 42. *ſimulachra exigua* 42, 43 *prophetica* 44. *antiquiſſima* 45, 46, 47. *à dæmone ſæpius animata* 48, 49. *magni habita apud omnes* 91, 92. 164. *Hebraum vocabulum* 149. *idem quod Seraphim* 150, 151, 152. 251. *primitus bonorum Angelorum ſymbola* 160, 161, 162, 163. *Angeli boni indè quandóq; reſponderunt* 83. 164, 165, 166, 167, 168. 195. *ejuſdem ſignificationis cum Urim* 251, 252, 253. *ſub*

153. *ſub Abrahami tempora in uſum venêre*, 173, 174. *Elohim vocata, & quare* 163. 167

Thummim, *res diſtincta ab Urim numero & uſu* 38, 39, 40. 202, 203. *Deus per illud nunquam reſpondit* 203. *vocis ſignificatio* 223. 230. *quid fuit & unde originem traxit* 207, 208, 209, *&c. ratio nominis* 258

Torquium *uſus, antiquiſſimus* 218

Veritas *quid in ſacris ſignificet* 222

Vitulus aureus *cur factus* 115

Urim, *Oraculum de publicis tantùm negotiis conſulendum* 16, 17, 18. *præcipuè bellicis* 19, 20. 299. *imperii divini ſignus* 24, 318. *ſub Salomonis tempora defecit* 21. 24, 25, 26, 27, 318. *Quid fuit* 40, 41. 53. *an ſplenderet cùm oracula inde ederentur* 109, 110. *vocis ſignificatio* 147, 148. 229. *ejuſdem ſignificationis cum Theraphim* 149, 150, 151, 152. *res tantùm una* 111, 112. *Ab Angelis nomen habuit* 248, 249, 250. *nomen Urim in locum Theraphim aſſumptum, & quare* 258, 259. *non conſultum in S. Sanct.* 305

Urim & Thummim, *res quoad ſubſtantiam cognitæ ante legem* 32, 33. *in Pectoralis duplo poſita.* 30. *res diverſæ à gemmis Pectoralis* 34, 35, 36. *res tantùm duæ* 37. *eorum naturæ in ſacris nuſquam explicantur, & quare* 97, 98, 184. *à quibus formata* 105, 106, 107. *cur ſimul conjuncta* 196. vaſa ſanctitatis *cur dicta* 299. 300

Voce *tradebantur reſponſa per Urim* 141, 142. 177, 178. *& voce ſubmiſsâ* 179

Viri Synagogæ M. *non expectârunt reſtitutionem Urim ſub templo ſecundo* 318, 319

Zabii *proſperæ omnia propter cultum aſtrorum eventura docebant* 1, 2. *leges à Deo latæ eorum ritibus adverſæ* 125, 126. *eorum ritus omnes non abrogati* 126, 127

Zoroaſtris *oraculum explicatum* 241

FINIS.